COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

XLVII.

PATRES QUARTI ECCLESIÆ SÆCULI.

S. OPTATUS MILEVITANUS.

ET

S. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS.

PROSTAT INSUPER VENALE

MONTIS PESSULANI,

APUD **VIRENQUE**, BIBLIOPOLAM;

PARISIIS,

APUD **BIBLIOPOLAM**, CUI NOMEN GALLICE;

SOCIÉTÉ POUR LA PUBLICATION DES BONS LIVRES.
Rue des Saints-Pères, 16.

PARISIIS, E TYPOGRAPHEO BETHUNE ET PLON,
VIA VULGO DICTA DE VAUGIRARD, 36.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

CURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI ET CADURCENSI,

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

EPISCOPO MAROCHIENSI, IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE:

BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS QUADRAGESIMUS SEPTIMUS.



PARISIIS,

APUD PARENT-DESBARRES, EDITOREM,

VIA VULGO DICTA DE SEINE, 48.

M. DCCC XXXV.


THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

S. OPTATI AFRI

MILEVITANI EPISCOPI,

DE

SCHISMATE DONATISTARUM,

ADVERSUS PARMENIANUM.

LIBRI VII.

S. OPTATUS

MILEVITANUS EPISCOPUS.

LATINUS.

CIRCA ANNUM 384.

Sanctus Optatus, Milevitanus episcopus in Numidia, scripsisse videtur ab an. 370, usque ad annum 384. Ignota prorsus illius vita, nisi quod ab Hieronymo, (*de Script. Eccles.* 120.) Valentiniano I et Valente imperatoribus, defunctus perhibetur. Non semel ab Augustino et Fulgentio laudatus est; (*Fulg. lib.* II, *ad Maxim. c.* 13.) quorum prior illum Cypriano, Lactantio, Victorino, et Hilario consociat, mirans: « Quanto auro et argento et » veste suffarcinatus exierit de Ægypto... (*de Doctr.* » *Christ. lib.* II, *c.* 40, *n°* 61.) venerabilis memoriæ » Milevitanus episcopus catholicæ communionis. » (*contra Parmen. lib.* I, *c.* 17, *n°* 5.)

Unum superest contra Donatistas opus sex libris Hieronymi tempore divisum, quibus nunc septimus accessit, qui, veluti suppositus, a quibusdam rejec-

tus est: 1° quia opus ab ipso Optato sex libris divisum proponitur; 2° quia sex pariter libris divisum refertur ab Hieronymo; 3° quia septimi istius libri dictio eleganti præcedentium eloquio consonare non videtur; 4° quia Traditorum crimen veluti levissimum proponitur. Sed nihilominus tenendum videtur librum illum esse authenticum, 1° quia dici non immerito potest opus ab Optato fuisse correctum et amplificatum, ita ut prima tantum ejus operis editio B. Hieronymo innotuerit; 2° quia ab eruditis demonstratum est, laudatum in Traditorum gratiam testimonium aliena manu operi fuisse interpositum; 3° quia, illo resecato testimonio, cætera a primorum librorum dictione non abhorrent.

Sic ipse incœpti operis argumentum et ordinem ab initio explicat: « Mihi videtur primo loco Traditorum et schismaticorum indicandas esse civitates, personas et nomina; ut, quæ de iis dicta sunt, veros auctores et certos reos suos agnoscant. Deinde mihi dicendum est, quæ, vel ubi sit una Ecclesia, quæ est; quia præter unam, altera non est. Tertio a nobis militem non esse petitum, et ad nos non pertinere, quod ab operariis unitatis dicitur commissum. Quarto loco qui sit peccator, cujus sacrificium repudiat Deus, vel cujus oleum fugiendum sit. Quinto de baptismate. Sexto, de inconsideratis præsumptionibus et erroribus vestris, (nempe Donatistarum.) » (*cap.* 7.) Hæc sex capitibus concluduntur. Septimus autem Optato vindicatus liber plura jam prius tractata re-

colligit, nec ideo a Catholicis discedendum ostendit, quod *Traditorum* filii supponerentur.

Plurima etiam contra Donatistas monumenta operi adjunxerat Optatus, quorum jam amissorum loco multa aliunde congretata nunc annecti solent.

Utilissimum hujus operis argumentum nobili, vehementi, concisoque eloquio exornatur; nescio quid tamen nitidum magis magisque elaboratum desideraretur. Si congressum bellator ineat, vividus urget; si referat narrator eventus, facta oculis, ut ita dicam, supponit; si testimonia argumentator afferat, ingeniose varios illorum sensus evolvere satagit; quidquid dicendum occurrat, verbis apprime accommodatis utitur; ubique doctrina ingenioque conspicuum scriptorem miraberis.

Habetur S. Optati Milevitani textus, adhuc in multis mendosus, tum ex recensione *Emerit. Casaubonii*, an. 1671, *Londini* in-8°, tum cura D. *Prioris*, *Parisiis*, an. 1679, tum denique an. 1700, *Parisiis*, 1701, *Amstelodami*, 1702, *Antuerpiæ*, opera et studio *Dupini*, quæ ultima editio correctior, licet etiam nunc in multis corrigenda, dicenda est.

Sex primi S. Optati libri gallice prodierunt, interprete *Petro Viel*, *Parisiis*, an. 1664. in-8°.

S. OPTATI AFRI
MILEVITANI EPISCOPI,

DE

SCHISMATE DONATISTARUM,

ADVERSUS PARMENIANUM.

LIBRI VII.

LIBER I.

In hoc libro primo continentur, qui in persecutione fuerunt traditores, et causæ schismatis, et a quibus schisma sit factum.

ARGUMENTUM.

I. *Bonum pacis.* II. *Pax a schismaticis turbata.* III. *Cur schismatici fratres appellentur.* IV. *Cur Parmeniani librum refellendum suscipiat.* V. *Cujus generis sint ea, quæ in libro Parmeniani.* VI. *Argumenta librorum Parmeniani.* VII. *Divisio operis hujus, et singulorum librorum argumenta.* VIII. *Carnem Christi nec peccatricem, nec aquis demersam dici debuisse a Parmeniano.* IX. *Hæreticorum mentionem supervacanee*

factam a Parmeniano. X. *Hæreticorum et schismaticorum discrimen.* XI. *Notæ Ecclesiæ catholicæ et schismatis.* XII *Iterum de hæreticorum et schismaticorum discrimine.* XIII. *Auctores Donatistarum traditores fuisse.* XIV. *Concilii cirtensis acta.* XV. *Ex ordinatione Majorini schisma ortum.* XVI. *Lucillæ adversus Cæcilianum rixæ.* XVII. *Mensurius ad curiam citatus ornamenta Ecclesiæ Botro et Celestio commendat.* XVIII. *Ordinatio Cæciliani in episcopum carthaginensem, necnon causæ atque origo schismatis.* XIX. *Illicita ordinatio Majorini contra Cæcilianum, ab episcopis Numidiæ.* XX. *Litteræ episcorum Numidiæ adversus Felicem ordinatorem Cæciliani.* XXI. *Quam grave schismatis malum, cujus rei sunt Donatistæ.* XXII. *Litteræ episcoporum partis Donati ad Constantinum imperatorem, quibus sibi petunt dari judices.* XXIII. *Responsio Constantini. Dati ab eo judices qui Romæ conveniant.* XXIV. *Concilii romani sententia in gratiam Cæciliani.* XXV. *Appellatio Donati a judicio romano, quomodo a Constantino excepta.* XXVI. *Quid post synodum romanum in Africa gestum.* XXVII. *Purgatio Felicis ordinatoris Cæciliani.* XXVIII. *Conclusio hujus libri primi.*

1. Cunctos nos Christianos [1], clarissimi fratres, omnipotenti Deo fides una commendat. Cujus fidei pars est, credere Filium Dei, judicem sæculi, esse venturum : eum qui jampridem venerit, et secundum hominem suum, per Mariam virginem natus sit, passus, et mortuus et sepultus, resurrexerit : et antequam in cœlum ascenderet, (unde descenderat) Christianis omnibus victricem pacem per Apostolos dereliquit. Quam ne videretur solis Apostolis dimisisse, ideo ait : « Quod uni ex vobis dico, omnibus

[1] Vide D. Guillon, tom. v, pag. 260-263.

» dico [1]. » Deinde ait : « Pacem meam do vobis, pacem » meam relinquo vobis [2]. » Igitur pax Christianis omnibus data est : quam rem Dei esse constat, dum dicit « Meam : » cum autem dicit, « Do vobis, » non solum suam voluit esse, sed et universorum in se credentium.

II. Quæ pax, si, ut data erat, sic integra inviolataque mansisset, nec ab auctoribus schismatis turbaretur : inter nos et fratres nostros hodie non esset ulla dissensio : nec illi inconsolabiles Deo lacrymas facerent [3], quod Esaïas propheta testatur (1) : nec falsorum vatum nomen et actus incurrerent : nec ruinosum ac dealbatum extruerent parietem : nec minus astutas, sed tantum simplices everterent mentes : nec male imponendo omnibus capitibus manum, eversionis velamenta obtenderent : nec maledicerent Deo : nec rebaptizarent fideles : nec nos eversas aut occisas innocentium animas doleremus : quas prius doluit Deus, per Ezechielem prophetam, dicens : « Væ facientibus velamen super omne caput, et super omnem ætatem » ad evertendas animas. Animæ eversæ sunt populi mei : » et maledicebant mihi in populo meo, ut occiderent animas, quas non oportuit mori : dum annuntiant populo » meo vanas seductiones [4]. » Et tamen admissa sunt hæc ab iis, qui nostri sunt fratres.

III. Sed ne quis dicat me inconsiderate eos fratres appellare, qui tales sunt : ab Esaïæ prophetæ vocibus exorbitare non possumus. Quamvis et illi non negent, et omnibus notum sit, quod nos odio habeant, et execrentur, et nolint se dici fratres nostros : tamen nos recedere a timore Dei non possumus, quos hortatur Spiritus sanctus per Esaïam prophetam, dicens : « Vos qui timetis nomen » Domini, audite nomen Domini : hi qui vos odio habent

[1] Marc. xiii, 37. — [2] Joan. xiv, 27. — [3] Isaï. xxii, 4. — [4] Ezech. xiii, 5, 6.

» et execrantur, et nolunt se dici fratres vestros, vos tamen » dicite eis : Fratres nostri estis [1] : » sunt igitur sine dubio fratres, quamvis non boni. Quare nemo miretur eos me appellare fratres, qui non possunt non esse fratres. Est quidem nobis et illis spiritalis una nativitas, sed diversi sunt actus. Nam et Cham, qui patris sui risit impie nuditatem [2], frater innocentium fuit : et pro merito suo jugum servitutis incurrit, ut esset fratribus frater addictus. Ergo hoc nomen fraternitatis, nec interveniente peccato deponitur. Sed de istorum fratrum delictis dicam alio loco : qui sedentes adversum nos, detrahunt [3], et contra nos scandala ponunt [4] : et cum illo fure concurrunt, qui Deo furtum facit : et cum mœchis, id est, cum hæreticis, partem suam ponunt, et peccata sua laudant, et convicia contra nos catholicos meditantur.

IV. Omnes quidem per singula loca maledicis vocibus perstrepunt : (quibus ad aliqua de occasione respondeam) sed unum quidem vix invenimus, cum quo per litteras, vel hoc modo loquamur ; Parmenianum scilicet, fratrem nostrum ; si tamen se a nobis vel hoc nomine nuncupari permittit. Et quia collegium episcopale nolunt nobiscum habere commune, non sint collegæ, si nolunt : tamen (ut supra diximus) fratres sunt. Frater meus igitur Parmenianus, ne ventose ac nude, ut cæteri, loqueretur, quidquid sentire potuit, non solum dixit, sed etiam in scriptura digessit. Cujus dictis, cum respondere, veritate cogente, compellimur, erit inter nos absentes quoquomodo collatio. Eodem modo satisfiet et desideriis aliquorum. Nam a multis sæpe desideratum est, ut ad eruendam veritatem, ab aliquibus defensoribus partium conflictus haberetur : et fieri potuit. Sed quoniam et accessum prohibent, et aditus intercludunt, et consessum vitant, et colloquium

[1] Isaï. LXVI, 5. — [2] Gen. IX. — [3] Psal. XLIX, 20. — [4] Ibid. 19.

denegant, vel tecum mihi, frater Parmeniane, sit isto modo collatio ; ut quia tractatus tuos, quos in manibus, et in ore multorum esse voluisti, non aspernatus sum, neque contempsi, sed omnia a te dicta patienter audivi, audias et tu humilitatis nostræ responsa.

V. Nam et ego intelligo, et tu non negas, et quivis sapiens pervidet te nulla alia ratione tam prolixe tractasse, nisi ut Ecclesiam catholicam tuis tractatibus indigne pulsares. Sed, ut intelligi datur, aliud habet animus, aliud resonat sermo. Denique non omnia te video dixisse contra catholicam : imo multa pro catholica, cum catholicus non sis, ut et nobis necesse non fuerit respondere tractatibus tuis : nisi, quod dum male instructus es, ut quod non vidisti, sed falso audieris, loquereris, cum in Epistola Petri apostoli legerimus : « Nolite per opinionem judicare fra» tres vestros [1] : » ut inter aliqua, quæ ad nos non pertinent (sicuti probaturi sumus) diceres, a nobis contra vos militem fuisse postulatum. Cæterum a te in aliis partibus tractatus tui, aliqua pro nobis dicta sunt, et contra vos, ut diluvii et circumcisionis comparatio : quædam et pro nobis, et pro vobis, ut ea, quæ in laude dixisti baptismatis, (præter illud quod carnem Christi male tractaveris) : ideo et pro vobis, quia quamvis foris sitis, tamen ex nobis existis. Nam et illud pro ambobus, quod demonstrasti hæreticos extraneos esse catholicis sacramentis : si tamen vos ipsos non eis adjungeres, quos esse schismaticos constat. Quædam pro nobis solis, ut unius Ecclesiæ commemoratio : quædam contra vos per ignorantiam (quia peregrinus es) ut traditorum et schismaticorum accusatio : etiam illud et contra vos, quod dixisti de oleo et sacrificio peccatoris. Ac per hoc nihil contra nos a te dictum est, nisi quod ignoranter dixisti, a nobis militem postulatum :

[1] Jacob. IV, 11.

quod calumniose a te dictum esse, probationibus verissimis demonstrabimus. Tolle hanc calumniam, et noster es. Quid enim magis pro nobis et nostrum est, quam quod dixisti, in comparatione baptismatis semel factum esse diluvium? Et singularem circumcisionem salubriter profecisse populo Judæorum, magis pro nobis, quasi noster locutus es : hæc enim nostra vox est, qui in Trinitate baptismatis unionem defendimus : non pro vobis qui baptisma, in cujus imagine sunt illa duo audaciter, et quod contra leges est iteratis : quamvis et vos ipsi non negetis, quia non debet iterari, quod semel jussum est fieri. Sed dum tu subtiliter laudasti, quod omni laudis præconio dignum est : callide vestram supposuisti personam, ut quasi, quia semel licet, vobis liceat, aliis denegetur. Si traditoribus non licet, vobis licere non debuit, quorum principes probamus fuisse traditores. Si schismaticis non licet, adæque vobis licere non debuit, apud quos origo schismatis invenitur. Si peccatoribus non licet, etiam peccatores vos esse testimonio divino convincimus. Et tamen quia semel licet, non per electum hominem, sed per quod semel licet : ideo post vos non emendamus, quia et apud nos et apud vos, unum est sacramentum : cujus sacramenti ratio, tota quinto libro monstrabitur.

VI. A te quidem, frater Parmeniane, multa tractata sunt. Sed video mihi non eo esse respondendum ordine, quo a te dicta sunt singula. Tu enim primo loco dixisti comparationes laudesque baptismatis, et præter carnem Christi a te male tractatam, cætera bene dixisti : hoc enim magis pro nobis te dixisse, suo loco monstrabitur. Secundo autem loco, exclusis hæreticis, unam dixisti esse Ecclesiam : sed eam, ubi sit, agnoscere noluisti. Tertio loco, traditores nullis certis personis aut nominibus accusasti. Quarto a te unitatis lacerati sunt operarii. Quinto denique loco, ut mi-

nima prætermittam, dixisti de oleo et sacrificio peccatoris.

VII. Sed mihi videtur primo loco traditorum et schismaticorum indicandas esse civitates, personas, et nomina : ut quæ a te de iis dicta sunt, veros auctores et certos reos suos agnoscant. Deinde mihi dicendum est, quæ, vel ubi sit una Ecclesia, quæ est : quia præter unam altera non est. Tertio, a nobis militem non esse petitum, et ad nos non pertinere, quod ab operariis unitatis dicitur esse commissum. Quarto loco, qui sit peccator, cujus sacrificium repudiat Deus, vel cujus oleum fugiendum sit. Quinto, de baptismate. Sexto, de inconsideratis præsumptionibus et erroribus vestris.

VIII. Sed prius quam de rebus singulis aliquid dicam, quod carnem Christi male tractaveris, breviter ostendam. Dixisti enim carnem illam peccatricem, Jordanis demersam diluvio, ab universis sordibus esse mundatam. Merito hoc diceres, si caro Christi pro omnibus baptizata sufficeret, ut nemo pro se baptizaretur. Si ita esset, ibi esset totum genus hominum : illic omne, quod corporaliter natum est. Nihil esset inter fideles et unumquemque gentilem, quia in omnibus caro est ; et dum nemo non est qui non habeat carnem; si, ut dixisti, caro Christi diluvio Jordanis demersa est, omnis caro hoc beneficium consequeretur. Aliud est enim caro Christi in Christo ; aliud uniuscujusque in se. Quid tibi visum est, carnem Christi dicere peccatricem? Utinam diceres, caro hominum in carne Christi : nec sic probabiliter dixeras, quia unusquisque credens, in nomine Christi baptizatur, non in carne Christi, quæ specialiter illius erat. Addo, quod ejus caro de Spiritu sancto concepta, inter alios non potuit in remissam peccatorum tingi, quæ nullum videbatur admisisse peccatum (2). Addidisti, et Jordanis diluvio demersam : satis inconsiderate hoc usus es verbo : quod verbum soli Pha-

raoni, et ejus populo debebatur, qui pondere delictorum, tanquam plumbum, ita mersus sit, ut ibi remanserit. Christi autem caro, dum in Jordane descendit et ascendit, mersa a te dici non debuit : cujus caro ipso Jordane sanctior invenitur, ut magis aquam ipsa descensu suo mundaverit, quam ipsa mundata sit.

IX. Etiam illud præterire non possum, quod te subtiliter egisse considero : ut ad inducendos vel decipiendos animos auditorum, post circumcisionis et diluvii descriptionem, et post laudem baptismatis, hæreticos cum erroribus suis mortuos, et oblivione jam sepultos quodammodo resuscitare voluisti : quorum per provincias africanas, non solum vitia, sed etiam nomina videbantur ignota. Marcion, Praxeas, Sabellius, Valentinus, et cæteri, usque ad Cataphrygas, temporibus suis a Victorino Petavionensi, et Zephirino Urbico, et a Tertulliano Carthaginensi, et ab aliis assertoribus Ecclesiæ catholicæ superati sunt. Ut quid bellum cum mortuis geris, quod ad negotium temporis nostri non pertinet? Sed quia schismaticus hodie aliquid peccati, quod probare possis in catholicos, non habes, ideo ad prolixitatem scripturæ tuæ augendam, tot hæreticos cum erroribus suis commemorare voluisti.

X. Nunc alia quæstio est, ut quid a te memorati sunt illi, apud quos non sunt sacramenta, quæ nobis et vobis videntur esse communia? Sanitas non flagitat medicinam ; de se secura virtus, forinsecus non quærit auxilia; veritas non desiderat argumenta : ægroti est, remedia quærere ; inertis et imbecillis est, auxilia comparare : mendacis est, argumenta conquirere. Interea dixisti, apud hæreticos dotes Ecclesiæ esse non posse : et recte dixisti, scimus enim hæreticorum Ecclesias singulorum prostitutas, nullis legalibus sacramentis, et sine jure honesti matrimonii esse : quas nos necessarias recusat Christus, qui est sponsus

unius Ecclesiæ : sicut in Canticis Canticorum ipse testatur [1] : qui cum unam laudat, cæteras damnat, quia præter unam, quæ est vera catholica, cæteræ apud hæreticos putantur esse, sed non sunt : secundum quod indicat (ut supra diximus) in Canticis Canticorum, unam esse columbam suam, eamdem sponsam electam, eumdem hortum conclusum, et fontem signatum [2] : ut hæretici omnes neque claves habeant, quas solus Petrus accepit : nec annulum, quo legitur fons esse signatus : nec aliquem illorum esse, ad quem hortus ille pertineat, in quo Deus arbusculas plantat. De quibus hæreticis, quamvis ad præsentem non pertineat causam, quod diu locutus es, et suffecerat et abundabat. Sed miror, quid tibi visum est, etiam vos ipsos eis adjungere, quos esse schismaticos constat, dum Ecclesiæ dotes et hæreticis ipsis, et vobis schismaticis denegasti. Dixisti enim inter cætera, schismaticos a vite, velut sarmenta, esse concisos : destinatos pœnis, tanquam ligna arida, gehennæ ignibus reservari. Sed video te adhuc ignorare schisma, apud carthaginem a vestris principibus factum. Quære harum originem rerum, et invenies te hanc in vos dixisse sententiam, cum schismaticis hæreticos sociasti. Non enim Cæcilianus exivit a Majorino avo tuo : sed Majorinus a Cæciliano : nec Cæcilianus recessit, a cathedra Petri vel Cypriani : sed Majorinus, cujus tu cathedram sedes, quæ ante ipsum Majorinum originem non habebat. Et cum hæc ita gesta esse manifestissime constet, et vos hæredes esse traditorum et schismaticorum evidenter appareat : satis te miror, frater Parmeniane, cum schismaticus sis, schismaticos hæreticis jungere voluisse. Aut si sic tibi videtur, et ita placet, cumula illa quæ a te paulo ante sunt dicta. Dixisti enim fieri non posse, ut falso baptismate inquinatus abluat, immundus emundet, sup-

[1] Cant. VI. — [2] Id. IV, 1, 8, 15 et 16.

plantator erigat, perditus liberet, reus veniam tribuat, damnatus absolvat. Bene hæc omnia potuerunt ad solos hæreticos pertinere, qui falsaverunt symbolum : dum alter dixerit duos Deos, cum Deus unus sit; alter Patrem vult in persona Filii cognosci; alter carnem subducens Filio Dei, per quam Deo reconciliatus est mundus; et cæteri hujusmodi, qui a sacramentis catholicis alieni esse noscuntur. Quare pœniteat te talibus hominibus etiam schismaticos adjunxisse : in te enim convertisti sententiæ gladium, dum æstimas, quia alteros appetebas : et non attendisti inter schismaticos et hæreticos, quam sit magna distantia. Inde est, quod ignoras, et quæ sit sancta Ecclesia : et sic omnia miscuisti.

XI. Catholicam facit simplex et verus intellectus in lege, singulare ac verissimum sacramentum, et unitas animorum. Schisma vero, sparso coagulo pacis, dissipatis sensibus generatur, livore nutritur, æmulatione et litibus roboratur, ut deserta matre catholica, impii filii dum foras exeunt, et se separant (ut vos fecistis) a radice matris Ecclesiæ, invidiæ falcibus amputati, errando rebelles abscedunt : nec possunt novum aliquid, aut aliud agere, nisi quod jamdudum apud suam didicerunt matrem.

XII. Hæretici vero, veritatis exules, sani et verissimi symboli desertores, de sinu sanctæ Ecclesiæ impiis sensibus depravati, contempto quod bene fuerant geniti, ut ignorantes et rudes deciperent, de se nasci voluerunt. Et qui jamdudum vitalibus pasti fuerant cibis, corruptela malæ digestionis, in perniciem miserorum, disputationibus impiis venena mortifera vomuerunt. Vides ergo, frater Parmeniane, hæreticos a domo veritatis satis extorres, solos habere varia et falsa baptismata : quibus inquinatus non possit abluere, immundus emundare, supplantator erigere, perditus liberare, reus veniam tribuere, damnatus

absolvere. Bene clausisti hortum hæreticis : bene revocasti claves ad Petrum : bene abstulisti colendi potestatem, ne arbusculas colerent ii, quos ab hortulo et a paradiso Dei constat alienos : bene subduxisti annulum iis, quibus aperire non licet ad fontem. Vobis vero schismaticis, quamvis in catholica non sitis, hæc negari non possunt, quia nobiscum vera et communia sacramenta traxistis. Quare cum hæc omnia hæreticis bene negentur, quid tibi visum est, hæc et vobis negare voluisse, quod schismaticos esse manifestum est? vos enim foras existis. Quantum in nobis est, volebamus, ut soli damnarentur hæretici : quantum in te est, etiam vos ipsos, cum eis una sententia ferire voluisti.

XIII. Sed jam, ut ad propositum singularum rerum ordinem redeamus, primo loco audi, qui fuerint traditores, et plenius auctores schismatis disce. In Africa duo mala et pessima admissa esse constat, unum in traditione, alterum in schismate : sed utraque mala, et uno tempore, et iisdem auctoribus videntur esse commissa. Debes ergo, frater Parmeniane, discere, quod intelligeris ignorare. Nam ferme ante annos sexaginta, et quod excurrit, per totam Africam persecutionis est divagata tempestas : quæ alios fecerit martyres, alios confessores, nonnullos funestam prostravit in mortem, latentes dimisit illæsos. Quid commemorem laïcos, qui tunc in Ecclesia nulla fuerant dignitate suffulti? quid ministros plurimos? quid diaconos in tertio? quid presbyteros in secundo sacerdotio constitutos? Ipsi apices et principes omnium, aliqui episcopi illis temporibus, ut damno æternæ vitæ, istius incertæ lucis moras brevissimas compararent, instrumenta divinæ legis impie tradiderunt. Ex quibus erant Donatus Masculinatus, Victor Rusiccadensis, Marinus ab aquis Tibilitanis, Donatus Calamensis, et homicida Purpurius Limatensis : qui

interrogatus de filiis sororis suæ, quod eos in carcere Milei necasse diceretur, confessus est dicens : « Et occidi, et occido non eos solos, sed et quicumque contra me fecerit. » Et Menalius, qui ne thurificasse a suis civibus probaretur, oculorum dolorem fingens, ad consessum suorum procedere trepidavit.

XIV. Hi, et cæteri, quos principes tuos fuisse paulo post docebimus, post persecutionem apud Cirtam civitatem, (quia Basilicæ necdum fuerant restitutæ) in domum Urbani Carisi consederunt die III. Iduum Maïarum, sicut scripta Nundinarii tunc diaconi testantur, et vetustas membranarum testimonium perhibet, quas dubitantibus proferre poterimus. Harum namque plenitudinem rerum, in novissima parte istorum libellorum, ad implendam fidem adjunximus. Hi episcopi, interrogante Secundo Tigisitano, tradidisse confessi sunt. Et cum ipse Secundus a Purpurio increparetur, quod et ipse diu apud stationarios fuerit, et non fugerit, sed dimissus sit; non sine causa dimissum fuisse, nisi quia tradiderat : jam omnes erecti cœperant murmurare. Quorum spiritum Secundus metuens, consilium accepit a filio fratris sui Secundo minore, ut talem causam Deo servaret. Consulti sunt qui remanserant, id est, Victor Garbensis, Felix a Rotario, et Nabor a Centurionis. Ii dixerunt talem causam Domino debere reservari : et dixit Secundus : « Sedete omnes (3) : » tunc dictum est ab omnibus : « Deo gratias, » et sederunt. Habes ergo, frater Parmeniane, qui manifesto fuerint traditores.

XV. Deinde non post longum tempus, iidem ipsi, tot et tales, ad Carthaginem profecti traditores, thurati homicidæ, Majorinum (cujus tu cathedram sedes) post ordinationem Cæciliani ordinaverunt, schisma facientes. Et quoniam traditionis reos, principes vestros fuisse monstratum

est, consequens erit eosdem fuisse auctores schismatis. Quæ res, ut clara et manifesta esse omnibus possit, ostendendum est, ex qua radice sese usque in hodiernum erroris protenderint rami, et ex quo fonte rivulus iste maligni liquoris, occulte serpens, usque in tempora nostra manaverit. Dicendum est, unde et ubi et a quibus ortum constet hoc alterum malum; quæ convenerint causæ; quæ fuerint operatæ personæ; qui auctores hujus mali; qui nutritores; a quibus sint inter partes ab Imperatore postulata judicia; qui sederint judices; ubi sit actum concilium; quæ sint prolatæ sententiæ. De divisione agitur : et in Africa, sicut et in cæteris provinciis, una erat Ecclesia, antequam divideretur ab ordinatoribus Majorini, cujus tu hæreditariam cathedram sedes. Videndum est, quis in radice cum toto orbe manserit; quis foras exierit; quis cathedram sederit alteram, quæ ante non fuerat; quis contra altare altare erexerit; quis ordinationem fecerit, salvo altero ordinato; quis jaceat sub sententia Joannis apostoli, qui dixit multos Antichristos foras exituros : « Quia non » erant, inquit, nostri, nam si nostri essent, mansissent no» biscum [1]. » Ergo qui in uno cum fratribus manere noluit, hæreticos secutus, quasi Antichristus foras exivit.

XVI. Hoc apud Carthaginem post ordinationem Cæciliani factum esse, nemo est qui nesciat : per Lucillam scilicet, nescio quam fœminam factiosam : quæ ante concussam persecutionis turbinibus pacem, dum adhuc in tranquillo esset Ecclesia, cum correptionem archidiaconi Cæciliani ferre non posset : quæ ante spiritalem cibum et potum, os nescio cujus martyris, si tamen martyris, libare dicebatur : et cum præponeret calici salutari os nescio cujus hominis mortui, etsi martyris, sed necdum vindicati, correpta, cum confusione, discessit irata. Irascenti et

[1] 1 Joan. II, 19.

dolenti, ne disciplinæ succumberet, occurrit subito persecutionis enata tempestas.

XVII. Iisdem temporibus Felix quidam diaconus, qui propter famosam nescio quam, de tyranno Imperatore (4) tunc factam epistolam, appellatus est, periculum timens, apud Mensurium episcopum delituisse dicitur. Quem cum postulatum Mensurius publice denegaret, relatio missa est; rescriptum venit, ut si Mensurius Felicem diaconum non reddidisset, ad palatium dirigeretur. Conventus non leves patiebatur angustias; erant enim Ecclesiæ ex auro et argento quam plurima ornamenta, quæ nec defodere terræ, nec secum portare poterat. Quæ quasi fidelibus, senioribus commendavit, commemoratorio facto, quod cuidam aniculæ dedisse dicitur; ita ut si ipse non rediret, reddita pace Christianis, anicula illi daret, quem in episcopali cathedra sedentem inveniret. Profectus causam dixit; jussus est reverti; ad Carthaginem pervenire non potuit.

XVIII. Tempestas persecutionis peracta, et definita est. Jubente Deo, indulgentiam mittente Maxentio, Christianis libertas est restituta. Botrus et Celestius, ut dicitur, apud Carthaginem ordinari cupientes, operam dederunt, ut absentibus Numidis, soli vicini episcopi peterentur, qui ordinationem apud Carthaginem celebrarent. Tunc suffragio totius populi Cæcilianus eligitur; et manus imponente Felice Autumnitano, episcopus ordinatur. Botrus et Celestius de spe sua dejecti sunt. Brevis auri et argenti sedenti Cæciliano, sicuti delegatum a Mensurio fuerat, traditur, adhibitis testibus. Convocantur supra memorati seniores, qui faucibus avaritiæ commendatam ebiberant prædam. Cum reddere cogerentur, subduxerunt communioni pedem. Non minus et ambitores, quibus et ordinari non contigit; necnon et Lucilla, quæ jamdudum ferre non potuit disciplinam; cum omnibus suis potens et factiosa fœmina,

communioni misceri noluit. Sic tribus convenientibus causis et personis, factum est, ut malignitas, haberet effectum.

XIX. Schisma igitur illo tempore confusæ mulieris iracundia peperit, ambitus nutrivit, avaritia roboravit. Ab his tribus personis contra Cæcilianum causæ confictæ sunt, ut vitio diceretur. Ad Secundum Tigisitanum missum est, ut Carthaginem veniretur; proficiscuntur omnes supra memorati traditores, suscepti hospitio ab avaris, ab ambitoribus, ab iratis; non a catholicis, quorum petitione Cæcilianus fuerat ordinatus. Interea ad Basilicam, ubi cum Cæciliano tota civica frequentia fuerat, nullus de supradictis accessit. Tunc a Cæciliano mandatum est : « Si est quod in me probetur, exeat accusator et probet. » Illo tempore a tot inimicis nihil in eum potuit confingi; sed de ordinatore suo, quod ab iis falso traditor diceretur, meruit infamari. Iterum a Cæciliano mandatum est, ut si Felix in se, sicut illi arbitrabantur, nihil contulisset, ipsi tanquam adhuc diaconum ordinarent Cæcilianum. Tunc Purpurius solita malitia fretus, quasi et Cæcilianus filius sororis ejus esset, sic ait : « Exeat huc quasi imponatur illi manus in episcopatu, et quassetur illi caput de pœnitentia. » His rebus compertis, tota Ecclesia Cæcilianum retinuit, ne se latronibus tradidisset. Illo tempore aut reus de sede debebat expelli, aut communicari debuit innocenti. Conferta erat Ecclesia populis; plena erat cathedra episcopalis; erat altare loco suo, in quo pacifici episcopi retro temporis obtulerant, Cyprianus, Lucianus et cæteri. Sic exitum est foras, et altare contra altare erectum est ; et ordinatio illicite celebrata est ; et Majorinus, qui lector in diaconio Cæciliani fuerat, domesticus Lucillæ, ipsa suffragante, episcopus ordinatus est a traditoribus, qui in concilio Numidiæ (ut superius diximus) crimina sua sibi confessi sunt, et indul-

gentiam sibi invicem tribuerunt. Manifestum est ergo exiisse de Ecclesia et ordinatores qui tradiderunt, et Majorinum, qui ordinatus est.

XX. Interea de suorum criminum fonte, qui apud eos multorum flagitiorum venis exuberaverat, unum traditionis convicium in ordinatorem Cæciliani derivandum esse putaverunt; providentes quod fama duas res similes uno tempore loqui non posset; ut crimina in silentium mitterent sua, vitam infamare conati sunt alienam; et cum possent ipsi ab innocentibus argui, innocentes arguere studuerunt, mittentes ubique litteras livore dictante conscriptas, quas inter cæteros actus habemus in posterum. Adhuc Carthagine positi præcesserunt se epistolis suis, ut rumoribus falsis cunctorum auribus insererent mendacium, sparsa fama per populos; et dum de uno celebrata sunt falsa, supradictorum verissima crimina sub silentio latuerunt. Frequenter solet erubesci de crimine; sed illo tempore non fuit cui erubesceretur; quia præter paucos catholicos, peccaverant universi; et quasi imago fuerat innocentiæ, inter multos nefas admissum. Parum erat traditionis facinus, quod per Donatum Masculitanum et cæteros supradictos constabat admissum; etiam ingens flagitium schismatis traditioni junxerunt.

XXI. Vides ergo, frater Parmeniane, hæc duo crimina tam mala, tam gravia, traditionis et schismatis, ad tuos principes pertinere. Agnosce vel sero incurrisse te in tuos, dum insectaris alienos; et cum priores tuos constet operatos esse hoc alterum nefas, etiam vos sceleratis vestigiis sequi laboratis; ut quod illi priores in titulo schismatis fecerant, et vos jamdudum fecisse et nunc facere videamini. Illi ruperunt suis temporibus pacem; vos exterminatis unitatem. De parentibus vestris et de vobis merito dici potest : « Cæcus cæcum si duxerit, utrique in foveam

» cadunt [1]. » Oculos patrum vestrorum furiosus excæcaverat livor, æmulatio vestros orbavit. Schisma summum malum esse et vos negare minime poteritis. Et tamen Dathan et Abiron et Core, perditos magistros vestros, sine trepidatione estis imitati; nec ponere ante oculos voluistis, hoc malum et verbis Dei esse prohibitum, et admissum graviter vindicatum. Deinde esse distantiam delictorum, aut remissio testatur aut pœna. Denique inter cætera præcepta etiam hæc tria jussio divina prohibuit : « Non occides, non ibis » post Deos alienos [2]. » Et in capitibus mandatorum, « Non » facies schisma. » Videamus de his tribus, quid oportuit puniri, et quid meruit relaxari. Parricidium principale delictum est; et tamen Caïn nec reus a Deo percutitur, sed occisus insuper vindicatur [3]. In Ninive civitate hominum numero centum viginti millia sacrilega, quæ deos alienos sequi videbantur; post iracundiam Dei, et nuntium Jonæ prophetæ, jejunium parvi temporis et oratio indulgentiam meruit [4]. Videamus si aliquid tale consecuti sunt hi, qui populos Dei primitus ausi sunt scindere. Tot millibus filiorum Israël, quorum a cervicibus divina providentia jugum servile dejecerat, Aaron sanctum unum præfecerat sacerdotem [5]. Sed cum ministri ejus sacerdotium non sibi debitum concupiscentes, seducta parte populi illicite invaderent, ritum imitati sacrorum, ducentos, et quod excurrit, ministros secum perituros, cum thuribulis in fronte seducti populi posuerunt; Deus, cui displicet schisma, hoc libenter videre non potuit. Indixerant quodammodo Deo bellum, quasi esset alter Deus, qui alterum acciperet sacrificium. Igitur Deus pro neglectis mandatis suis iratus est ira magna, et quod in sacrilegos et parricidam non feceral, in schismaticos fecit. Stabat

[1] Matth. xv, 14. — [2] Exod. xx, 3 et 13, et Deut. vi, 14. — [3] Gen. iv. — [4] Jon. iii. — [5] Num. xvi.

ministrorum acies et multitudo sacrilega, cum interdictis sacrificiis suis illico peritura; negatum et subductum est pœnitentiæ tempus, quia non talis erat culpa quæ veniam mereretur. Mandata est terræ fames; statim fauces suas in populi divisores aperuit, et contemptores mandatorum Dei, avido ore absorbuit. Intra momenti spatium, ad transglutiendos prædictos terra patuit, rapuit, clausa est. Et ne beneficium de mortis compendio consequi viderentur, dum non essent digni vivere, iis nec mori concessum est; tartareo carcere subito clausi, ante sunt sepulti quam mortui. Et miramini vobis aliquid tale aspere factum, qui schisma aut facitis aut colitis, cum videatis quid magistri primi schismatis pati meruerunt. An quia cessat talis modo vindicta, ideo tibi cum tuis vindicas innocentiam? Deus in singulis rebus exemplorum posuit formam; ut sit quod imputet imitantibus; prima peccata ad exemplum præsens pœna compressit, secunda judicio reservabit. Quid ad hæc dicturi estis, qui schisma, usurpato Ecclesiæ nomine, et occulte nutritis, et impudenter defenditis?

XXII. Sed quia audio aliquos de societate tua, ligitandi studio chartas habere nescio quas, quærendum est quibus sit accommodanda fides, quæ cum ratione concordent, quæ cum veritate confibulent? Vestræ, si sunt aliquæ, mendaciis forte videantur aspersæ. Nostras chartas probant et conflictus causarum, et contentiones partium, et exitus judiciorum, et epistolæ Constantini. Nam quod de nobis dicitis, quid christianis cum regibus? aut quid episcopis cum palatio? Si nota est nosse reges, vos tota perfundit invidia. Nam majores vestri, Lucianus, Dignus, Nasutius, Capito, Fidentius, et cæteri, imperatorem Constantinum, harum rerum adhuc ignarum, his precibus rogaverunt, quarum exemplum infra scriptum est : « Rogamus te, Constantine optime imperator, quoniam de genere justo es, cujus pater

inter cæteros imperatores persecutionem non exercuit, et ab hoc facinore immunis est Gallia. Nam in Africa inter nos et cæteros episcopos contentiones sunt; petimus, ut de Gallia nobis judices dari præcipiat pietas tua. Datæ a Luciano, Digno, Nasutio, Capitone, Fidentio, et cæteris episcopis partis Donati. »

XXIII. Quibus lectis, Constantinus pleno livore respondit. In qua responsione et eorum preces prodidit, dum ait: « Petitis a me in sæculo judicium, cum ego ipse Christi judicium expectem. » Et tamen dati sunt judices, Maternus ex Agrippina civitate, Reticius ab Augustoduno civitate, Marinus Arelatensis. Ab urbem Romam ventum est ab his tribus Gallis, et ab aliis quindecim Italis. Convenerunt in domum Faustæ in Laterano, Constantino quater et Licinio ter consulibus, sexto nonas Octobris die, sexta feria. Cum consedissent Miltiades episcopus urbis Romæ, et Reticius et Maternus et Marinus episcopi gallicani; et Merocles a Mediolano, Florianus a Sinna, Zoticus a Quintiano, Stennius ab Arimino, Felix a Florentia Tuscorum, Gaudentius a Pisis, Constantius a Faventia, Proterius a Capua, Theophilus a Benevento, Sabinus a Terracina, Secundus a Præneste, Felix a tribus Tabernis, Maximus ab Ostia, Evandrus ab Ursino, Donatianus a Foro Claudii.

XXIV. His decem et novem consedentibus episcopis, causa Donati et Cæciliani in medium missa est. A singulis in Donatum sunt hæc sententiæ latæ. Quod confessus sit rebaptizasse, et episcopis lapsis manum imposuisse; quod ab Ecclesia alienum est. Testes inducti a Donato, confessi sunt se non habere quod in Cæcilianum dicerent. Cæcilianus omnium supra memoratorum sententiis innocens est pronuntiatus : etiam Miltiadis sententia, qua judicium clausum est his verbis : « Cum constiterit Cæcilianum ab iis, qui cum Donato venerunt, juxta professionem suam

non accusari : nec a Donato convictum esse in aliqua parte constiterit : suæ communioni ecclesiasticæ integro statu retinendum merito esse censeo. »

XXV. Sufficit ergo et Donatum tot sententiis esse percussum, et Cæcilianum tanto judicio esse purgatum. Et tamen Donatus appellandum esse ab episcopis credidit. Ad quam appellationem Constantinus imperator sic respondit : « O rabida furoris audacia ! » sicut in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.

XXVI. Eodem tempore idem Donatus petiit, ut ei reverti licuisset, et nec ad Carthaginem accederet. Tunc a Filumino, suffragatore ejus, imperatori suggestum est, ut bono pacis Cæcilianus Brixiæ retineretur : et factum est. Tunc duo episcopi ad Africam missi sunt Eunomius et Olympius. Venerunt, et apud Carthaginem fuerunt per dies quadraginta, ut pronuntiarent ubi esset Catholica. Hoc seditiosa pars Donati fieri passa non est : de studio partium strepitus quoditiani sunt habiti. Novissima sententia eorumdem episcoporum Eunomii et Olympii talis legitur; ut dicerent « Illam esse Catholicam, quæ esset in toto orbe terrarum diffusa, et sententiam decem et novem episcoporum jamdudum datam dissolvi non posse. » Sic communicaverunt clero Cæciliani, et reversi sunt. De iis rebus habemus volumina actorum, quod si quis voluerit, in novissimis partibus legat. Cum hæc fierent, Donatus ultro prior ad Carthaginem redit. Hoc audito, Cæcilianus ad suam plebem properavit. Hoc modo iterum renovellatæ sunt partes. Constat tamen et Donatum tot sententiis esse percussum, et Cæcilianum innocentem totidem sententiis pronuntiatum.

XXVII. Sed quia in ipsa causa jamdudum in Catholica duorum videbantur laborare personæ, et ordinati et ordinatoris, postquam ordinatus in urbe purgatus est, et

purgandus adhuc remanserat ordinator. Tunc Constantinus ad Ælianum proconsulem scripsit, ut, remotis necessitatibus publicis, de vita Felicis Autumnitani publice quæreretur. Sedit is, cui erat indictum. Inducti sunt Claudius Saturianus, curator reipublicæ, qui fuit tempore persecutionis in civitate Felicis, et curator præsentis tunc temporis quando causa flagitabatur, Callidius Gratianus, et magistratus Alfius Cæcilianus, sed et Superius stationarius perductus, et Ingentius scriba publicus pependit sub metu imminentium tormentorum. Responsis omnium nihil tale inventum est in vita Felicis episcopi, propter quod ordinare non potuisset. Habetur volumen actorum, in quo continentur præsentium nomina, qui fuerant in causa Claudii Saturiani curatoris, et Cæciliani magistratus, et Superii stationarii, et scribæ Ingentii, et Solonis officialis publici ipsius temporis. Post quorum responsa, a supra memorato proconsule hæc pars sententiæ dicta est : « Felicem autem, religiosum episcopum, liberum esse ab exustione instrumentorum manifestum est, cum nemo in eum aliquid probare potuerit, quod religiosissimas scripturas tradiderit vel exusserit. Omnium enim interrogatio suprascriptorum manifesta est, nullas scripturas deificas, vel inventas, vel corruptas, vel incensas fuisse. » Hoc actis continetur, quod Felix episcopus religiosus, illis temporibus, neque præsens fuerit, neque conscientiam accommodaverit, neque aliquid tale fieri jusserit. Unde pulsa atque extersa infamia, cum ingenti laude de illo judicio recessit. Jamdudum opinionis incertæ, et inter caligines, quas livor et invidia exhalaverat, latere veritas videbatur. Sed etiam omnis scriptura memorata, et actorum voluminibus, et epistolis commemoratis aut lectis revelata est.

XXVIII. Vides, frater Parmeniane, in catholicos traditorum nomine falso objecto, frustra esse inventum, mutans

videlicet personas, et transferens merita : clausisti oculos, ne parentes tuos reos agnosceres : aperuisti eos, ut innocentes et indignos crimini copulares. Omnia pro tempore, nihil pro veritate : ut et de te dixerit beatissimus apostolus Paulus : « Quidam autem conversi sunt in vaniloquium, » volentes se esse legis doctores, non intelligentes quæ » dicunt, neque de quibus affirmant [1]. » Paulo ante docuimus vestros parentes fuisse traditores et schismatos : et tu ipsorum hæres, nec schismaticis, nec traditoribus parcere voluisti. Jam igitur documentis supra memoratis, omnia tela, quæ falso in alienos jactare voluisti, veritatis clipeo repulsa, in tuos parentes reciproco ictu vertuntur. Omnia igitur, quæ a te in traditores et schismaticos dici potuerunt, vestra sunt : nam nostra non sunt, qui et in radice manemus, et in toto orbe terrarum cum omnibus sumus.

[1] 1 Tim. 1, 6, 7.

LIBER II.

In hoc secundo libello declaratur, quæ sit una et vera Ecclesia catholica, et ubi et apud quos maneat, et quinque dotes Ecclesiæ in Catholica esse magis, quam in ea parte quam sibi schismatici facere voluerunt, et quod impie novacula pœnitentiæ raserint capita sacerdotum, et quod homicidia fecerint, et illa, quæ ad salutem credentium procurata fuerant, aut canibus dederint, aut abjecerint.

ARGUMENTUM.

I. *Quid sit et ubi sit catholica Ecclesia et quod ubique terrarum diffusa.* II. *Cathedram, primam Ecclesiæ dotem, Catholicorum esse, non Donatistarum probat ex Cathedra Petri.* III. *Successio romanorum episcoporum.* IV. *Pseudo-episcopi et conventicula Donatistarum in urbe Roma.* V. *Donatistæ scissuræ auctores pacis inimici.* VI. *De Angelo, secundo Ecclesiæ dote, eum non esse apud Donatistas.* VII. *Spiritum sanctum esse in Ecclesia, non apud Donatistas.* VIII. *De fonte, sigillo et umbilico, notis Ecclesiæ.* IX. *Dotes Ecclesiæ esse apud Catholicos, neutiquam apud Donatistas.* X. *Apud Catholicos esse vera Ecclesiæ sacramenta.* XI. *Ecclesiam paradisum merito dici, sed toti terrarum orbi respondentem.* XII. *Ex oblationis oratione unam et ubique diffusam Ecclesiam colligi.* XIII. *Laudes Ecclesiæ commemoratas a Parmeniano Catholicis convenire.* XIV. *Catholicos nihil crudeliter egisse.* XV. *Pax et felicitas Ecclesiæ ante quam turbare-*

tur a Donatistis. XVI. *Juliani edictum in gratiam Donatistarum.* XVII. *Donatistarum furor et crudelitas.* XVIII. *Donatistarum cædes et facinora.* XIX. *Eucharistia a Donatistis canibus data, ampulla charismatis in præceptis projecta, aliaque eorum sacrilegia.* XX. *Contra Donatistas, qui se sanctos dicunt, nullum hominem esse a peccato immunem et perfectum.* XXI. *Reprehenduntur Donatistæ quod episcopos dignitate spoliarint et pænitentiæ laboribus subjecerint.* XXII. *Impietas Donatistarum, qui per suos jurabant episcopos.* XXIII. *Reprehenduntur Donatistæ quod unctorum Dei sacerdotum capita raserint.* XXIV. *Injuria facta a Donatistis omni hominum generi et ætati per impositionem manuum in pænitentiam.* XXV. *Iterum in Donatistas, qui sacerdotes innocentes dignitate et honore spoliabant et pænitentiæ addicebant.* XXVI. *Matronæ, pueri, virgines, immerito a Donatistis pænitentiæ addictæ.*

I. Quoniam [1] et qui fuerint traditores ostensum est, et schismatis origo ita monstrata est, ut pene oculis perspecta videatur; etiam hæresis ab schismate quid distet, ostendimus : illud demonstrare jam proximum est (quod nos promisimus secundo loco esse dicturos) quæ sit una Ecclesia, quam columbam et sponsam Christus appellat. Ergo Ecclesia una est, cujus sanctitas de sacramentis colligitur; non de superbia personarum ponderatur : ergo hanc unam columbam et dilectam sponsam suam Christus appellat. Hæc apud omnes hæreticos et schismaticos esse non potest. Restat ut uno loco sit. Eam tu, frater Parmeniane, apud vos solos esse dixisti; nisi forte quia vobis specialem sanctitatem de superbia vindicare contenditis; ut ubi vultis, ibi sit Ecclesia; et non sit, ubi non vultis. Ergo ut in particula Africæ, in angulo

[1] Vide D. Guillon, tom. v, pag. 263-269.

parvæ regionis, apud vos esse possit, apud nos in alia parte Africæ non erit? In Hispaniis, in Gallia, in Italia, ubi vos non estis, non erit? Si apud vos tantummodo esse vultis, in tribus Pannoniis, in Dacia, Mœsia, Thracia, Achaïa, Macedonia, et in tota Græcia, ubi vos non estis, non erit? Ut apud vos esse possit, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Pamphilia, Phrygia, Cilicia, et in tribus Syriis, et in duabus Armeniis, et in tota Ægypto, et Mesopotamia, ubi vos non estis, non erit? Et per tot innumerabiles insulas, et cæteras provincias, quæ numerari vix possunt, ubi vos non estis, non erit? Ubi ergo erit proprietas catholici nominis, cum inde dicta sit catholica, quod sit rationabilis et ubique diffusa? Nam si sic pro voluntate vestra in angustum coarctatis Ecclesiam : si universas subducitis gentes, ubi erit illud, quod Filius Dei meruit? ubi erit quod libenter ei largitus est Pater, in secundo Psalmo dicens : « Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem » tuam terminos terræ [1]? » Ut quid tale infringitis promissum, ut a vobis mittatur quasi in quemdam carcerem latitudo regnorum? quid tantæ pietati obstare contenditis? quid contra Salvatoris merita militatis? permittite Filium possidere concessa : permittite Patri promissa complere. Cur ponitis metas? cur figitis limites? Cum a Deo patre Salvatori tota terra promissa sit, non est quidquam in aliqua parte terrarum, quod a possessione ejus videatur exceptum. Tota est donata terra cum gentibus; totus orbis Christo una possessio est. Hoc probat Deus, qui ait : « Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem » tuam, terminos terræ. » Et in septuagesimo primo Psalmo de ipso Salvatore sic scriptum est : « Dominabitur a mari » usque ad mare, et a fluminibus usque ad terminos orbis » terræ [2]. » Pater dum donat, nihil excipit : vos ut conce-

[1] Psal. II, 8. — [2] Id. LXXI, 8.

datis unicam, totam libram auferre conamini. Et adhuc nitimini suadere hominibus apud vos solos esse Ecclesiam; auferentes meritum Christo, negantes præstitutum a Deo. O vestra ingrata et stulta præsumptio! Christus vos cum cæteris in societatem regni cœlestis invitat, et cohæredes sitis, hortatur : et vos eum in hæreditate sibi a Patre concessa fraudare laboratis, dum Africæ partem conceditis, et totum terrarum orbem, qui ei a Patre donatus est, denegatis. Quid mendacem videri vultis Spiritum sanctum, qui in quadragesimo-nono Psalmo, omnipotentis Dei benevolentiam narrat, dum dicit : « Deus Deorum Dominus locu» tus est, et vocavit terram, ab ortu solis usque ad occa» sum [1]. » Vocata est ergo terra ut caro fieret, et sicut legitur, facta est, et debet laudes Creatori suo. Denique commemoratur, Spiritu sancto hortante, et dicente in centesimo-duodecimo Psalmo, dum dicit : « Laudandum » nomen Domini ab ortu solis ad occasum [2] : » et iterum in nonagesimo-quinto Psalmo : « Cantate Domino canti» cum novum [3]. » Si hunc versum solum diceret, possetis dicere, quia vos solos hortatus est Spiritus sanctus. Sed ut ostenderet, quia non ad vos solos dictum est; sed ad Ecclesiam, quæ ubique est, secutus est, dicens : « Cantate » Domino omnis terra : pronuntiate in gentibus gloriam » ipsius, in omnibus populis mirabilia ejus [4]. Pronuntiate, » inquit, in gentibus : » non dixit in particula Africæ, ubi vos estis? « Pronuntiate, inquit, in omnibus populis : » qui omnes populos dixit, neminem excipit : et vos solos ab omnibus populis, de quibus hoc mandatum est, separatos esse gratulamini : et vultis vos solos esse totum, qui in omni toto non estis. « Laudandum, inquit, nomen Domini, et » a tota terra, et ab ortu solis usque ad occasum. » Numquid pagani extra legales possunt aut cantare Deo, aut laudare

[1] Psal. XLIX, 1. — [2] Id. CXII, 5. — [3] Id. XCV, 1. — [4] Ibid. 1-3.

nomen Domini, et non sola Ecclesia, quæ in lege est? quam si apud vos tantummodo esse dicitis, fraudatis aures Dei. Si vos soli laudatis, totus tacebit orbis, qui est ab ortu solis usque ad occasum. Clausistis ora omnium christianarum gentium : indixistis silentium populis universis, Deum per momenta laudare cupientibus. Igitur si et Deus debitas sibi laudes expectat, et ut sonent, Spiritus sanctus hortatur, et totus orbis quod debet Deo, paratus est reddere, ne fraudetur Deus : etiam vos ipsi laudate cum omnibus; aut quia noluistis esse cum omnibus, soli conticescite.

II. Ergo probavimus eam esse Ecclesiam catholicam, quæ est in toto terrarum orbe diffusa, ejus jam commemoranda sunt ornamenta : et vivendum ubi sint quinque dotes, quas tu sex esse dixisti : inter quas cathedra est prima, ubi nisi sederit episcopus, conjungi altera dos non potest, qui est Angelus : videndum est quis et ubi prior cathedram sederit. Si ignoras, disce : si nosti, erubesce : ignorantia tibi ascribi non potest : restat ergo ut noveris. Scientem errare peccatum est; nam ignorantibus nonnunquam solet ignosci. Igitur negare non potes scire te in urbe Roma Petro primo Cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus; unde et Cephas appellatus est : in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur; ne cæteri Apostoli singulas tibi quisque defenderent : ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram, alteram collocaret.

III. Ergo cathedram unicam, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus : cui successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Evaristus, Evaristo (Alexander, Alexandro) Sixtus, Sixto Telesphorus, Telesphoro Iginus, Igino Anicetus, Aniceto Pius, Pio Soter, Soteri (Eleutherius, Eleutherio) Victor, Victori Zephiri-

nus, Zephirino Calixtus, Calixto Urbanus, Urbano Pontianus, Pontiano Anterus, Antero Fabianus, Fabiano Cornelius, Cornelio Lucius, Lucio Stephanus, Stephano Sixtus, Sixto Dionysius, Dionysio Felix, Felici (Eutychianus, Eutychiano Caius, Caio) Marcellinus, Marcellino (Marcellus, Marcello) Eusebius, Eusebio Miltiades, Miltiadi Sylvester, Sylvestro Marcus, Marco Julius, Julio Liberius, Liberio Damasus, Damaso Siricius, hodie qui noster est socius : cum quo nobiscum totus orbis commercio formatarum (5), in una communionis societate concordat. Vestræ cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare.

IV. Sed et habere vos in urbe Roma partem aliquam dicitis, ramus est vestri erroris, protentus de mendacio, non de radice veritatis. Denique si Macrobio dicatur, ubi illic sedeat, numquid potest dicere in cathedra Petri? quam nescio si vel oculis novit, et ad cujus memoriam non accedit quasi schismaticus, contra Apostolum faciens, qui ait : « Memoriis sanctorum communicantes [1]. » Ecce præsentes sunt ibi duorum memoriæ Apostolorum. Dicite si ad has ingredi potuit; aut obtulit illic, ubi sanctorum memorias esse constat. Ergo restat, ut fateatur socius vester Macrobius se ibi sedere, ubi aliquando sedit Encolpius : si et ipse Encolpius interrogari posset, diceret se ibi sedere ubi ante sedit Bonifacius Ballitanus : deinde si et ipse interrogari posset, diceret, ubi sedit Victor Garbensis, a vestris jamdudum de Africa ad paucos erraticos missus. Quid est hoc, quod pars vestra in urbe Roma episcopum civem habere non potuit? quid est, quod toti Afri et peregrini, in illa civitate sibi successisse noscuntur? non apparet dolus? non factio, quæ mater est schismatis? Interea Victor Garbensis, ut hinc prior mitteretur, non dico lapis in fon-

[1] Rom. XII, 13.

tem; quia nec valuit puritatem catholicæ multitudinis perturbare: sed quia quibusdam Afris urbica placuerat commoratio; et hinc a vobis profecti videbantur, ipsi petierunt, ut aliquis hinc, qui illos colligeret, mitteretur. Missus est igitur Victor: erat ibi filius sine patre, tiro sine principe, discipulus sine magistro, sequens sine antecedente, inquilinus sine domo, hospes sine hospitio, pastor sine grege, episcopus sine populo. Non enim grex aut populus appellandi fuerant pauci, qui inter quadraginta, et quod excurrit, basilicas, locum, ubi colligerent, non habebant. Sic speluncam quamdam foris a civitate, cratibus sepserunt, ubi ipso tempore conventiculum habere potuissent: unde Montenses appellati sunt. Igitur, quia Claudianus Luciano, Lucianus Macrobio, Macrobius Encolpio, Encolpius Bonifacio, Bonifacius Victori successisse videntur: si Victori diceretur, ubi sederit? nec ante se aliquem illic fuisse monstraret, nec cathedram aliquam, nisi pestilentiæ ostenderet. Pestilentia enim morbis extinctos homines ad inferos mittit qui inferi portas suas habere noscuntur; contra quas portas, claves salutares accepisse legimus Petrum, principem scilicet nostrum; cui a Christo dictum est: « Tibi dabo claves regni cœlorum, et portæ inferorum non vincent eas[1]. »

V. Unde est ergo, quod claves regni cœlorum vobis usurpare contenditis, qui contra cathedram Petri, vestris præsumptionibus et audaciis, sacrilegio militatis? beatitudinem repudiantes, qua laudari meruit, « Qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit[2]. » In consilio impietatis itum est a majoribus vestris, ut divideretur Ecclesia. Inierunt etiam peccatorum viam, dum Christum partiri conati sunt, cujus Judæi nec vestimenta scindere voluerunt: cum apostolus Paulus clamet, et dicat: « Numquid divisus est

[1] Matth. XVI, 18, 19. — [2] Psal. I, 1.

» Christus [1] ? » Et utinam, si jam malam viam intraverant, agnito peccato, super se reverterentur, id est, emendarent quod erraverant ; revocarent quam fugaverant pacem. Hoc erat de via reverti : in via enim ambulatur, non statur. Sed quia parentes vestri reverti noluerunt, ipsos constat in via peccatorum stetisse. Quorum gressus impulerat furor, retentos ligavit pigra discordia : et ne regredi ad meliora potuissent, ipsi sibi schismatis compedes posuerunt, ut in errore suo pertinaciter starent, ne ad pacem, quam deseruerant, reverti potuissent. Nec audierunt Spiritum sanctum, dicentem in Psalmo trigesimo-tertio : « Diverte a » malo, et fac bonum : inquire pacem, et persequere eam [2] : » sed steterunt in via peccatorum suorum. Sederunt etiam in cathedra pestilentiæ, quæ (ut supra diximus) seductos mittit ad mortem. Sed et dum vos parentum errorem colentes, studiose defenditis, hæredes sceleris esse voluistis, cum filii pacis vel sero esse possetis. Cum in Ezechiele propheta scriptum sit : « Extolle vocem tuam super filium pec» catoris, ne vestigia patris sui sequatur, quoniam anima » patris mea est, et anima filii mea est. Anima quæ peccat, » sola punietur [3] : » si displiceret vobis quod parentes vestri peccaverunt, de admissu suo soli redderent rationem : hoc modo vel vos beati esse possetis, et laudem de ore Prophetæ percipere, qui aït in Psalmo primo : « Beatus vir, » qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum » non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit ; sed in » lege Domini voluntas ejus [4]. » Quid est aliud in lege habere voluntatem, nisi divina præcepta et religiose discere, et cum timore complere ? in qua lege scriptum est, (in Evangelio) : « Pax hominibus in terra bonæ voluntatis [5] : » et alio loco (in Esaïa propheta) ; « Ponam fundamenta

[1] 1 Cor. 1, 13. — [2] Psal. XXXIII, 15. — [3] Ezech. XVIII, 4, 19 et 20. — [4] Psal. 1, 1, 2. — [5] Luc. II, 14.

» pacis in Sion [1] : » et alio loco (in Psalmo octogesimo-quarto) : « Videamus quid loquatur Dominus : quoniam » loquetur pacem in plebem suam [2] : » et alio loco (in Psalmo septuagesimo-quinto) : « Venit filius Dei, et factus est in » pace locus ejus [3] : » et alio loco (in Psalmo septuagesimo-primo) : « Suscipiant montes pacem populo, et colles jus- » titiam [4] : » et in Evangelio, « Pacem meam do vobis, pa- » cem meam relinquo vobis [5] : » et Paulus ait : « Qui pacem se- » rit, pacem et metet [6] : » et in omnibus Epistolis suis, « Pax in » vobis abundet : » et in Psalmo trigesimo-tertio. « Quære pa- » cem, et consequeris eam [7]. » Fugata recesserat pax a patribus vestris, vos eam, sicuti a Deo mandatum est, quærere deberetis, quam nec ultro voluistis quærere, nec oblatam libenter accipere. Quis enim in tot provinciis, quibus nati estis, audivit? et si aliquis audivit, quis non vestrum miretur errorem? quis non vestrum facinus damnet? Igitur cum manifestum sit, et ipsa luce sit clarius nos cum tot innumerabilibus populis esse, et tot provincias nobiscum : jam videtis vos in parte unius regionis positos, et ab Ecclesia vestris erroribus esse separatos, frustra vobis solis hoc nomen Ecclesiæ cum suis dotibus vindicare, quæ magis apud nos sunt, quam apud vos : quas constat ita sibi connexas et individuas esse, ut intelligatur unam ab altera separari non posse. Etenim numerantur in nomine, sed uno intellectu suo junguntur in corpore : ut in manu digiti, quos intervallis singulos videmus esse distinctos. Unde, ut tenet unum, totos teneat necesse est, cum unusquisque a patribus separari non possit. Adde quod non unam solam, sed omnes proprie possidemus.

VI. Igitur de dotibus supradictis cathedra est (ut diximus) prima, quam probavimus per Petrum nostram esse,

[1] Isaï. LX, 17. — [2] Psal. LXXXIV, 9. — [3] Id. LXXV, 3. — [4] Id. LXXI, 3. — [5] Joan. XIV, 27. — [6] 2 Cor. IX. — [7] Psal. XXXIII, 15.

quæ ducit ad se Angelum. Nisi forte eum vobis vindicantes, habetis in loculis clausum. Mittite illum si potestis, excludat septem Angelos, qui sunt apud socios nostros in Asia, ad quorum ecclesias scribit Joannes apostolus; cum quibus ecclesiis nullum communionis probamini habere consortium. Unde vobis Angelum, qui apud vos possit fontem movere, aut inter cæteras dotes Ecclesiæ numerari. Extra septem ecclesias [1], quidquid foris est, alienum est : aut si inde habetis aliquem unum, per unum communicatis et cæteris Angelis, et per Angelos supra memoratis ecclesiis, et per ipsas ecclesias nobis. Si ita est, litigium perdidistis.

VII. Ecce jam apud vos dotes esse non possunt; non enim Spiritum Dei solvi vobis vindicare potestis, aut includere, quod intelligitur et non videtur. Sic enim in Evangelio scriptum est : « Nam Spiritus Deus est, et ubi vult » aspirat, et vocem ejus audis, et nescis unde veniat et » quo eat [2]. » Permittite Deum inde velit ire, et quo velit accedere habeat libertatem : qui audiri potest et videri non potest. Et tamen studio criminandi libenter blasphemare voluisti, ut diceres : « Nam in illa Ecclesia quis spiritus esse potest, nisi pariat filios gehennæ? » Vomuisti de pectore tuo convicium, et putasti adjungendum esse de Evangelio testimonium, ubi lectum est : « Væ vobis, hypocritæ, qui » circuitis maria et terras, ut faciatis unum proselytum, et » cum inveneritis, facitis eum filium gehennæ dupliciter, » quam vos estis [3]. » Si hoc convicium faciendum erat, quod non licet : quamvis sine causa fiat, utinam aliquis ex vestro numero hoc dixisset : et tamen te hoc dixisse satis admiror, id falso in alterum dicere, ex quo, si ordinationem tuam consideres, possis et erubescere. Commemorasti enim lectum esse in Evangelio : « Væ vobis, hypocritæ, qui cir-

[1] Apoc. I, 4. — [2] Joan. III, 8. — [3] Matth. XXIII, 15.

» cuitis maria et terras, ut faciatis proselytum, » hoc est, ut mutetis alicujus sectam. Tu quidem cujus sectæ fueris nescio : tamen importune a te hoc dictum est : æstimo quod te jam forte hujus dicti pœniteat. Numquid non aliquas peragravimus terras? numquid nos aliqua circumivimus maria? numquid nos ad peregrinos accessimus portus? numquid nos aliquem adduximus Hispanum et Gallum? aut nos ordinavimus ignorantibus peregrinum.

VIII. Nam et fontem constat unam esse de dotibus, unde hæretici non possunt vel ipsi bibere, vel alios potare; quia soli, sigillum integrum (id est, symbolum catholicum) non habentes, ad fontem verum aperire non possunt. Nam cum in Canticis Canticorum scriptum sit : « Umbilicus tuus, » ut crater tornatilis [1] : » umbilicum altare affirmare conatus es. Si umbilicus membrum est in corpore, inter dotes esse non potest quod membrum est. Si ornamentum est, pars corporis non est.

IX. Restat jam ut dotes quinque esse videantur : quæ dotes, cum sint Ecclesiæ catholicæ (quæ est in tot provinciis supra memoratis) etiam apud nos hic in Africa deesse non possunt. Intelligite vel sero vos esse filios impios, vos esse ramos fractos ab arbore, vos esse abscisos palmites a vite, vos rivum concisum a fonte. Non enim potest esse origo rivus, qui parvus est, et non de se nascitur : aut arbor ramus concisus, cum arbor fundata suis radicibus gaudeat, et ramus si fuerit exsectus arescat. Jam-ne vides, frater Parmeniane, jam-ne sentis, jam-ne intelligis, te argumentis tuis contra te militasse? cum probatum est nosse in Ecclesia sancta catholica, apud quos et symbolum Trinitatis est : et per cathedram Petri, quæ nostra est, per ipsam, et cæteras dotes apud nos esse. Etiam sacerdotium, quod in nobis annullare visus es : in excusatione erroris et livoris

[1] Cant. VII, 2.

vestri, dum post nos rebaptizatis, et post socios vestros in peccato detectos, hoc non facitis. Dixisti enim, quod si sacerdos in peccato sit, solæ possint dotes operari. Igitur, quia docuimus et quid sit hæresis, et quid sit schisma, et quid sit sancta Ecclesia : et hujus sanctæ Ecclesiæ est constituta persona, et hanc esse catholicam, quæ sit in toto orbe terrarum diffusa : cujus membra et nos inter alios sumus : cujus dotes apud illam ubique sunt. Deinde in primo libro probavimus ad nos non pertinere traditionis invidiam et hoc crimen etiam a nobis esse damnatum.

X. Jam illud mihi volo respondeas, cur de solis Ecclesiæ dotibus loqui voluisti, et de sanctis ejus membris ac visceribus tacuisti : quæ sunt procul dubio in sacramentis et in nominibus Trinitatis. Cui concurrit fides credentium, et professio, quæ apud acta conficitur Angelorum, ubi miscentur cœlestia et spiritalia semina, ut sancto germine nova possit renascentium indoles procreari : ut dum Trinitas cum fide concordat, qui natus fuerat sæculo, renascatur spiritaliter Deo. Sic fit hominum pater Deus, sancta sic fit mater Ecclesia. Hæc omnia intelligo a te ideo non esse nominata, ne in iis omnibus ratio baptismatis agnosceretur : ubi nihil sibi operarius, qui homo est vindicet, quod vos facitis. Ideoque ad solas dotes te conferre voluisti, quas velut manu apprehensas, aut arca conclusas, Catholicis denegans, vobis solis eas frustra vindicare conatus es. Cum agatur de regeneratione, cum agatur de homine innovando, nulla a te credentium fides, nulla professio nominata est : dum vis de solis dotibus loqui, hæc omnia, sine quibus spiritalis illa nativitas reparari non potest, in silentio remisisti : et cum dotes ad sponsam, non sponsa ad dotes pertineat, sic ordinasti dotes, quasi ipsæ videantur generare, non viscera; quæ intelliguntur plus posita in sacramentis, quam in ornamentis.

XI. Nec illud prætereo, quod ore tuo et sensu nostro Ecclesiam paradisum esse dixisti : quæ res sine dubio vera est : in quo horto Deus plantat arbusculas. Et tamen Deo divitias suas denegastis, cujus hortum in angustias cogitis, dum vobis solis immerito omnia vindicatis. Utique plantationes Dei, sunt diversa semina per diversa præcepta. Justi, continentes, misericordes, et virgines, spiritalia sunt semina : harum rerum arbusculas in paradiso Deus plantat. Concedite Deo, ut hortus ejus sit longe lateque diffusus. Quid illi negatis Orientis et Septentrionis, etiam Occidentis provinciarum omnium, et innumerabilium insularum populos christianos : contra quos vos soli pauci, rebelles estis, et cum quibus nullum communionis consortium possidetis.

XII. Jam et mendacium vestrum hoc loco juste damnari potest, quo quotidie a vobis sacrificia condiuntur. Nam quis dubitet vos illud legitimum in sacramentorum mysterio præterire non posse ? afferre vos Deo dicitis pro Ecclesia quæ una est : hoc ipsum mendacii pars est, unam te vocare, de qua feceris duas : et offerre Deo vos dicitis pro una Ecclesia, quæ sit in toto terrarum orbe diffusa. Quid si unicuique vestrum dicat Deus : « Quid offers pro tota, qui non es in tota ? » Si nos vobis displicemus, quid vobis fecit Antiochia civitas ? quid Arabia provincia ? Unde probamus venientes a vobis esse rebaptizatos.

XIII. In uno tibi solo, Parmeniane frater, ingrati esse non possumus ; quod Ecclesiam nostram, id est, catholicam, quæ continetur toto orbe terrarum, quamvis ab ea sis alienus, laudare voluisti, in numerando dotes ; in quarum numero satis errasti, et in dicendo, quia ipsa est hortus conclusus, et fons signatus, et unica sponsa. Hoc nos de nostro dicimus ; nam tu de alieno locutus es. Quidquid de laudibus Ecclesiæ dicere potuisti, nos priores eadem

loquimur. Traditores vobiscum et ipsi damnamus, eos videlicet, quos si meministi in primo libro demonstravimus. Et cum sit nobis cum universo terrarum orbe communio, ex universis provinciis nobiscum : sic jamdudum duas ecclesias comparare voluisti, quasi sola habeat Africa populos christianos, in qua vitio vestro duæ videntur partes effectæ : et dum immemor factus es Christi dicentis unam esse sponsam suam ; tu in Africa non dixisti duas esse partes, sed duas ecclesias. Certe una est, quæ ex voce Christi meruit indicari, qui ait : « Una est columba mea, una est » sponsa mea [1]. »

XIV. Et tu hujus vocis oblitus, ad invidiam Catholicis faciendam, his locutus es verbis : « Neque enim Ecclesia » illa dici potest quæ cruentis morsibus pascitur, et sanc» torum sanguine et carnibus opimatur. » Certa membra sua habet Ecclesia, episcopos, presbyteros, diaconos, ministros : et turbam fidelium : dicite cui generi hominum in Ecclesia nostra hoc possit ascribi, quod objicere voluisti ? specialiter nomina aliquem ministrum ; ostende aliquem diaconum nomine suo ; indica hoc ab aliquo factum esse presbytero ; proba hoc episcopos admisisse ; doce aliquem nostrum cuiquam insidiatum esse. Quis nostrum quemquam persecutus est ? quem a nobis persecutum esse aut dicere poteris aut probare ? Quia tibi unitas displicet : hoc si crimen putas, argue nos Thessalonicensibus, Corinthiis, Galatis, septem Ecclesiis quæ sunt in Asia, communicasse. Si nefas tibi videtur, aut si reatum putas, memoris Apostolorum et sanctorum omnium communicasse : hoc nos fecisse, non solum non negamus, sed etiam gloriamur.

XV. Sed ut ostendam partem vestram (ut dixi) cruentis morsibus pastam, Christianorum sanguine et carnibus opi-

[1] Cant. VI, 8.

matam, a principio suo vester jam rabidus commemorandus est furor, jam vestra retexenda impietas, jam stultitia demonstranda. In quo prius est ostendere erubescendam lætitiam vestram, et gaudia criminosa, quod vobis pristini erroris libertatem factam esse contigerit. Recensete tempora, discutite rationes rerum, dissimilia vota, et personas diversas attendite. Redeat in memoriam Constantinus imperator christianus : quem famulatum exhibuerit Deo, quæ habuerit vota, ut remotis schismatibus, inter-mortua omni dissensione, sub toto cœlo filios suos gaudens, in uno videret sancta mater Ecclesia (6). Reddiderat unam communionem, maritis uxores, parentibus filios, fratribus fratres. Quibus rebus Deus se lætari testatur, dum dicit in Psalmo centimo trigesimo-secundo : « Ecce quam bonum et » quam jucundum habitare fratres in unum [1]. » Etenim cum africanos populos et orientales et cæteros transmarinos pax una conjungeret, et ipsa unitas repræsentatis omnibus membris corpus Ecclesiæ coagularet : dolebat hoc diabolus, qui semper de fratrum pace torquetur. Illo tempore sub Imperatore christiano, desertus in idolis tanquam inclusus, jacebat in templis. Hoc eodem tempore duces et principes vestros merita relegaverant sua. In Ecclesia nulla fuerant schismata, nec paganis licebat exercere sacrilegia : pax Deo placita apud omnes christianos populos habitabat : diabolus mœrebat in templis, vos in regionibus alienis.

XVI. Deinde ut nobis notum est, secutus alius imperator (7), vobiscum vota sinistra concipiens, ex famulo Dei factus est minister inimici, apostatam se edictis suis testatus est : quem precibus rogastis, ut reverti possetis : quas preces, si vos negatis misisse, nos legimus. Nec difficultatem præbuit, quem rogastis ; ire præcepit pro voto

[1] Psal. CXXXII, 1.

suo, quos intellexerat ad disturbandam pacem cum furore esse venturos. Erubescite si ullus est pudor : eadem voce vobis libertas est reddita, qua voce idolorum patefieri jussa sunt templa.

XVII. Eisdem pene momentis vester furor in Africam revertitur, quibus diabolus de suis carceribus relaxatur. Et non erubescitis, qui uno tempore cum inimico communia gaudia possidetis! Venistis rabidi, venistis irati, membra laniantes Ecclesiæ : subtiles in seductionibus, in cædibus immanes, filios pacis ad bella provocantes. De sedibus suis multos fecistis extorres, cum conducta manu venientes, basilicas invasistis : multi ex numero vestro per loca plurima (quæ sub nominibus dicere longum est) cruentas operati sunt cædes, et tam atroces, ut de talibus factis, ab illius temporis judicibus relatio mitteretur. Sed intervenit et occurrit judicium Dei, ut ille, qui vos jamdudum redire jusserat, imperator profanus et sacrilegus moreretur, qui persecutionem vobis provocantibus jam miserat aut mittere disponebat.

XVIII. Operata est apud loca supradicta in Catholicos trucidatio : memoramini per loca singula, qui fuerint vestri discursus. Nonne de numero vestro fuerunt Felix Zabensis, et Januarius Flumenpiscensis, et cæteri, qui tota celeritate concurrerunt ad castellum Lemellense : ubi cum contra importunitatem [1] suam viderent basilicam clausam, præsentes jusserunt comites suos, ut ascenderent culmina, nudarent tecta, jactarent tegulas : imperia eorum sine mora completa sunt; et cum altare defenderent diaconi catholici, tegulis plurimi cruentati sunt, duo occisi sunt, Primus filius Januarii, et Donatus filius Nini, urgentibus et præsentibus co-episcopis vestris supra memoratis; ut sine dubio de vobis dictum sit : « Veloces pedes eorum ad

[1] 2 Thess. III, 2.

» effundendum sanguinem [1]. » De qua re Primosus episcopus catholicus loci supra memorati, in concilio vestro apud Thenestinam civitatem questus est, et querelas ejus dissimilanter audistis. Ecce a vobis factum est quod dixisti: « Ecclesiam non esse, quæ cruentis morsibus pascitur; et aliud sunt milites missi, aliud episcopi ordinati. » Quod contra nos invidiose loquimini, ab aliis factum est, non a nobis : quod dicitis non debuisse fieri, vos fecistis. Commemorasti et beatissimum apostolum Paulum dixisse : « Sine ruga et sine sorde Ecclesiam esse debere. » Episcopis vestris jubentibus et præsentibus, supra altare catholici diaconi occisi sunt; similiter et apud Carpos. Non tibi videntur inexpiabiles sordes ? in Mauritaniæ civitatibus, vobis intrantibus, quassatio populi facta est : mortui sunt in uteris matrum, qui fuerant nascituri. Non tibi videtur ruga, quæ non possit ullis satisfactionibus tendi aut explanari ? Quid tale a nobis admissum est ? nos expectamus vindicem Deum. Et invidiam facitis Macario, qui si aspere aliquid fecit pro unitate, leve esse videri poterit : dum vos pro dissensione tanta mala, acerba, cruenta et hostilia feceritis. Quid commemorem Tipasam Cæsariensis Mauritaniæ civitatem ? ad quam de Numidia Urbanus Formensis, et Felix Idicrensis, duæ faculæ, incensæ livoribus, cucurrerunt : quietorum et in pace positorum animos perturbantes : nonnullorum officialium et favore et furore juvante, et Athenio præside præsente cum signis, catholica frequentia exturbata et cruentata, de sedibus suis expulsa est : lacerati sunt viri, tractæ sunt matronæ, infantes necati sunt, abacti sunt partus. Ecce vestra Ecclesia, episcopis ducibus, cruentis morsibus pasta est. Post hoc etiam illud addidisti : « Quantum vult consumat edacitas vulturum, tamen major est numerus columbarum. Ubi est quod

[1] Psal XIII, 3.

vulgo dicitur, memoriam custodem habere oportet mendacem? » Oblitus es, quod paulo ante dixisti : « Ecclesiam unam columbam Christi in Canticis canticorum. » Si una est apud vos Ecclesia, una est columba : quid est quod dicere voluisti : « Numerus major est columbarum ? »

XIX. Et quod vobis leve videtur, facinus immane commissum est, ut omnia sacrosancta supra memorati vestri episcopi violarent. Jusserunt Eucharistiam canibus fundi; non sine signo divini judicii : nam iidem canes accensi rabie, ipsos dominos suos, quasi latrones, sancti corporis reos, dente vindice, tanquam ignotos et inimicos laniaverunt. Ampullam quoque chrismatis per fenestram, ut frangerent, jactaverunt; et cum casum adjuvaret abjectio, non defuit manus angelica, quæ ampullam spiritali subvectione deduceret : projecta casum sentire non potuit; Deo muniente, illæsa inter saxa consedit. Et possent ista non fieri, si mandata Christi in memoria haberetis, qui ait : « Ne » dederitis sanctum canibus, neque miseritis margaritas » vestras ante porcos, ne conculcent eas pedibus suis, et » conversi elidant vos [1]. » Quid tale ab operariis unitatis fieri potuit? unde nobis Catholicis vanam invidiam facere laboratis. Inde revertentes Urbanus Formensis et Felix Idicrensis, invenerunt matres, quas de castimonialibus fecerant mulieres (8). Ecce quales, frater Parmeniane, episcopos celas : et cum pro tuis erubescere debueras, Catholicos innocentes accusas. Interea supra memoratus Felix inter crimina sua, et facinora nefanda, ab eo comprehensa puella cui mitram ipse imposuerat, a qua paulo ante pater vocabatur, nefarie incestare minime dubitavit. Et quasi de peccato sanctior fieret, Tysedim velociter properavit. Sic Donatum annorum septuaginta episcopum, hominem innocentem spoliare ausus est episcopali nomine et officio et

[1] Matth. VII, 6.

honore. Venit schismaticus ad episcopum catholicum, ad innocentem reus, ad Dei sacerdotem sacrilegus, incestus ad castum, ad episcopum jam non episcopus; sed de placito et de conjuratione vestra securus, vestris legibus et decretis armatus: manus, quas paulo ante peccata gravaverant, capiti innocentis injecit : et de illa lingua ausus est ferre sententiam, quæ jam nec ad pœnitentiam agendam vel idonea videbatur. Ecce quales, frater Parmeniane, defendis : ecce pro qualibus jamdudum dotes operari dixisti.

XX. Etiam vos ipsi, qui sancti et innocentes videri ab hominibus vultis, dicite, unde est ista sanctitas, quam vobis licentius usurpatis? quam Joannes apostolus profiteri non audet, qui ait : « Si dixerimus, quia peccatum non » habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non » est [1]. » Hoc qui dixit, sapienter se ad Dei gratiam reservavit. Est enim christiani hominis, quod bonum est, velle; et in eo, quod bene voluerit, currere : sed homini non est datum, perficere; ut post spatia, quæ debet homo implere, restet aliquid Deo, ubi deficienti succurrat : quia ipse solus est perfectio, et perfectus solus Dei Filius Christus. Cæteri omnes semi-perfecti sumus. Quia nostrum est velle, nostrum est currere; Dei, perficere. Unde beatissimus apostolus Paulus, ait: « Neque volentis neque currentis, sed ad » Dei gratiam pertinentis [2]. » Nam et a Christo salvatore nostro, perfecta sanctitas non est data, sed promissa. Denique sic ait : « Sancti eritis, quia ego sanctus sum [3]. » Solus est ergo perfectus et sanctus. Denique non dixit : « Sanctis estis, » sed, « Sancti eritis, » dixit. Unde est ergo, quod vobis perfectam sanctitatem de superbia vindicatis? nisi ut appareat, « Quia vos ipsos decipitis, et veritas in » vobis non est [4]. » In Joannis schola esse noluistis. Cum

[1] 1 Joan. 1, 8. — [2] Rom. IX, 16. — [3] Levit. XI, 45. — [4] 1 Joan. 1, 8.

enim seducitis aliquos, promittitis vos indulgentiam peccatorum esse daturos : et cum vultis donare peccata, vestram profitemini innocentiam : et remissionem peccatorum sic datis, quasi nullum habeatis ipsi peccatum. Non est ista præsumptio, sed deceptio : nec veritas, sed mendacium. Etenim inter vicina momenta, dum manus imponitis et delicta donatis, mox ad altare conversi, dominicam orationem prætermittere non potestis. Et utique dicitis : « Pater noster, qui es in cœlis, dimitte nobis debita et » peccata nostra [1]. » Quid vocaris, dum peccata confiteris tua? si sanctus es, dum dimittis aliena? hoc modo et vos ipsos decipitis, et veritas in vobis non est. Sed ut apparet, hoc vobis dictat nutrix vestra superbia, quam Christus in Evangelio testificatur : quia etsi nomina vestra non dixit, per similitudinem tamen vestros mores ostendit; sic enim scriptum est : « Dicebat Jesus hanc similitudinem, » propter eos qui se sanctos putant, et contemnunt cæte» ros [2]. » Hoc de vobis dictum esse, ipsa res evidenter ostendit; dum vos quasi sanctos extollitis, et nos manifeste aperteque contemnitis : « Duo, inquit, ascenderunt in tem» plum adorare, unus Pharisæus, et unus Publicanus [3]. » Pharisæus tumidus, superbus, inflatus, talis, quales et vos videmus : non humiliato corpore, non inclinata cervice; sed erecta facie, et tumenti pectore : « Gratias tibi, Deus, » quia nihil peccavi [4]; » hoc est dicere Deo : « Non habeo quod ignoscas. » Hoc insanus furor, hoc punienda et damnanda superbia. Deus paratus est ignoscere, et reus festinat indulgentiam recusare. Publicanus humilis, hominem se esse cognoscens, sic rogavit, dicens : « Propitius esto, » Domine, mihi peccatori [5] : » Sic justificari meruit humilitas : sic superbia in Pharisæo, magistro vestro, de templo

[1] Matth. VI, 10 et 12. — [2] Luc. XVIII, 9. — [3] Ibid. 10. — [4] Ibid. 11. — [5] Ibid. 14.

damnata descendit. Meliora inventa sunt peccata cum humilitate, quam innocentia cum superbia. Deinde cum vobis traditionis et schismatis gravia peccata non desint, insuper et superbos vos esse gratulamini.

XXI. Nunc quoniam erubescenda gaudia vestra probavimus, et furor vester tot locis ostensus est, restat de profunda impietate vestra aliquid dicere. Nam omnia, quæ a vobis fiunt aut facta sunt, quis poterit explicare? sic cuncta malignitate quadam ordinasse vos constat, ut in una specie operis vestri, species alias impleretis : ut dum presbyter aut episcopus dejicitur, sic populus caperetur. Quomodo posset turba hominum stare, quæ rectorem suum a vobis elisum esse conspiceret? Non aliter, quam quocumque casu, pastore occiso, lupi grassantur. Exorcizastis fideles, et lavistis sine causa parietes : ut hoc nequitiæ genere subrueretis simplicissimorum hominum mentes. Talibus consiliis vestris, nonnullorum animi jugulati sunt ; et sub nube simplicitatis, obcæcato astutiæ lumine, ut miseros sterneretis, sagittas de pharetra pectoris vestri, seductionibus præmisistis : ut de vobis Spiritus sanctus per David prophetam in Psalmo prædixerit : « Quoniam ecce » peccatores intenderunt arcum : paraverunt sagittas in » pharetra sua, ad sagittandos obscura luna rectos corde [1]. » Quid a vobis minus factum est vestris consiliis? sauciati sunt innocentes, exarmati fideles, honore nominis sui spoliati sunt sacerdotes. O impietas inaudita, quem jugulaveris inter pœnitentiæ tormenta servare ! in comparatione operis vestri, latronum levior videtur immanitas. Vos vivum facitis homicidium : latro jugulatis dat de morte compendium : paupertate sensus sui circumventi sunt, quos decipere potuistis. Perfecti enim fuerant illi, opere scilicet Dei, qui in ejus nomine fuerant ordinati. Et vos

[1] Psal. x, 3.

contra opus Dei hostiliter militantes, divinum opus malitiæ vectibus destruentes. Apparet ergo de vobis dictum esse in Psalmo decimo : « Quoniam quæ tu perfecisti, ipsi » destruxerunt [1]. » Fecit vos superbos impietas vestra, sed accusat vos prospiciens de cœlo justitia : et iniqua vos gerentes error hominum laudat, ut de vobis in Psalmo nono dixerit Spiritus sanctus : « Quoniam laudatur pec» cator in desideriis animæ suæ; et qui iniqua egerit, be» nedicetur [2]. » Quid iniquius, quam exorcizare Spiritum sanctum, altaria frangere; Eucharistiam animalibus projicere? et ut in errorem vos vester populus mittat, laudando felices appellant, et bene nominant, et per vos jurant, et personas vestras jam pro Deo habere noscuntur.

XXII. Solet Deus ad probandam fidem in juratione ab hominibus nominari; sed cum per vos juratur, jam apud vestros de Deo et Christo silentium est. Si ad vos divina migravit de cœlo religio, quia per vos juratur, nemo vestrum aut vestrorum langueat : nolite mori, imperate nubibus, pluite si potestis; ut per vos plenius juretur, et de de Deo sileatur. Nam et prioribus sæculis, ut templa fabricarentur, et idola fierent, quid a vestro populo diabolus potuit amplius facere? nihil aliud, nisi ut de Deo taceretur, dum per errorem homines de solo diabolo loquebantur.

XXIII. O sacrilegium impietati commissum! dum homines per vos jurantes libenter auditis, et vocem Dei auribus non admittitis vestris qui in centesimo quarto Psalmo sic ait : « Ne tetigeritis unctos meos; neque in Pro» phetas meos manum miseritis [3]. » Unctos autem esse et reges et sacerdotes, et libri Regnorum indicant; et David in Psalmo centesimo trigesimo-secundo sic ait : « Sicut » unguentum in capite quod descendit in barbam Aaron [4]. »

[1] Psal. x, 4. — [2] Id. ix, 24. — [3] Id. civ, 15. — [4] Id. cxxxii, 2.

Et tamen vos contra iisdem viribus conati estis præcepta contemnere, quibus, qui Deum timent, mandata conantur implere. Docete ubi vobis mandatum est, radere capita sacerdotum (9), cum e contrario sint tot exempla proposita, fieri non debere. Saül antequam peccaret, ungi meruit : post unctionem non leviter offendit. Hoc Deus cum videret, propter oleum non tangendum, volens exempla proponere, pœnitentiam professus est; sic enim legitur dixisse Dominum : « Pœnitet me unxisse Saül in regem [1]; » et utique potuit Deus oleum, quod dederat, auferre. Sed cum voluit docere non debere contingi oleum etiam in peccatore, ipse, qui dederat, pœnitentiam gessit. Igitur Deus, si, ut te doceret, quod dedit auferre non potuit, per quod noluit, tu quis es, ut auferas quod non dedisti? et qui parare debebas aures ad audiendum, parasti novaculam ad delinquendum : et cum possetis esse filii Dei, filii hominum esse voluistis; et ad infigendum morsum honoribus alienis, dentes vestros in sagittas et arma vertistis; linguas acuistis in gladios : implestis quod de vobis in Psalmo quinquagesimo-sexto scriptum est : « Filii hominum, dentes eorum » arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus [2]. »

XXIV. Ergo linguas vestras acuistis in gladios, quas movistis in mortes, non corporum, sed honorum : jugulastis non membra, sed nomina. Quid prodest, quia vivunt homines, et honore a vobis occisi sunt? valent quidem membris, sed ereptæ portant funera dignitatis. Extendistis enim manum, et super omne caput mortifera velamina prætendistis : ut cum sint (sicut supra dixi) quatuor genera capitum in Ecclesia, episcoporum, presbyterorum, diaconorum, et fidelium : nec uni parcere voluistis, evertistis animas hominum. Hos actus vestros odit Deus in Ezechiele propheta, cum dicit : « Væ facientibus velamen [3], » hoc est,

[1] 1 Reg. XV, 11. — [2] Psal. LVI, 4. — [3] Ezech. XIII, 18.

imponentibus manum « Super omnem ætatem ad everten-» das animas. » Invenistis pueros ; de pœnitentia sauciastis, ne aliqui ordinari potuissent. Agnoscite vos animas evertisse. Invenistis fideles antiquos, fecistis pœnitentes. Agnoscite vos animas evertisse. Invenistis diaconos, presbyteros, episcopos, fecistis laïcos. Agnoscite vos animas evertisse.

XXV. Socius et comes vester jamdudum fuerat, cui nunc manus inferre conatus es : pariter currebatis : fac illum peccasse (cum peccatum non esse constet); jacebat ut æstimas : si Apostolum legisti, tu vide cui stes, et illi cui jaceat : si servus es, dominum recognosce, et intellige, quia non tibi jacebat, qui tecum paulo ante currebat. Quid in potestatem alienam irruis? quid temerarius Dei tribunal ascendis? et cum ipse sis reus, in alterum audes ferre sententiam? et legisti : « Qui stat, domino stat suo, et » qui jacet, domino suo jacet[1]. » Potens est autem dominus ejus suscitare eum : tu quis es, qui de servo alieno judices? Oleum sacerdoti a Deo collatum non debuisse vos tangere, a puero Dei David discere debuistis, qui sic per Samuëlem ungitur[2], ut Saüli quod jamdudum datum fuerat[3], minime tolleretur. Denique vel cum Deo jubente vel eventu procurante, una eos spelunca concluderet; venerat in potestatem pueri David Saül, qui peccaverat. Videtur non videns, ideo quod a majori lumine (ut fieri assolet) in caligine clausi aëris, alterum juxta se videre non potuit. Innumerabiles antiquum regem sequebantur exercitus : sed ipse rex in potestatem venerat alienam. Occasionem victoriæ David habebat in manibus : incautum et securum adversarium, sine labore poterat jugulare : et sine sanguine et conflictu multorum, poterat bellum per compendium mutare in cædem : et pueri ejus et occasio suadebant : ad victoriam opportunitas hortabatur. Strin-

[1] Rom. xiv, 4. — [2] 1 Reg. xvi. — [3] Id. xxiv.

gere jam cœperat ferrum; ire jam cœperat armata manus hostiles in jugulos : sed obstabat plena divinorum memoria mandatorum, hortantibus se pueris et occasionibus contradicit, tanquam et hoc diceret : « Sine causa me victoria provocas; frustra me occasio in triumphos invitas. » Volebat hostem vincere; sed prius est Domini divina præcepta servare. « Numquid mittam manus in unctum Domini[1]? » Repressit cum gladio manum; et dum timuit oleum, servavit inimicum. Et ut compleret observantiam, vindicavit occisum[2]. Vos nec Deum timetis, nec fratres agnoscitis, in cote livoris acuistis novaculas linguæ; et divina præcepta calcantes, miserorum properastis in capita, ut in captivitatem cæcos et imperitos populos, jugulatis ducibus, traheretis. Esuritis honores innocentium sacerdotum : unde furori vestro tanta fames innata est, ut guttura vestra sepulcra patentia faceretis. Unicuique sepulcro sufficit unum funus, et clauditur : gutturi vestro honorum funera minime suffecerunt, et adhuc patent dum aliquos quæritis devorare; ut merito de vobis dictum sit : « Sepulcrum » patens est guttur eorum[3]; » nam et de maledictione præsumitis, cum Scriptum sit : « Benedicite et nolite maledi- » cere[4]. » Quisquis contra vestram voluntatem aliquid fecerit, intentatis terrores, maledicta prætenditis; et quia aliqui homines, plus mali mereri possunt quam boni; quidquid judicium Dei aut peccati meritum fecerit, amaris vestris maledictionibus vindicatis : merito de vobis dictum est in Psalmo decimo-tertio. « Os eorum maledictione et » amaritudine plenum est[5]. » Gloriamini, quod vobis maledicentibus, aliqui homines mori potuerunt. Certe non licet occidere. An ideo vos putatis innocentes, quia ferro usi non estis? innocentem se et venenarius judicet, si in solo

[1] 1 Reg. xxiv, 7. — [2] 2 Reg. i. — [3] Psal. v, 11, et xiii, 3. — [4] Rom. xii, 14. — [5] Psal. xiii, 3.

ferro est homicidium : non sibi videatur reus, qui alterum subducto cibo necaverit : innocentem se judicet, qui spirandi prohibita facultate, suffocaverit vivere cupientem. Necis multa sunt genera, sed unum nomen est mortis. Maledictionibus tuis cum fiducia hominem mortuum protestaris, quid interest, an gladio ferias, an lingua percutias? indubitanter homicida es, si per te mortuus fuerit qui vivebat. Quisquis talis ex vobis est, frustra se Christianum aut sacerdotem Dei profitetur, qui lenitatem Dei non curat imitari; cum Scriptum sit in Salomone : « Deus mortem » non fecit, nec lætatur in perditione vivorum [1]. » Credo vos oblivisci non posse, quid per loca aliqua feceritis, cum eos, qui legem Dei prædicabant, id est, Prophetas velletis occidere contra jussionem Dei dicentis : « Et in Prophetas meos » manum ne miseritis [2]. » Deuterium, Partenium, Donatum, et Getulicum, Dei episcopos, linguæ gladio jugulastis, fundentes sanguinem non corporis, sed honoris. Vixerunt postea homines, sed a vobis occisi sunt in honoribus, Dei sacerdotes. Multis notum est et probatum, persecutionis tempore, episcopos aliquos inertia a confessione nominis Dei delapsos thurificasse, et tamen nullus eorum, qui evaserunt, aut manum lapsis imposuit, aut ut genua figerent, imperavit. Et facitis vos hodie post unitatem, quod a nullo factum est post thurificationem; quia scriptum est : « Ne » tetigeritis unctos meos, neque in Prophetas meos manum » miseritis [3]. » Oleum suum defendit Deus; quia si peccatum est hominis, unctio est tamen divinitatis. « Ne tetige» ritis, inquit, unctos meos : » ideo, ne dum peccatum hominis percutitur, et oleum, quod Dei est, feriatur. Judicio suo Deus servavit rem suam, et tamen vos passim irruistis in alienam, corrumpentes omnium felicitatem. Nam quæ

[1] Sap. I, 13. — [2] Psal. CIV, 15. — [3] Ibid.

major infelicitas, quam Dei sacerdotes vivere, nec esse quod fuerant?

XXVI. Matronæ, pueri simul et virgines a vobis coactæ, nullo interveniente peccato, salva innocentia et pudicitia, vobis docentibus, pœnitentiam gerere didicerunt. Numquid minor est infelicitas? contrivistis sexus, vexastis ætates Vere de vobis dictum est in Psalmo decimo-tertio. « Con» tritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cog» noverunt : non est timor Dei ante oculos eorum[1]. » Indixistis pœnitentiam plebibus; nec enim acta est ab aliquo, sed a vobis exacta; nec æqualibus temporum spatiis, sed egistis omnia pro personis, alter anno toto, alter mense, alter vix tota die, imperantibus vobis, pœnitentiam gessit. Si unitati consentire (ut vultis) peccatum est, si est similis culpa, quare non est æqualis pro eodem reatu pœnitentia? Dubium non est populum credentium Israël esse vocatum; plebes singulas filias Israël, id est, qui mente Deum viderint, et Deo crediderint : et tamen has plebes coëgistis flectere et inclinare cervices, et serie capitum juncta, massam pœnitentium facere. Has plebes dolet Deus per Ezechielem prophetam dicens : « Væ filiabus Israël, quæ sar» ciunt cervicalia[2], » id est, membra cervicis, ut supponant sub cubito et sub manu. Utique sub cubitibus et sub manibus vestris, et cum super eorum vel earum capita velamina pœnitentiæ tenditis. Quæ impietas vestra et furor ostensus est, et superbia demonstrata : etiam stultitia fuerat revelanda; sed hanc in sexto libro demonstrabo.

[1] Psal. XIII, 3. — [2] Ezech. XIII.

LIBER III.

Hic liber tertius continet quatuor causas quibus effectum est, ut non sine asperitate unitas fieret. Prima, quod basilicas schismatici non necessarias fecerint, et rebaptizationem intulerint. Secunda, quod Donatus Carthaginis provocaverit ut unitas fieret. Tertia, quod Donatus Bagaïensis circumcelliones collegerit, ut operarios unitatis impediret. Quarta, sine voluntate Dei nihil esse factum ex his, quibus putant aliqui unitati faciendum esse convicium.

ARGUMENTUM.

I. *Asperius in Donatistas gesta, ipsis provocantibus, facta esse, nec Catholicis imputari debere.* II. *In vindictam Dei et Ecclesiæ hæc in Donatistas facta fuisse.* III. *Donati superbia.* IV. *Narratio eorum, quæ per vim gesta sunt a Donatistis et contra Donatistas.* V. *Excusantur operarii unitatis, quod asperius egerint.* VI. *Adversus Donatistarum pseudo-martyres.* VII. *Macarius a Donatistarum calumniis defenditur.* VIII. *Macarium non posse dici persecutorem, nec eos, qui ab illo plexi sunt, martyres appellari, utpote pacis inimicos.* IX. *Procuranda erat unitas in Africa.* X. *Quæ aspere in Donatistas facta sunt, facta ex Dei voluntate, quia ea per Ezechielem falsis prophetis interminatus est.* XI. *Donatistas seductores esse ostenditur.* XII. *Calumnia in Macarium conficta.*

I. Satis[1], ut arbitror, in secundo libello de Ecclesia,

[1] Vide D. Guillon, tom. v, pag. 269-273.

quæ sponsa est Christi, et de ejus dotibus, et de hæreditate diximus Salvatoris : consequens est primo schismaticorum errores ostendere : deinde, quæ fuerit causa, ut unitas fieret : tertio, quis fecerit, ut miles mitteretur armatus. Ab operariis unitatis multa quidem aspere gesta sunt, sed ea ad quid imputatis Leontio, Macario, vel Taurino ? imputate majoribus vestris, qui (sicut in Propheta scriptum est) « Ut vobis stupescerent dentes, ipsi uvas acidas comederunt[1]. » Illis primo, qui Dei populum diviserunt, et basilicas fecerunt non necessarias. Deinde Donato Carthaginis, qui provocavit, ut unitas proximo tempore fieri tentaretur. Tertio Donato Bagaïensi, qui insanam collegerat multitudinem, a qua ne Macarius violentiam pateretur, ad se, et ad ea, quæ ferebat, tutanda, armati militis postulavit auxilium. Venerunt tunc cum pharetris armigeri, repleta est unaquæque civitas vociferantium (clamoribus) : nuntiata unitate, fugistis omnes. Nulli dictum est : « Nega Deum : » nulli dictum est : « Incende testamentum : » nulli dictum est : « Aut thus pone, aut basilicas dirue : » istæ enim res solent martyria generare. Renuntiata est unitas ; sola fuerant hortamenta, ut Deus et Christus ejus a populo in unum conveniente pariter rogaretur. Nullus erat primitus terror : nemo viderat virgam, nemo custodiam, sola (ut supra diximus) fuerant hortamenta. Timuistis omnes, fugistis, trepidastis : ut pro certo de vobis dictum sit, quod in Psalmo quinquagesimo-secundo scriptum est : « Trepidaverunt ubi non erat timor[2]. » Fugerunt igitur omnes episcopi cum clericis suis, aliqui sunt mortui : qui fortiores fuerunt, capti et longe relegati sunt.

II. Et tamen horum omnium nihil actum est cum voto nostro, nihil cum consilio, nihil cum conscientia, nihil cum opere ; sed gesta sunt omnia in dolore Dei, amare

[1] Jer. XXXI, 29. — [2] Psal. LII, 6.

plorantis, et in ultionem aquæ, quam contra interdictum iterum movistis : traducentes ad vos aquam antiquæ piscinæ : sed nescio an cum illo pisce, qui Christus intelligitur, qui in lectione patriarchæ Tobiæ legitur in Tigride flumine prehensus, cujus fel et jecur tulit Tobias[1], ad tutelam fœminæ Saræ, et ad illuminationem Tobiæ non videntis : ejusdem piscis visceribus Asmodæus dæmon a Sara puella fugatus est (quæ intelligitur Ecclesia) et cæcitas a Tobia exclusa est. Hic est piscis, qui in baptismate per invocationem fontalibus undis inseritur, ut quæ aqua fuerat, a pisce etiam piscina vocitetur. Cujus piscis nomen secundum appellationem græcam, in uno nomine per singulas litteras turbam sanctorum nominum continet, ΙΧΘΥΣ, quod est latinum, Jesus Christus Dei Filius Salvator. Hanc vos piscinam, quæ in omni Catholica per totum orbem terrarum, ad vitam generis humani, salutaribus undis exuberat; transduxistis ad voluntatem vestram, et solvistis singulare baptisma, ex quo baptismate hominibus muri facti sunt ad tutelam : et fecistis quasi alteros muros, nullum bonum ædificium facientes : non potuistis construere, nisi dirueretis. Et quale potest esse ædificium, quod de ruina construitur? Hanc rem per Esaïam prophetam Deus dolet et flet, cum dicit : « Filiam sui generis esse contritam[2] : » genus Dei est non habere genus, qui ex se est, et manet in æternum. Similis est et aqua, quam non legimus factam. In cujus aquæ injuria, indicat Deus lacrymas suas, quas vos fecistis; quas testatur nulla posse consolatione siccari, cum ad vos per Esaïam prophetam loquitur, dicens : « Missum me facite, amare plorabo : nemo poterit consolari me in contritione filiæ generis mei[3]. » Hoc loco defenditur innocentia nostra, dum Deus cum dolore iracundiam vobis indicat suam; dum et causam prodit, et rationem

[1] Tob, VI. — [2] Isaï. XXII. — [3] Ibid. 4.

ostendit. Denique non in tota Sion, sed in una ejus valle sunt celebrata : non in illo monte Sion, quem in Syria Palæstina a muris Jerusalem parvus disterminat rivus; in cujus vertice est non magna planities; in quo fuerant Synagogæ, ubi Judæorum populus conveniens, legem per Moysem datam, discere potuisset : sed ubi nulla lis audita est, nec ab aliquo celebratum judicium, nec aliqua est illic ab ullo judice lata sententia; quia locus erat doctrinæ, non controversiæ post doctrinam. Si quid agendum erat, intra muros Jerusalem agebatur. Inde scriptum est in Esaïa propheta : « Ex Sion prodiet lex, et verbum Domini de Je» rusalem[1]. » Non ergo in illo monte Sion Esaïas aspicit vallem; sed in monte sancto, qui est Ecclesia, qui per omnem orbem Romanum, caput tulit sub toto cœlo. In quo monte, a Deo patre Filius Dei regem se constitutum esse gratulatur, in Psalmo secundo (10) dicens : « Quoniam » regem constituit me super Sion montem sanctum suum[2] : » utique super Ecclesiam, cujus rex et sponsus et caput est. Non in illo monte, ubi nullæ sunt portæ quas diligat Deus; sed in monte Ecclesiæ, qui spiritaliter appellatur. Cujus Ecclesiæ portas introeunt innocentes, justi, misericordes, continentes, et virgines : quas portas commemorat Spiritus sanctus per David in Psalmo octogesimo-sexto dum dicit : « Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus » portas Sion[3]. » Non illius corporalis montis, ubi jam nullæ sunt portæ; et post victorias Vespasiani imperatoris vix antiquarum extant vestigia ruinarum. Est ergo spiritalis Sion Ecclesia, in qua a Deo patre rex constitutus est Christus; quæ est in toto orbe terrarum, in quo est una Ecclesia catholica. Nam Sion Ecclesiam esse et alio loco sanctissimus David propheta testatur, dicens : « Lauda Deum » tuum Sion, qui confortavit seras portarum tuarum, bene-

[1] Isaï. II, 3. — [2] Psal. II, 6. — [3] Id. LXXXVI, 1.

» dixit filiis tuis in te [1]. » Per singulas provincias totius orbis, valles singulas intelligimus montis : et dum non in toto monte videt Esaïas, sed in una valle, hoc est, sola Africa : in qua sola cum sufficerent templa Dei quæ fuerant, alia facere voluerunt principes vestri : in qua sola dejecti sunt muri, et ut fierent muri, aqua sanctæ piscinæ transversa est, et novitas contra antiquitatem a vobis instituta est, et aqua humana contra divinam ordinata est. Hoc totum Deus in vallem montis Sion, et interrogat et increpat, dicens : « Ut quid hoc factum est vobis ? ideo, quoniam ascendistis » in templa supervacanea : unaquæque civitas repleta est » vociferantium ; vulnerati tui, non vulnerati gladio ; et » mortui in te, non mortui in bello : in errore sunt a minimo usque ad maximum : errantes in montibus omnes » principes tui, in fugam conversi sunt, et qui capti sunt, » graviter alligati, et fortiores tui longe fugati sunt. Missum » me facite, amare plorabo : nemo me poterit consolari in » contritione filiæ generis mei ; et ascendent Elamitæ cum » pharetris : » (Elamitæ latina lingua dicuntur chori castrorum) et secutus est dicens : « Penetralia vestra deferentur » ad publicum, et secreta domus Israël nudabuntur. » Hoc in Africa factum est, et totum hoc quare factum est indicavit Deus, dum vobis imputat dicens : « Quoniam convertistis aquam antiquæ piscinæ ad civitatem vestram, et dejecistis muros Jerusalem, ut faceretis alteram munitionem, » et constituistis aquam inter duas munitiones, et ad piscinam antiquam attendere noluistis, nec ad eum, qui ab » initio creavit illam [2]. »

III. Jam vides, frater Parmeniane, ad vos redundare omnia, a quorum principibus harum rerum omnium seminata est causa. Deinde ad Donatum Carthaginensem, cujus veneficio videtur unitatis negotium esse commotum. In

[1] Psal. CXLVII, 1, 2. — [2] Isaï. XXII, 1-11.

quo ostendam operarios ejus non pro voluntate nostra, nec sua malitia aliquid fecisse, sed provocantibus atque impellentibus causis et personis, quas Donatus Carthaginis levitate sua constituit, dum magnum se videri contendit. Quem enim latet præter te, quia peregrinus es, et potuerunt tibi falsa narrari? aut quis negare potest rem, cui tota Carthago principaliter testis est, imperatorem Constantem, Paulum et Macarium primitus non ad faciendam unitatem misisse, sed cum eleemosynis : quibus sublevata per Ecclesias singulas posset respirare, vestiri, pasci, gaudere paupertas? Qui cum ad Donatum, patrem tuum, venirent, et quare venerant indicarent, ille solito furore succensus, in hæc verba prorupit : « Quid est Imperatori cum Ecclesia? » et de fonte levitatis suæ, multa maledicta effudit : non minus quam in Gregorium aliquando, ad quem sic scribere minime dubitavit : « Gregori macula senatus, et dedecus præfectorum, et cætera talia : » cui Donato præfatus patientia episcopali rescripsit. Harum epistolarum exemplaria multorum ore ubique cantantur. Jam tunc meditabatur, contra præcepta apostoli Pauli, potestatibus et regibus injuriam facere, pro quibus, si Apostolum audiret, quotidie rogare debuerat. Sic enim docet beatus apostolus Paulus : « Rogate pro regibus et potestatibus, ut » quietam et tranquillam vitam cum ipsis agamus [1]. » Non enim respublica est in Ecclesia, sed Ecclesia in republica est, id est, in imperio romano : quod Libanum appellat Christus in Canticis Canticorum, cum dicit : « Veni sponsa mea in» venta, de Libano [2], » id est, de imperio romano, ubi et sacerdotia sancta sunt, et pudicitia, et virginitas, quæ in barbaris gentibus non sunt; et si essent, tuta esse non possent. Merito Paulus docet orandum esse pro regibus et potestatibus : etiam si talis imperator esset, qui gentiliter

1 I Tim. II, 2. — 2 Cant. IV, 8.

viveret : quanto quod Christianus, quanto quod Deum timens, quanto quod religiosus, quanto quod misericors, ut ipsa res probat. Miserat enim ornamenta domibus Dei, miserat pauperibus eleemosynam, nihil Donato. Cur ergo insanivit? cur iratus est? cur quod missum fuerat, repudiavit? Et cum illi, qui missi fuerant dicerent se ire per provincias singulas, et volentibus accipere se daturos : ille dixit ubique se litteras præmisisse, ne id quod allatum fuerat, pauperibus alicubi dispensaretur. O consulere miseris! o providere pauperibus! o peccatoribus subvenire! clamat Deus dicens : « Ego sum qui feci pauperem et divi» tem : » non quia non potuit et pauperibus dare ; sed si ambobus daret, peccator qua sibi succurreret, invenire non posset. Denique sic scriptum est : « Quemadmodum aqua » extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum [1]. » Certe jam apud Deum sunt ambo, et qui dare voluit, et qui obstitit, ne daretur. Quid si jam dicat Deus Donato : « Episcope, quid vis fuisse Constantem? si innocentem, quare ab innocente accipere noluisti? si peccatorem, quare non permisisti dare, propter quem feci pauperem? Sub hac interrogatione qualis futurus est? quid de levitate et furore laboravit tantis pauperibus impedire? Carthaginis principatum se tenuisse crediderat : et cum super imperatorem non sit nisi solus Deus, qui fecit imperatorem, dum se Donatus super imperatorem extollit, jam quasi hominum excesserat metas, ut prope se Deum, non hominem æstimaret, non reverendo eum, qui post Deum ab hominibus timebatur. Denique per Ezechielem increpat Spiritus principem Tyri, id est, principem Carthaginis, cum per Prophetam his loquitur verbis : « Fili hominis, dic adversus prin» cipem Tyri : Hæc dicit Dominus Deus : Quia exaltatum » est cor tuum, et dixisti : Ego sum Deus [2]. » Tyrum Cartha-

[1] Eccli. III, 33. — [2] Ezech. XXVIII, 2.

ginem esse primo Esaïas probat, in quo legitur : « Visio super Tyrum » : et sequitur, « Ululate naves Carthaginis [1]. » Deinde Tyrum Carthaginem esse, etiam mundanæ litteræ protestantur : etsi sit alia civitas, quæ hoc nomine nuncupetur, nihil in illa videtur factum, quod apud Carthaginem constat admissum. « Loquere, inquit Deus, adversus principem Tyri [2] : » non adversus sæcularem aliquem regem dicit esse loquendum, nec ad multos; sed ad unum, hoc est, ad Donatum episcopum. Neque enim fas erat prophetam Ezechielem, quem proxime nominavi, nisi principi episcopum comparare, qui sibi (ut diximus) principatum Carthaginis vindicabat; qui exaltavit cor suum, et hominibus sibi superior videbatur : et sub se omnes etiam socios suos habere voluisset; de quorum oblationibus nunquam est dignatus accipere. In qua re media est fides, et Deus Christus ejus, et querelæ multorum, quibus in ipsa societate hanc injuriam faciebat; ut solus secreto nescio quid ageret, et postea cæteris perfunctorie misceretur. Modo exaltatum est cor ejus, ut sibi jam non homo, sed Deus fuisse videretur. Denique et in ore populi raro est appellatus episcopus, sed Donatus Carthaginis dicebatur. Et merito princeps Tyri, id est, Carthaginis appellari et increpari meruit, quia primus episcoporum, quasi plus esset ipse quam cæteri, et dum nihil humanum voluit habere, exaltavit cor suum : non sicut hominis, sed sicut cor Dei, dum a cæteris hominibus aliquid plus esse cupiebat. Ad quem Deus sequitur dicens : « Dixisti : Ego sum Deus [3] : » ideo, quia quamvis non sit usus hac voce, tamen aut fecit, aut passus est, quod effectum hujus vocis impleret. Extulit cor suum, ut nullum hominem sibi comparandum arbitraretur, et tumore mentis suæ altior sibi visus est esse; quia quidquid est supra homines, jam quasi Deus est. Deinde cum episcopi Deo debeant fa-

[1] Isaï. XXIII, 1. — [2] Ezech. XXVIII, 2. — [3] Ibid.

mulari, tantum sibi de episcopis suis exegit, ut cum non minori metu omnes venerarentur, quam Deum : hoc est, quod sibi Deus visus est. Et cum per solum Deum solent homines jurare, passus est homines per se sic jurare, tanquam per Deum. In quo si unusquisque hominum erraverat, ipse prohibere debuerat : cum non prohibuit, Deus sibi visus est. Deinde cum ante ipsius superbiam, omnes qui in Christo crediderant, Christiani vocarentur, ausus est populum cum Deo dividere ; ut qui illum secuti sunt, jam non Christiani vocarentur, sed Donastitæ : et si quando ad eum aliqui ex aliqua africana provincia veniebant, non quærebat illud, quod humana semper exigit consuetudo, de pluviis, de pace, de proventu anni aliquid interrogare : sed illius ad singulos quosque venientes hæc erant verba : « Quid apud vos agitur de parte mea ? » quasi jam vere populum cum Deo diviserat, ut intrepide suam diceret partem. Nam et a temporibus ejus, et usque in hodiernum, si quando de rebus ecclesiasticis in judiciis publicis aliqua celebrata est actio : interrogati singuli, sic apud acta locuti sunt, ut dicerent se de parte esse Donati : de Christo tacuerunt. Et quid de clericis dicam, cum legantur preces (quarum in primo libro fecimus mentionem) jamdudum ad Constantinum missæ et subscriptæ, quæ episcoporum nomina continebant : sic « Datæ a Capitone » et Nasucio, Digno, et cæteris episcopis partis Donati, et postulabant utique contra episcopos, qui dum non erant in parte Donati, in Christi Catholica habitabant ; et dum episcopus inter coepiscopos suos non fuit, nec homo inter homines esse voluit, constat, quod extulit cor suum, et Deus sibi fuisse videbatur. Nam cum et ordinatores tui, quorum nomina, frater Parmeniane, bene nosti, et ubi fuerint non ignoras, et qui vel a quo petiverint, et qualem rogaverint ut redirent, et tecum redire potuissent, et nos didicimus cum eadem pre-

ces quas dederant, apud Africanos judices allegarent, in quibus scriptum est : « Datæ ab episcopis partis Donati. » Hic jam quid responsuri sunt in illo imminenti divino judicio, qui in hoc sæculo alio modo confessi sunt, non se esse de Ecclesia Christi ; qui libenter professi sunt de parte fuisse se Donati, cum in Evangelio scriptum est, Christo dicente : « Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor eum coram patre meo [1] : » isti Donatum confessi sunt, non Christum. Et ne parva sit ista probatio, quam ad ipsius personam pertinere manifestum est, accedit et illud testimonium, quo supra memorata increpatio clausa est, quod dixit illum Deus non in terra moriturum ; et ita factum esse omnibus notum est. Habitabat in domo Dei, et erat in corde maris : ubique mare sæculum legimus, cum esset ipse non tantum in amore aliquorum Christianorum ; sed propter scientiam mundanarum litterarum, erat etiam in corde maris, id est, in amore sæculi : et de scientia sua sapiens sibi visus est. Sed hanc sapientiam ejus evacuavit Deus, dum dicit : « Numquid sapientior tu quam Daniel [2] ? » Quam et bene ejus sapientia humiliata est, qua putavit se Daniele esse sapientiorem, in repudiandis muneribus regis, dum accipere noluit quod ab imperatore christiano missum esse videbatur ! Et visus est sibi aut Daniel novus, aut sapientia Danieli prælatus ; quia et ipse Daniel aliquando a Baltassare rege cum cogeretur accipere munera, id est, annulum, torquem et cætera, dixisse legitur : « Dona tua tecum sint, rex [3] : » et sapienter respondit, et convicia regi non fecit, et quod offerebatur non damnavit, sed distulit ; non quo modo Donatus, qui et convicia Constanti, quanta potuit, dixit, et quod ab eo pauperibus missum fuerat, repudiavit. Sed Daniel sanctus sapiens inventus est, ut munera oblata illa die non acciperet. Illud enim quod ab eo petebatur, adhuc in cœlo

[1] Joan. XII, 8. — [2] Ezech. XXVIII, 3. — [3] Dan. V, 17.

erat ; et insipiens esset, hujus rei quasi mercedem accipere quam nondum habuit in potestate : idcirco munera oblata illa die ad tempus accipere noluit. Denique cum ei Deus ostenderet, quod regi supradicto indicaret, Baltassari retulit; quod jamdudum repudiasse visus est, postea libenter accepit. Merito increpat Deus principem Tyri, Donatum, cum dicit : « Numquid tu sapientior quam Da» niel ? » Sed o quam longe est præsumptio Donati a persona Danielis ! Quod enim Baltassar dabat, Danieli dabat, non pauperibus ; quod Constans christianus imperator tunc miserat, pauperibus transmiserat, non Donato. Denique ait : « Sapientes te non docuerunt sapientiam suam, » quia illud a Salomone discere noluisti, quod ait : « Absconde » panem in corde pauperis, et ipse pro te rogabit [1]. » Quia etiam illud ab ipso Daniele discere noluit quod dedit Nabuchodonosor consilium, quomodo satisfaceret qui offenderat Deum. « Et tu, inquit, audi, Rex, consilium meum, » et placeat tibi : peccata tua eleemosynis redime, et injusti» tias tuas in miserationibus pauperum [2]. » Daniel regi, peccatori et sacrilego, faciendas eleemosynas suadet : Donatus, qui increpari meruit, Constanti imperatori christiano, ne misericors esset, obstitit. Ideo increpatur, quod eum sapientes non docuerunt sapientiam suam : quidquid a rege missum fuerat, per se dari passus non est. Unde constat Donatum malarum fontem fuisse causarum.

IV. Quidquid itaque in unitate facienda aspere potuit geri, vides, frater Parmeniane, cui debeat imputari. A nobis Catholicis petitum militem esse dicitis : si ita est, quare in provincia proconsulari tunc nullus armatum militem vidit? Veniebant Paulus et Macarius, qui pauperes ubique dispungerent, et ad unitatem singulos hortarentur : et cum ad Bagaïensem civitatem proximarent, tunc alter Donatus

[1] Eccli. XXIX, 15. — [2] Dan. IV, 24.

(sicut supra diximus) ejusdem civitatis episcopus, impedimentum unitati et obicem venientibus supra memoratis opponere cupiens, præcones per vicina loca et per omnes nundinas misit, Circumcelliones Agonisticos nuncupans, ad prædictum locum ut concurrerent, invitavit : et eorum illo tempore concursus est flagitatus, quorum dementia paulo ante ab ipsis episcopis impie videbatur esse succensa. Nam cum hujusmodi hominum genus ante unitatem per loca singula vagarentur : cum Axido et Fasir, ab ipsis insanientibus sanctorum duces appellarentur : nulli licuit securum esse in possessionibus suis : debitorum chirographa amiserant vires : nullus creditor illo tempore exigendi habuit libertatem. Terrebantur omnes litteris eorum, qui se sanctorum duces fuisse jactabant : et si in obtemperando eorum jussionibus tardaretur, advolabat subito multitudo insana, et præcedente terrore creditores periculis vallabantur : ut qui pro præstitis suis rogari debuerant, metu mortis humiles impellerentur in preces. Festinabat unusquisque debita etiam maxima perdere : et lucrum computabatur evasisse ab eorum injuriis. Etiam itinera non poterant esse tutissima, quod domini de vehiculis suis excussi ante mancipia sua, dominorum locis sedentia, serviliter cucurrerunt. Illorum judicio et imperio inter dominos et servos conditio mutabatur. Unde cum vestræ partis episcopis tunc invidia fieret : Taurino tunc comiti scripsisse dicuntur, hujusmodi homines corrigi in Ecclesia non posse; mandaverunt, ut a supradicto comite acciperent disciplinam. Tunc Taurinus ad eorum litteras, ire militem jussit armatum per nundinas, ubi Circumcellionum furor vagari consueverat. In loco Octavensi occisi sunt plurimi, detruncati sunt multi : quorum corpora usque in hodiernum, per dealbatas aras aut mensas potuerunt numerari. Ex quorum numero cum aliqui in basilicis sepeliri cœpissent,

Clarus presbyter in loco Subbulensi, ab episcopo suo coactus est, ut insepultam faceret sepulturam. Unde proditum est mandatum fuisse fieri, quod factum est : quando nec sepultura in domo Dei exhiberi concessa est. Eorum postea convaluit multitudo. Sic invenit Donatus Bagaïensis, unde contra Macarium furiosam conduceret turbam. Ex ipso genere fuerant qui sibi percussores sub cupiditate falsi martyrii in suam perniciem conducebant. Inde etiam illi, qui ex altorum montium cacuminibus viles animas projicientes, se præcipites dabant. Ecce ex quali numero sibi episcopus alter Donatus cohortes effecerat. Hoc metu deterriti illi, qui thesauros ferebant, quos pauperibus erogarent; invenerunt in tanta necessitate consilium, ut a Sylvestro comite armatum militem postularent : non per quem alicui vim facerent, sed ut vim a Donato supra memorato episcopo dispositam, prohiberent. Hac ratione factum est, ut miles videretur armatus. Jam quidquid subsecutum est, videte cui debeat aut possit ascribi. Habebant illic vocatorum infinitam turbam, et annonam competentem constat fuisse præparatam : de basilica quasi publica fecerant horrea; expectantes ut venirent, in quos furorem suum exercere potuissent; et facerent quidquid illis dementia sua dictasset, nisi præsentia armati militis obstitisset. Nam cum ante venturos milites, metatores (11) (ut fieri solet) mitterentur, contra Apostoli præcepta competenter suscepti non sunt, qui ait : « Cui honorem, honorem : » cui vectigal, vectigal : cui tributum, tributum : nemini » quidquam debueritis [1]. » Contusi sunt qui missi fuerant cum equis suis, ab iis, quorum nomina flabello invidiæ ventilasti. Ipsi magistri fuerunt injuriæ suæ; et quid pati possent, ipsi prærogatis injuriis docuerunt. Reverterunt vexati milites ad numeros suos, et quod duo vel tres passi

[1] Rom. XIII, 7.

fuerant, universi doluerunt. Commoti sunt omnes : iratos milites retinere nec eorum præpositi valuerunt. Sic admissum est, per quod invidiam unitati factam esse memorasti : hæc et cætera vestra et suas causas habent, et quas ostendi personas obnoxias. Hoc nos nec vidimus quidem, sed vobiscum audivimus. Si auditus facit reos, tenemus vos socios, quia similiter audistis. Si a facto auditus immunis est; quod ab aliis, vobis provocantibus, factum est, nobis non debet imputari. Querelam per ordinem deponitis, sub Leontio, sub Ursacio injuriatos esse quamplurimos : sub Paulo et Macario aliquos necatos : a sequentibus eorum nescio quos ad tempus esse proscriptos. Quid hoc ad nos? quid ad Ecclesiam catholicam pertinet? Quidquid objecistis, vos fecistis : qui pacem a Deo commendatam noluistis libenter excipere, chariorem æstimantes hæreditatem schismatis, quam præcepta proposita Salvatoris. Arguistis operarios unitatis : ipsam unitatem improbate, si potestis. Nam æstimo vos non negare unitatem summum bonum esse. Quid nostra, quales fuerint operarii, dummodo quod operatum est, bonum esse constet? nam et vinum a peccatoribus operariis et calcatur et premitur; et sic inde Deo sacrificium offertur : oleum quoque a sordidis et nonnullis male viventibus et immunda loquentibus conficitur; et tamen in sapore, in lumine, etiam in sancto chrismate simpliciter erogatur.

V. Operarios unitatis malos fuisse dicitis : forte cum voluntate Dei, cui nonnunquam placet etiam quod ab ipso potuit prohiberi. Nam quædam mala male fiunt : quædam mala bene fiunt. Malum male latro facit : malum bene judex facit, dum vindicat quod latro peccavit. Nam hæc Dei vox est : « Non occides[1] : » et ipsius vox est : « Si inventus fuerit » homo, dormiens cum muliere habente maritum, occide-

[1] Exod. xx, 13.

» tis utrosque [1]. » Unus Deus, et duæ diversæ voces. Denique cum Phinees, filius sacerdotis adulterum cum adultera inveniret, levavit cum gladio manum, et inter duas voces Dei dubius stetit : hinc ad illum sonabat : « Non » occides : » inde sonabat : « Occidetis utrosque. » Si feriret, peccaret : si non feriret, delinqueret. Elegit melius peccatum, ut percuteret; et forte non defuerant, qui hujus rei vindicem quasi homicidam notare voluissent. Sed ut ostenderet Deus aliqua mala bene fieri, locutus est dicens : « Phinees mitigavit iram meam [2] : » et placuit Deo homicidium, quia vindicatum est adulterium. Quid si et modo Deo placuit, quod passos vos esse dicitis, qui unitatem cum toto orbe terrarum et cum memoriis Apostolorum, quæ Deo placita est, habere noluistis.

VI. Invitus cogor hoc loco etiam illorum, quorum nolo, hominum facere mentionem, quos vos inter martyres ponitis : per quos tanquam per unicam religionem, vestræ communionis homines jurant. Quos quidem vellem silentio præterire, sed ratio veritatis se sileri non patitur, et ex ipsis nominibus contra unitatem inconsiderate rabida latrat invidia, et aspernantes aliqui accusandam aut fugiendam æstimant unitatem, quod Marculus et Donatus dicantur occisi et mortui. Quasi omnino in vindictam Dei nullus mereatur occidi. Nemo erat lædendus ab operariis unitatis, sed nec ab episcopis mandata divina contemni debuerant : quibus præceptum est : « Quære pacem, et conse» queris eam [3] : » et iterum : « Quam bonum et quam » jucundum habitare fratres in unum [4] ; » et iterum : « Felices » pacifici, quia ipsis filii Dei vocabuntur [5]. » Hoc qui nec libenter volebant audire, nec devote facere voluerunt;

[1] Deut. XXII, 22, et Num. XXV. — [2] Ibid. 11. — [3] Psal. XXXIII, 15. — [4] Id. CXXXII, 1. — [5] Matth. V, 9.

quidquid potuerunt pati : si occidi malum est, mali sui ipsi sunt causa.

VII. Sed arguendus (ut dicitis) vobis videtur esse Macarius, cum voluntate Dei æstimatis eum hoc facere non potuisse. Habetis hujusmodi reos antiquos : accusate primo Moysem, ipsum legislatorem; qui cum de Sina monte descenderet, prope necdum propositis tabulis legis, in quibus scriptum erat : « Non occides : » tria millia hominum uno momento jussit occidi. Macarium differte paulisper, Phineem filium sacerdotis, quem paulo ante memoravi [1], primo in judicium provocate : si tamen inveneritis præter Deum aliquem judicem. Nam quod accusatis in persona ipsius, a Deo laudatum est quod in zelo Dei factum est. Supprimite interim voces, quas in Macarium dictat invidia. Recurrite primo ad Eliam prophetam, qui in rivo Cison, cum pareret voluntati Dei, quinquaginta et quadringentos occidit. Sed forte dicatis illos merito occisos, istos indigne. Nunquam sequitur vindicta, nisi ejus antecesserit causa. Vindicavit (ut diximus) Moyses, vindicavit Elias, vindicavit Phinees; et non vultis ut non vindicaverit Macarius. Nihil offenderant qui occisi esse dicuntur. Sit Macarius reus, in eo quod solus nobis nescientibus, sed vobis provocantibus fecit. Quare nobis fit invidia, cum aliena sunt facta? et in vobis est causa; quia propter vos, qui foris fuistis, quanquam et nunc foris esse videamini, evenisse dicitur; non propter nos, qui intus habitamus, et nunquam de radice recessimus. Sed quia supra memoratorum personas per ordinem diximus, videamus quare Moyses tria millia hominum jussit occidi [2]; quare Phinees duo [3]; et quare Elias quadringentos et quinquaginta [4] : quare Macarius duos, quorum nomina quo-

[1] Num. xxv. — [2] Exod. xxxii. — [3] Num. xxv. — [4] 3 Reg. xviii.

tidie (ut supra dixi) flabello invidiæ ventilatis. Constat in eos vindicasse, a quibus jussio divina contempta est. Nam, « Non tibi facies sculptile [1], » Dei vox est : et, « Non » facies adulterium [2], » ejusdem Dei vox est : « Non sacrifi-» cabis idolis, » idem Deus locutus est : et non facies schisma ; et, « Quære pacem et consequeris eam [3], » ejus dem præceptum est. Temporibus Moysi populus Israël caput vituli coluit, quod illis sacrilega flamma conflavit, ideo tria millia hominum occidi meruerunt, quia Dei vox videbatur esse contempta. Phinees adulteros uno ictu percussit : laudari a Deo meruit : quoniam divinorum præceptorum contemptores occidit. Et quadringenti et quinquaginta quos Elias occidisse legitur, ideo occisi sunt, quia contra jussionem Dei, per quod falsi vates erant, Dei præcepta contempserant. Et illi, quorum nominibus Macarium criminatis, nec a falsis vatibus longe sunt ; quia vos Deus dixit futuros esse falsos vates, quod proximo loco probaturi sumus : et dum pacem noluerunt respicere, ne in uno cum fratribus habitarent, contra præcepta et contra voluntatem Dei pertinaciter obstiterunt. Ergo videtis a Moyse, et Phinee, et Elia, et Macario, similia esse facta, quia ab omnibus unius Dei præcepta sunt vindicata. Sed video vos hoc loco tempora separantes, ut alia fuerint tempora ante Evangelium, alia post Evangelium : in quo potestis dicere, quia scriptum est, ut a Petro jam gladius conderetur, quo auriculam servi sacerdotis abstulerat [4], quem servum potuerat quasi devotus Petrus occidere : sed Christus pati venerat, non defendi. Et si cogatum suum Petrus impleret, in passione Christi videretur servus vindicari, non populus liberari.

VIII. Nam et Macarius gladium a Petro vagina condi-

[1] Exod. xx, 4. — [2] Ibid. 14. — [3] Psal. xxxiii, 15. — [4] Matth. xxvi, 51.

tum non eduxit. Hoc probat Deus, dum ad vallem Sion loquitur dicens : « Vulnerati in te, non vulnerati gladio [1] : » aut probate aliquem illo tempore gladio esse percussum : deinde ait : « Mortui in te, non mortui in bello. » Quare debetis attendere, ne temerarium sit eos martyres appellare, qui Christianorum nullum senserint bellum. Non enim tale aliquid factum aut auditum est, quod in bello Christianorum dici aut fieri solitum est : quod bellum persecutio dicitur, quæ operata est sub duabus bestiis ex illis quatuor, quas Daniel de mari ascendentes aspexit [2]. Prima fuit ut leo : hæc erat persecutio sub Decio et Valeriano. Secunda, ut ursus : alia persecutio, quæ fuit sub Diocletiano et Maximiano : quo tempore fuerunt et impii judices, bellum christiano nomini inferentes : ex quibus in provincia proconsulari (ante annos sexaginta et quod excurrit) fuerat Anulinus, in Numidia Florus. Omnibus notum est, quid eorum operata sit artificiosa crudelitas : sæviebat bellum Christianis indictum ; in templis dæmoniorum diabolus triumphabat; immundis fumabant aræ nidoribus; et quia ad sacrilegia venire non poterant, ubicumque thus ponere cogebantur. Omnis locus templum erat ad scelus. Inquinabantur prope morientes senes : ignorans polluebatur infantia ; a matribus parvuli portabantur ad nefas ; parentes incruenta parricidia facere cogebantur : alii cogebantur templa Dei vivi subvertere ; alii Christum negare ; alii leges divinas incendere ; alii thura ponere. Horum aliquid a Macario factum esse nec vos ipsi confingere poteritis. Sub persecutore Floro Christiani idolorum cogebantur ad templa : sub Macario pigri compellabantur ad Basilicam : sub Floro dicebatur, ut negaretur Christus et idola rogarentur. Contra sub Macario commonebantur omnes, ut Deus unus pariter in Ecclesia ab omnibus ro-

[1] Isai. xxii, 2. — [2] Dan. vii, 3.

garetur. Ergo cum videatis Christianorum nullum fuisse bellum, et sine bello aliquos mortuos esse commemorat Deus, cum dicit : « Et mortui in te non mortui in bello : » et dubios martyres posse eos esse, qui non sint vel ad sacra sacrilega provocati, vel ad immunda incensa, vel ad negationem nominis Dei : et cum ad martyrium non sit transitus, nisi per confessionem, quomodo dicitis martyres qui non fuerunt confessores, aut quis eorum negare coactus est, et confessus est Christum ? Si igitur nec martyrium, sine Christi nominis confessione esse potest, et nemo confessus est, et in vindicta præceptorum Dei factum est, quod factum esse dicitis, et a nobis factum esse aliquid non probatis, cum id quod factum est, et Deus dixerit sic futurum esse, et ejus sunt vindicata præcepta : videte ne non solum vanum, sed etiam superstitiosum sit sine bello mortuos ibi ponere ubi sunt, qui in Christum confessi pro Dei nomine mori potuerunt : aut si eos martyres esse vultis, probate illos amasse pacem, in qua prima sunt fundamenta martyrii; aut dilexisse Deo placitam unitatem ; aut habuisse cum fratribus charitatem. Nam omnes Christianos fratres esse et in primo libello probavimus et in quarto procul dubio probaturi sumus. Quos dicitis appellari martyres, noluerunt fratres agnoscere, nullam habuerunt charitatem. Nec dicatur ad excusationem, quia traditoribus communicare noluerunt ; cum manifestissime probatum sit eosdem ipsos filios fuisse traditorum. Nulla igitur est excusatio, quia charitatem illos non habuisse manifestissime constat, sine qua nullum nec nominari potest vel esse martyrium; sine qua maxima et imperiosa virtus caret effectu ; sine qua nihil valet omnium scientia linguarum ; sine qua nihil potest etiam societas Angelorum, apostolo Paulo dicente : « Si habeam in me potestatem imperandi » montibus, ut transferant se de locis in loca, et loquar

»omnium gentium linguis, etiam Angelorum, et corpus »meum flammis tradam, et charitatem in me non habeam, »nihil sum : sed ero æramentum tinniens in deserto, ut »pereat vocis opus, ubi nullus occurrit auditus [1]. » Si tanta res, si beatus Paulus, si vas electionis, quamvis in imperiosa virtute et Angelorum societate, pronuntiat se nihil esse, nisi charitatem habuerit : videte, annon dicantur martyres, sed aliquid aliud appellari mereantur, qui charitatis desertores pro eadem desertione pati aliquid potuerunt.

IX. Gaudet totus orbis de unitate catholica, præter partem Africæ, in qua incendium de scintilla conflatum est. Ab operariis unitatis querimini nescio quæ esse commissa. Hoc non queritur Italia, non Gallia, non Hispania, non Pannonia, non Galatia, non Græcia, non cum tot provinciis suis Asia; quia nihil illic fuerat emendandum, nullus illuc missus est (ut ita dixerim) sartor; et hic in Africa jamdudum populo in unitate manente, vestis fuerat sana; æmula manu inimici discissa est. Pendebant quodammodo panni de una vestis origine; et de una radice venientes, ab invicem divisi sunt rami. Ut quid se pars parti anteponit? ut quid se super alterum pannum alter pannus extollit, cum meliorem se probare non poterit? quid enim si dicat contemptus pannus : « Quid te tantum extollis? nonne pares crevimus? in manibus conficientium simul fuimus? apud lotorem, pariter mundati sumus? inimicus nos voluit ab invicem excidere; adversarius pulchritudinem nostram voluit deformare. » In parte vestis adhuc unum sumus, sed in diversa pendemus. Quod enim scissum est, ex parte divisum est, non ex toto; cum constet merito, quia nobis et vobis ecclesiastica una est conversatio; et si hominum litigant mentes, non litigant sacramenta. De-

[1] 1 Cor. XIII, 1, 2.

nique possumus et nos dicere : « Pares credidimus, et uno sigillo signati sumus, nec aliter baptizati quam vos; Testamentum divinum legimus pariter; unum Deum rogamus; Oratio dominica apud nos et apud vos una est; sed scissa (ut supra diximus) parte, partibus hinc atque inde pendentibus, sartura fuerat necessaria. » Et tamen hujus rei artifex aut operarius, dum vult vestem in antiquam faciem revocare, vicina fila compungit. Displicet tibi sartor, qui scissuram, dum sanat, vulnerat; ille tibi magis displiceat, qui fecit, ut sartor peccare potuisset. Quæ in vos ab operariis unitatis dicitis esse commissa; aut ad parentes vestros pertinent, quorum causa facta sunt; aut ex voluntate Dei descendunt. Nos autem inde alieni sumus.

X. Quid si quamvis aspera, tamen (ut diximus) cum voluntate Dei videntur esse commissa. Legimus enim in Ezechiele propheta, parietem dealbatum, cui Deus comminatus est tempestatem, pluviam et lapides petrobolos, et accusationes : « Erunt (inquit) falsi vates qui ædificent » ruinosum parietem, dicentes : Pax, pax; et ubi pax [1]? » Recordamini, quomodo a vobis jamdudum matris Ecclesiæ membra ab invicem distracta sunt. Non enim unamquamque domum semel seducere potuistis. Aut abiit uxor, et resedit maritus; aut parentes seducti sunt, et filii sequi noluerunt; aut stetit frater, sorore migrante; persuasionibus vestris divisa sunt et corpora et nomina pietatis; et non potuistis prætermittere quod legitimum est. Utique dixistis : « Pax vobiscum. » Cum Deus contra : « Pax, et » ubi pax? » Hoc est dicere, quid salutas, de quo non habes? quid nominas, quod exterminasti? salutas de pace, qui non amas pacem. Ili (inquit) ædificant ruinosum parietem, domus Dei una est. Qui foras exeuntes partem facere voluerunt, parietem fecerunt, non domum; quia non est

[1] Ezech. XIII, 10.

alter Deus, qui alteram domum inhabitet. Ideo parietem fecisse dicuntur falsi vates, in quo si janua fuerit collocata, quicumque intraverit, foris est. Nec lapidem habere angularem unus paries potest, qui lapis est Christus, duos in se suscipiens populos; unum de Gentibus, alterum de Judæis : qui nodo pacis jungit utrumque parietem. Nam quot commoda habet domus, tot incommoda paries; domus inclusa custodit, tempestatem retundit, pluviam diffundit, latronem aut feram bestiam non admittit; sic et Ecclesia catholica omnes filios pacis gremio et sinu suo complectitur; contra paries, qui est ædificatus ruinosus, nec lapidem angularem sustinet, et januam sine causa habet, nec inclusa custodit, pluvia udatur, tempestatibus cæditur; nec potest arcere latronem, nec venientem prohibet feritatem. Paries de domo est, sed domus non est; et pars vestra quasi Ecclesia est, sed catholica non est. « Et dealbant (inquit) eum, » hoc est, quod vos solos sanctos æstimatis. Querimini vos sine nobis aliqua esse passos; ergo constat vos solos aliqua passos. Quia aliud est tempus pacis, aliud tempus persecutionis; si persecutionem putatis, dicite, quid vobiscum passæ sint universæ provinciæ, in quibus Ecclesia catholica est constitua? sed quia vindicta fuit, non persecutio, solus paries passus est, cui Deus interminatus est tempestatem, pluviam, et petrobolos et accusationes. Sic enim locutus est; « Quid ædificastis ruinam? quid dealbastis? quid linistis? hoc contra voluntatem meam est, dicit Dominus. » Displicent vobis tempora nescio cujus Leontii, Ursacii, Macarii, et cæterorum; emendate voluntatem Dei, si potestis, qui dixit : « Contra parietem exurgam cum ira » mea; et immittam tempestatem nimiam, et pluviam, » diluvia, et lapides petrobolos, et percutiam parietem rui» nosum, et dissolventur compagines ejus[1]. » Sednequis ves-

[1] Ezech. XIII, 13.

trum dicat : « Si unitas bonum est, quare toties facta durare non potuit ? » Ideo, quia sic res ipsa a Deo est ordinata, qui comminatus est tempestatem, pluviam, lapides et accusationes ; et istæ quatuor res non poterant uno tempore fieri. Fuit primo tempestas sub Ursacio; agitatus est paries, sed non occidit, ut haberet pluvia, ubi operaretur. Secuta est pluvia sub Gregorio ; udatus est paries, sed non maduit, ut haberent lapides, ubi operarentur. Post pluviam secuti sunt lapides sub operariis unitatis; dispersus est paries, sed de fundamentis suis se iterum reparavit. Jam tria peracta sunt; debentur vobis accusationes, sed quomodo et quando, novit ille, cui placuit de vobis ista nuntiare.

XI. Et ne aliquis de hoc intellectu dubitaret, Deus addidit, dicens : « Non sunt quæ dico de luto, aut de latere, aut » de pariete, sed de falsis prophetis, qui seducunt populum » meum [1]. » Hoc verbum, « Seducunt, » videte cui parti competat. Nobiscum erant omnes; nobis absentibus, irruistis ; sed ut haberetis quos habere desiderastis, non potuistis nisi seducere ; et quæ sint verba seductionis vestræ, omnibus notum est. Vestrum est dicere : « Attendite post vos ; » vestrum est dicere : « Redimite animas vestras ; » vestrum est dicere hominibus fidelibus et clericis : « Estote Christiani. » Sed cum dictis, « Attendite post vos, » contra Evangelium facitis, ubi dictum est : « Nemo tenens mani» cam aratri, post se attendens, intrabit regna cœlorum [2]. » Et vultis scire quid meruit, qui post se attendit, et qui ante se? recordamini Sodomorum fugitivos, Lot et uxorem ejus [3] ; quæ post se attendens, in statuam salis mutata est; qui ante se prospexit, evasit. Quid est ergo quod dicitis, « Attendite post vos? » nam et cum dicitis, « Redimite animas vestras ; » unde illas emistis, ut vendatis? Quis est ille nescio quis angelus, qui nundinas facit animarum,

[1] Ezech. XIII, 10. — [2] Luc. IX, 62. — [3] Gen. XIX.

quas ante ejus adventum diabolus possidebat? has sanguine suo Christus Salvator noster redemit, Apostolo dicente: « Empti enim estis pretio magno [1]. » Constat enim sanguine Christi omnes redemptos. Christus non vendidit quos redemit. Animæ emptæ a Christo non potuerunt vendi, ut possint, sicut vultis, a vobis iterum redimi. Aut quomodo potest una anima duos dominos habere? aut numquid est alter redemptor? qui Prophetæ nuntiaverunt alterum esse venturum? quis Gabriel iterum ad alteram Mariam locutus est? quæ virgo iterum peperit? quis virtutes novas aut alteras fecit? Si nullus est præter unum, qui redemit animas omnium credentium, quid est quod dicitis, « Redimite animas vestras? » Jam illud quale est, quod hominibus christianis etiam clericis dicitis, « Estote Christiani? » et cum miraculo quodam unicuique audetis dicere, « Caï Seï, Caïa Seïa, adhuc paganus es, aut pagana. » Eum, qui ad Deum se conversum esse professus est, paganum vocas; eum, qui vel a nobis vel a vobis, non in nomine nostro nec vestro, sed in nomine Christi tinctus est, paganum vocas; (sunt enim qui et a vobis baptizati sunt, et ad nostram communionem postea transierunt.) Paganum vocas eum, qui Deum patrem per Filium ejus ante aram rogaverit. Quicumque enim crediderit, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti credidit; et tu eum paganum vocas post professionem fidei. Si aliquis Christianus (quod absit) deliquerit, peccator dici potest; paganus iterum esse non potest. Sed omnia vultis nullius esse momenti. Ac si tibi ipsi consenserit, quem seducis, unus consensus et manus tuæ porrectio, et pauca verba, jam tibi Christianum faciunt de Christiano; et ille vobis videtur Christianus, qui quod vultis fecerit, non quem fides adduxerit.

XII. Et si seductioni vestræ paulo tardius fuerit accom-

[1] 1 Cor. vi, 20.

modatus assensus, etiam illa vobis argumenta non desunt; quibus quasi facile etiam nolentibus, quod vultis, suadere possitis; dum dicitis dictum esse ex ore eorum, qui jamdudum in vestro collegio fuerant; « Quod qui gustaret aut acciperet de sacrificio adventantis unitatis, de sacro gustare videretur. » Non negamus ab aliquibus esse hæc dicta, quos constat postea tota securitate fecisse, unde paulo ante populos deterrebant; sed alia ratio exegit has voces, alia invitavit in factum. Nam ut hæc dicerent qui feruntur ista dixisse, opinio falsa, eorum aures et omnium populorum compleverat. Dicebatur enim illo tempore venturos Paulum et Macarium, qui interessent sacrificio, ut cum altaria solemniter aptarentur, proferrent illi imaginem, quam primo in altare ponerent, et sic sacrificium offerretur. Hoc cum acciperent aures, percussi sunt et animi, et uniuscujusque lingua in hæc verba commota est, ut omnis, qui hæc audierat, diceret: « Qui inde gustat, de sacro gustat. » Et recte dictum erat, si talem famam similis veritas sequeretur. At ubi ventum est a supradictis, nihil tale visum est, ex eo quod fuerat paulo ante fama mentita; nihil viderunt oculi christiani quod horrerent; nihil probavit aspectus ex iis, quibus perturbatus erat auditus. Visa est puritas, et ritu solito solemnis consuetudo perspecta est; cum viderent divinis sacrificiis, nec mutatum quidquam, nec additum, nec ablatum. Pax a Deo commendata, volentibus placuit; quare nullus eorum debet argui, qui de collegio vestro ad pacem transitum fecit; qui fuerant sinistra opinione turbati, simplici ac pura veritate firmati sunt. Nec dicatur de amaro fecisse dulce, aut de dulci amarum. Amaritudo, quæ de falsitate videbatur fuisse nuntiata, in sinu opinionis resedit ac remansit; veritas perspecta oculis, dulcedinem suam in se habens, a falsæ opinionis limitibus separata est. Ergo nec de amaro factum

est dulce, nec de dulci amarum; quia et aliud et extra est quod est visum, et longe fuerat quod videbatur auditum. Quare vides te sine causa fecisse convicium, fingens pro arbitrio quod voluisti, ut Macarium et Taurinum lacerares. Perdidisti quod sapiens videris, dum sensus tuos invidia depravavit, et intelligendi tibi aditus clausit.

LIBER IV.

In hoc quarto volumine indicio Dei ostenduntur qui sint hoc tempore peccatores; et quia Deus per Jeremiam prophetam Judæis irascitur non Christianis; et quia idola sunt lacus detriti, non Macarius aut Taurinus, sicuti Parmeniano visum est.

ARGUMENTUM.

I. *Argumentum hujus libri.* II. *Donatistas esse fratres Catholicorum.* III. *Donatistas peccatores esse.* IV. *Donatistæ disciplinæ contemptores.* V. *Donatistæ calumniatores, detractores, scandalorum auctores.* VI. *Donatistæ fures, et qua ratione.* VII. *Quo sensu dictum sit illud :* Oleum peccatoris non ungat caput meum. VIII. *Hæretici proprie filii adulterorum.* IX. *Prophetiam Jeremiæ de populo derelinquente fontem vivum et sibi fodiente lacus detritos de Judæis idola sequentibus, non de aqua baptismatis intelligendam.*

I. A te nobis [1], frater Parmeniane, de petito milite frustra calumniam factam esse, aperte dilucideque monstratum est. Etiam illud disce, quod dixisti de oleo et sacrificio peccatoris, ad vos potius pertinere : non enim ille debet esse peccator, quem vos volueritis. Nam et nos vestram præsumptionem possumus imitari, et dicere vos esse peccatores. Sed facessat ex utraque parte præsumptio : nullus nostrum humano judicio alterum damnet. Dei est, nosse

[1] Vide D. Guillon, tom. v, pag. 273.

reum, illius ferre sententiam. Taceamus omnes homines : solus Deus indicet peccatorem, cujus sacrificium sit canina victima (12), et cujus oleum ungi desideranti ingerat metum.

II. Hujus rei apertissimam veritatem, Parmeniane frater, agnosce. Si tamen hoc nomen fraternitatis frequenter a me dictum, libenter audire dignaris : fac, ut tibi sit fastidiosum; tamen nobis est necessarium, ne forte juxta probationem hujus nominis, tacendo rei esse videamur. Si enim tu non vis esse frater, ego esse incipio impius, si de nomine isto tacuero. Estis enim fratres nostri, et nos vestri, Propheta dicente : « Nonne vos unus Deus creavit, unus » pater genuit[1] ? » non enim potestis non esse fratres, cum omnibus dictum sit : « Dii estis, et filii Altissimi omnes[2]. » Et nos et vos qui præceptum unum accepimus, in quo dictum est : « Ne vocetis vobis quemquam patrem in terris, » quia unus est Pater vester in cœlis[3]. » Salvator noster Christus solus natus est Filius Dei : sed et nos et vos filii Dei uno modo facti sumus, sicut in Evangelio scriptum est : « Venit Filius Dei; quotquot eum receperunt, dedit eis » potestatem, ut filii Dei fierent qui credunt in nomine ejus[4]. » Nos et facti sumus et dicimur : vos et factis estis et non dicimini, quia pacifici esse non vultis, nec audire ipsum Filium Dei dicentem : « Felices pacifici, quia ipsi filii Dei » vocabuntur[5]. » Christus veniens, Deum et hominem revocavit in pacem : « Et fecit ambos unum, tollens medium » sepem parietis[6]. » Vos nobiscum, id est, cum fratribus, pacem habere non vultis. Non enim potestis non esse fratres, quos iisdem sacramentorum visceribus una mater Ecclesia genuit, quos eodem modo adoptivos filios Deus pater excepit. Unde hujus temporis præscius Christus,

[1] Malach. II, 10. — [2] Psal. LXXXI, 6. — [3] Matth. XXIII, 9. — [4] Joan. I, 11. — [5] Matth. V, 9. — [6] Ephes. II, 13.

quia futurum erat ut a nobis hodie discordaretis, talia dedit orandi mandata, ut vel in oratione unitas remaneret, ut preces jungerent, quos discrepaturæ fuerant partes. Oramus pro vobis, quia volumus; et vos pro nobis, et cum non vultis: aut dicat unusquisque vestrum; « Pater meus qui in cœlis es, et panem meum quotidianum da mihi hodie, et dimitte mihi peccata, quomodo et ego debitori meo. » Igitur si quæ mandata sunt, mutari non possunt; videtis nos non in totum ab invicem esse separatos, dum et nos pro vobis oramus, volentes; et vos pro nobis oratis, etsi nolentes. Vides, frater Parmeniane, sanctæ germanitatis vincula inter nos et vos, in totum rumpi non posse.

III. Jam peccator quærendus est, cujus potuit vel oleum timeri, vel sacrificium repudiari. Cesset humana suspicio; utriusque partis præsumptio sileat; quis sit peccator solus indicet Deus. Legimus in quadragesimo-nono Psalmo sub secundo diapsalmate, Spiritum sanctum dixisse: « Peccatori autem dixit Deus[1]. » Hoc loco advertenda est tota mentis intentio, et videndum, quis sit peccator. Si enim post quod lectum est: « Peccatori autem dixit Deus: » verba hujusmodi sequerentur, et diceret: « Tulisti arma, processisti castris, stetisti contra hostes in acie: » timendum erat militi, quia potuit ipse videri peccator. Aut si diceret: « Comparasti merces, peregrinatus es, egisti nundinas, lucri causa quod emeras vendidisti: » timendum erat negotiatori, quia potuit ipse videri peccator. Aut si diceret: « Fabricasti navem, struxisti funibus, ornasti velis, opportunos ut navigares captasti ventos: » timendum erat nautæ, quia potuit esse videri peccator. Aut post quod lectum est: « Peccatori autem dixit Deus: » si sequerentur hæc verba: « Dissensio et schisma tibi displicuit, concordasti cum fratre tuo, et cum una Ecclesia, quæ est in toto orbe terrarum,

[1] Psal. XLIX, 16.

communicasti septem Ecclesiis, et memoriis Apostolorum, amplexus es unitatem : » si hæc subsequens lectio contineret, nobis timendum erat, nos esse potuimus peccatores. Cum autem dicit Deus : « Ad quid exponis justitias meas, et as-» sumis testamentum meum per os tuum? tu autem con-» tempsisti disciplinam, et abjecisti sermones meos retro : » sedens adversum fratrem tuum, detrahebas, et adversus » filium matris tuæ ponebas scandalum. Videbas furem, et » currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam pone-» bas [1]. » Hæc ad vos dicta sunt omnia. Excusate vos ab his omnibus, si potestis.

IV. A vobis enim contempta est disciplina : ut quid recitas testamentum, qui testamento non servis, in quo descripta est disciplina, quam servare non vultis? non enim potestis dicere vos eam servare, contra quam militatis. Deus dicit : « Quære pacem, et consequeris eam [2] : » tu repudiasti pacem : non est contemnere disciplinam?

In Evangelio legitur : « Pax hominibus in terra bonæ » voluntatis [3] : » Tu nec voluntatem bonam vis habere nec pacem : non est contemnere disciplinam? Item in Psalmo centesimo trigesimo secundo legitur : « Ecce quam bonum » est et jucundum, habitare in unum [4] : » in unum habitare cum fratribus non vis : non est contemnere disciplinam? Christus dicit in Evangelio : « Qui semel lotus est, non » habet necessitatem iterum lavandi [5] : » tu rebaptizando iterum lavas : non est contemnere disciplinam? Deus dicit : « Ne tetigeritis Christos meos, neque in Prophetas meos » manum miseritis [6] : » vos tot sacerdotes Dei honoribus expoliastis : non est contemnere disciplinam ? Christus dicit : « Inde scio quia Discipuli mei estis, si vos invicem diliga-» tis [7] : » odio nos habetis, fratres utique vestros : nec

[1] Psal. XLIX, 16-18. — [2] Id. XXXIII, 15. — [3] Luc. II, 14. — [4] Psal. CXXXII, 1. — [5] Joan. XIII, 10. — [6] Psal. CIV, 15. — [7] Joan. XIII, 34.

Apostolos imitari voluistis, a quibus etiam negator dilectus est Petrus : non est contemnere disciplinam? exponis justificationes Dei, et assumis testamentum ejus per os tuum : testamentum recitas, et testamento non servis, in quo descripta est disciplina : quomodo dicis : « Quære pacem, » cum non habeas pacem?

V. Electi estis, qui sedentes populum doceatis, et detrahitis nobis, utique fratribus vestris. Quoniam (sicut supra dixi) una nos mater Ecclesia genuit, unus nos Deus pater excepit; et tamen scandala contra nos ponitis, mandando singulis, ne nos salutent : ne a nobis dignationem accipiant. Considerate verba superbiæ vestræ : considerate tractatus, considerate mandata, actus quoque vestros revolvite. Nullus vestrum est, qui non convicia nostra suis tractatibus misceat : qui non aliud initiet, aliud explicet. Lectiones dominicas incipitis, et tractatus vestros ad nostras injurias explicatis : profertis Evangelium, et facitis absenti fratri convicium : auditorum animis infunditis odia, inimicitias docendo suadetis, hæc omnia dicendo, contra nos scandala ponitis. Ergo unicuique vestrum dictum est : « Sedens adversus fratrem tuum detrahebas, et adversus » filium matris tuæ ponebas scandalum[1]. » Dum peccatorem arguit, et sedentem increpat Deus, specialiter ad vos dictum esse constat, non ad populum, qui in Ecclesia non habet sedendi licentiam. Vides ergo procul dubio vobis imputari debere cum dicit Deus : « Sedens adversus filium » matris tuæ, ponebas scandala. » Unam matrem nos habere jam toties comprobavi : nec vos negare potestis, qui contra nos scandala ponitis, dum aliqui vestrum et non intellectas proferunt lectiones, ut auferant etiam illud, quod inter omnes solet esse commune, salutationis videlicet officium, Nam et vos ipsi aliqui in perfunctoria salutatione oscula

[1] Psal. XLIX, 18.

denegatis solita, et docentur multi, ne ave dicant cuiquam nostrum, et videntur sibi hoc de lectione, sed non intellecta, mandari, ignorantes de quibus Apostolus hoc dixerit: « Cum his nec cibum capere[1] : ave illi ne dixeritis[2] : serpit enim eorum sermo velut cancer[3]. » Dixit hoc de hæreticis, quorum cœperat illis temporibus vitiosa esse doctrina : qui subtili seductione verborum, morbis obscure serpentibus corrumperent fidei sanitatem; ut Marcion, qui ex episcopo apostata factus, inducebat duos Deos et duos Christos; ut Praxeas, qui argumentabatur Patrem passum esse, non Filium; ut Valentinus, qui conabatur carnem Christo subducere. Horum est sermo, qui habuit cancer ad fidei membra vexanda. Talis sermo est et Scorpiani hæretici, qui negabat debere esse martyria : scilicet venena sua sibi servent, nec eorum relatio auditorum intellectus simplices vel leviter vexet. Hujus igitur sermo est, qui vitandus est, ne serpat sicut cancer. Dictum est hoc et de Ario, qui conabatur docere Filium Dei ex nullis substantiis factum esse, non ex Deo natum : cujus doctrina, nisi in Nicæno concilio a trecentis decem et octo episcopis dissiparetur, pectora multorum sicuti cancer intraverat. Dictum est hoc de Photino præsentis temporis hæretico, qui Filium Dei ausus est dicere tantummodo hominem fuisse, non Deum. Potuit hoc et de vobis dici, quia vester sermo animis et auribus aliquorum non leve intulit cancer. Vester enim sermo est, quem ad pacis filios habetis; dum dicitis : « Periistis, attendite post vos; peribit anima vestra; quandiu vos tenetis? » Sic fecistis de fidelibus pœnitentes : sic mortificastis in sacerdotibus honores. Ecce et vester sermo est, qui serpit velut cancer hodie, ut salutatio et convictus prohibeatur. Noster sermo quid tale facere potuit? qui simplici doctrina filios pacis retinemus : non alienos sedu-

[1] 1 Cor. v, 11. — [2] 2 Joan. x. — [3] 2 Tim. ii, 17.

cimus, nec quemquam exterminamus. Manifestum est igitur, vos contra nos quotidie scandala ponere : et longum est percurrere omnes modos, quibus nobis detrahitis, et omnia quibus scandala ponitis.

VI. Nam et cum dicit : « Videbas furem et concurrebas » cum eo : » de qua re hoc putatis dictum esse? numquid de subducto vestimento aut de involato gremio, aut de aliquibus rebus, quæ ablatæ vel lucra vel damna inter homines faciunt? equidem sunt et ista prohibita : sed in hac lectione illa furta increpat Deus, quæ sibi sunt facta. Quæritis quæ furta sunt Deo facta? apud vos inveniuntur. Possessio Dei, est turba fidelium, ex qua quotidie fur diabolus cupit aliquid involare : Christiani aut Christianæ vult vel mores ex aliqua parte corrumpere, et si non totum hominem, sed quodcumque de homine rapere. Talem furem cum videatis contra nos vim facere, vestris operibus adjuvistis ; nam neminem fugit, quod omnis homo qui nascitur, quamvis de parentibus christianis nascatur, sine spiritu immundo esse non possit, quem necesse sit ante salutare lavacrum, ab homine excludi et separari. Hoc exorcismus operatur, per quem spiritus immundus depellitur, et in loca deserta fugatur. Fit domus vacua in pectore credentis, fit domus munda : intrat Deus et habitat, Apostolo dicente : « Vos estis templum Dei, et in vobis Deus habitat [1]. » Et cum Deo unusquisque plenus sit, de quo fur diabolus aliquid involare contendit : vos rebaptizando exorcizatis hominem fidelem, et dicitis Deo habitanti : « Maledicte exi foras, » ut compleatur quod a Deo dictum est per prophetam Ezechielem : « Et maledicebant mihi in populo meo, » propter plenam manum hordei et buccellam, ut occiderent animas quas non oportuit mori, dum annuntiant po» pulo meo vanas seductiones [2]. » Audit ergo Deus injurias

[1] 1 Cor. III, 16 — [2] Ezech. XI, 19.

non sibi debitas, et hujusmodi habitaculum deserit : et homo, qui Deo plenus in Ecclesiam intraverat, egreditur vas inane. Diabolus qui volebat quasi fur aliquid involare, adjutus operibus vestris, videt totum suum factum esse, unde volebat paululum aliquid tollere, ergo de vobis dixit Deus : « Videbas furem, et concurrebas cum eo[1] : » denique in Evangelio sic scriptum est : » Cum autem Deus deseruerit hominem, remanet vas inane ; spiritus autem im- » mundus errans per loca deserta, jejunus dicit : Domus » mea vacua est[2] : » hoc est dicere, qui me excluserat, exclusus est : « Revertar illuc et habitabo : et adducit secum » alios septem sæviores, et habitabit illic ; et erunt hominis » illius pejora novissima, quam quod fuerunt prima[3] : » hoc est : « Videbas furem, et concurrebas cum eo, et cum » mæchis particulam tuam ponebas. » Hæreticos dicit mœchos, et mœchas ecclesias illorum ; quas aspernatur et repudiat Christus in Canticis Canticorum : quasi dicat : « Quid mihi colligitis non necessarias ? « Una est dilecta mea, » una est sponsa mea, una est columba mea[4], » id est, Catholica, in qua et vos cum esse possetis, rebaptizando inter mœchos particulam habere voluistis. Et quoniam vos esse peccatores, divino testimonio manifestissime comprobatum est : etiam illud ostensum est tua auxilia contra te militasse : in auxilium enim adduxeras Prophetam, in quo lectum est : « Sacrificium peccatoris, quasi qui victimet » canem[5]. » Jam peccatores vos esse, si pudor est ullus, cum dolore recognosce.

VII. Etiam illud disce, cujus vox sit : « Oleum peccato- » ris non impinguet caput meum : » tu enim non intellexisti, cujus hæc vox sit, utique Christi, qui necdum unctus fuerat, cum rogaret, ut oleum peccatoris non impinguaret

[1] Psal. XLIX, 18, — [2] Matth. XII, 43. — [3] Ibid. 44, 45. — [4] Cant. VI, 8. — [5] Isaï. LXVI, 3.

caput ejus. Hæc tu non intelligens, dixisti : « Quia David propheta timuit oleum peccatoris. » A Samuële jamdudum perunctus fuerat[1] qui cantabat; non fuit ratio ut iterum ungeretur : ergo vox est Christi dicentis : « Oleum pecca- » toris non ungat caput meum[2]. » Preces sunt, non jussiones : desideria sunt, non præcepta : nam si jussio esset, diceret : « Oleum peccatoris non unget caput meum. » Vox igitur est Filii Dei jam tunc metuentis oleum peccatoris incurrere, id est, cujusque hominis; quia nemo est sine peccato, nisi solus Deus. Ideo Filius ejus timuit oleum hominis, quia fœdum fuerat, ut Deus ab homine ungeretur. Ideo deprecatur Patrem, ut non ungatur ab homine, sed ab ipso Domino Patre. Petit ergo Filius : videamus an consenserit Pater. Hoc Spiritus sanctus indicat et manifestat in Psalmo quadragesimo-quarto ubi ait ad ipsum Filium : « Unget te Dominus Deus tuus oleo exultationis aliter » a consortibus tuis[3]. » Consortes fuerant Judæorum sacerdotes et reges, quos singulos unctos ab hominibus constat. Sed quia Filius a Patre, Deus a Deo, erat ungendus, secundum quod Filius petiit, Spiritus promissa nuntiavit, et complevit Pater in Jordane : quo cum veniret Filius Dei, Salvator noster, ad Joannem ostensus est his verbis : « Ecce » Agnus Dei : hic est qui tollit peccata mundi[4]. » Descendit in aquam, non quia erat quod in Deo mundaretur, sed superventurum oleum aqua debuit antecedere, ad mysteria initianda et ordinanda, et implenda baptismatis : lotus, cum in Joannis manibus haberetur, secutus est ordo mysterii, et complevit Pater quod rogaverat Filius et quod nuntiaverat Spiritus sanctus. Apertum est cœlum Deo Patre ungente, spiritale oleum statim in imagine columbæ descendit, et insedit capiti ejus, et perfudit oleo, unde cœpit

[1] 1 Reg. XVI. — [2] Psal. CXL, 5. — [3] Id. XLIV, 8. — [4] Joan. I, 30.

dici Christus, quando unctus est a Deo Patre; cui ne manus impositio defuisse videretur, vox audita est Dei de nube dicentis : « Hic est Filius meus, de quo bene sensi, » hunc audite[1]. » Hoc est igitur quod lectum est : « Oleum » peccatoris non ungat caput meum[2]. » Rationem veritatis, frater Parmeniane, vel sero addisce, quoniam nunc tempus invenisti discendi.

VIII. Et illud quod in Salomone propheta lectum esse dixisti : « Filios adulterorum inconsummatos, et spuria vi- » tulamina altas radices dare non posse[3] : » hoc et simpliciter dictum esse intelligi potest. Unde si figuram facias, veros adulteros excusasti. Sed fac, ut figuraliter dictum sit : hoc de hæreticis dictum est, apud quos sunt sacramentornm falsa connubia; et in quorum choris iniquitas invenitur; ubi in exterminium fidei corrupta sunt semina. Dum Valentinus Filium Dei in phantasmatis, non in carne fuisse contendit, fidem suam suorumque corrupit. Nativitatis eorum semen exterminatum est, qui non crediderunt Filium Dei in carne natum de virgine Maria, et passum in carne.

IX. Nam et illud quod in Jeremia propheta te legisse commemoras, exhorruisse cœlum quod duo maligna fecerit populus Dei, ut « Derelinquerent fontem aquæ vivæ, et fo- » derent sibi lacus detritos, qui non possent aquam conti- » nere[4]. » Legisti quidem, sed ut se res habent, intelligere noluisti, studio criminandi ad convicium Catholicorum cuncta componens, multum ad arbitrium tuum declinare conatus es. Si enim putas per Prophetas sic dicta esse omnia, ut ad tempora nostra pertineant : excusasti Judæos, de quibus hæc dicta esse constat, qui dimiserunt Deum vivum,

[1] Matth. III, 17. — [2] Psal. CXL, 5. — [3] Sap. III, 16, et Id. IV, 3. — [4] Jer. II, 13.

Deum verum, Deum qui illis beneficia præstitit : et fecerunt sibi idola, hoc est, lacus detritos, qui non possunt aquam continere. In Deo perennis majestas exundat, sicut in fonte, qui largiter fluentibus venis exuberat. Idola vero si non fiant, non sunt, et lacus si non fodiantur, sinus capaces habere non possunt : lacus sine arte et ferramentis cavari non potest : nec idolum sine artifice fieri potest. In idolis virtus naturalis nulla est, sed hominum errore adjungitur et applicatur : æstimatur in idolo virtus, quæ illic nata non est : lacus est iste detritus, cujus fabrica vitiata est, ut aquam nec de se habeat, et acceptam continere non possit, sic et idolum nec de se est aliquid, et dum colitur nihil est. Hoc est quod dixit Deus, duo mala fecisse populum suum, quia dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et effossos ac detritos sibi fecerunt lacus. Etenim Judæorum populus deseruerat veram aquam : non noverat majestatem Dei, et idolorum inquinatam sectatus fuerat religionem. Hoc est, quod dolet Deus : hoc est quod dicit cœlum exhorruisse. Nam et per Esaïam prophetam idem Dei dolor est, dum in hoc duo testatur elementa, dum ait : « Audi cœlum, et per- » cipe auribus terra ; Filios generavi et exaltavi, ipsi autem » me dereliquerunt [1]. » Quare non de hac lectione aliquid, frater Parmeniane, dixisti? an quia hic non est aqua nominata? Intelligeris enim studio criminandi sic pulsasse legem, ut ubicumque aquam scriptam legeris, præstigiis quibusdam ad invidiam colligeres, et everriculo quodam malitiæ argumentorum intexto, ad te omnia quæ sunt bona traxisti. Nam qualis est tuus intellectus in hoc capitolo Jeremiæ, cum clamet Deus se desertum esse [2], et sic effossos lacus : pro se irascitur, non pro re sua. Aqua enim baptismatis res Dei est, non Deus : et si putatis desertos esse,

[1] Isaï. I, 2. — [2] Jer. II.

quando apud vos fuerunt, qui apud nos baptizati sunt, merito vestri desertores ad nos venire viderentur. Probatum est ergo te non contra nos, sed contra vos dixisse, quod a te dictum est de oleo et sacrificio peccatoris.

LIBER V.

In hoc quinto libello ostenditur quia in baptismate homines operantur, et quia Deus lavat, et Christus ejus dat quod in baptismate accipitur, et quia rebaptizati regnum Dei possidere non possunt, et quia perdiderunt vestem nuptialem.

ARGUMENTUM.

I. *Ex principiis Parmeniani sequi unum esse baptisma.* II. *In baptismate Trinitatem, non ministri personam operari.* III. *Baptisma non esse iterandum.* IV. *Deum esse qui lavat in baptismate; non autem ministrum.* V. *De baptismo Joannis, quando et cur post ipsum baptisma Christi collatum.* VI. *Responsio de illud : Qui non habet quod det, quomodo dat?* VII. *Baptismi gratiam Dei donum esse non hominis, qui operarius tantum esse probatur.* VIII. *De fide suscipientis baptismum.* IX. *Comparatio Naaman Syri intempestive a Parmeniano allata.* X. *Parabola nuptiarum a Parmeniano perperam allata.* XI. *Cum mortuos infantes rebaptizare non possint Donatistæ, cur viventes rebaptizant?*

I. Traditores legis [1] qui fuerint et auctores schismatis, in primo libro manifestissimis documentis ostendimus, et apud nos esse unam veram Ecclesiam catholicam secundo monstravimus; tertio vero probavimus, quæ aspere facta esse dicuntur, ad nos minime pertinere, et vos magis peccatores esse indicio divino docuimus. Jam de baptismate

[1] Vide D, Guillon, tom. v, pag. 273-276.

hoc loco dicendum est; in qua re, quæ nunc agitur, quæstio tota consistit, quod baptisma vestra violavit audacia, dum id voluistis iterare, quod semel mandavit Christus esse faciendum. Quod nec tu negas, frater Parmeniane, qui in principio tractatus tui, multa contra vos pro nobis, quæ sunt nostra, dixisti. Commemorasti enim in comparatione baptismatis, semel factum esse diluvium; et unam circumcisionem fuisse ad populum Judæorum. Et cum hæc initio dictionis tuæ tractaveris, in processu tractatus tui tamen horum immemor factus es, inducendo duas aquas, et de aqua vera et falsa dicturus, principium sermonis tui insipienter præstruens ordinasti; infirmando, confirmas sancti baptismatis unionem. De circumcisione judaïca, quasi fundamentum jactare voluisti, quod Christianorum in Hebræorum circumcisione fuerat adumbratum; defendisti Catholicam dum impugnas. Etenim in progressu tractatus tui, alterum te inanire professus es, ut alterum replere videreris. Extra hæreticorum baptisma, dum dicis alterum et alterum; licet diversa ostendere conatus sis, non possis negare, quia duo sunt; exquibus dum conaris auferre alterum, laborasti ut de secundo quasi primum facere videreris. Circumcisio autem ante adventum baptismatis in figura præmissa est, et a te tractatum est, apud Christianos duas esse aquas; ergo et apud Judæos duas circumcisiones ostende; alteram meliorem, pejorem alteram. Hoc si quæras, non poteris invenire; Abrahæ prosapia, qua Judæi censentur, hoc sigillo se insigniri gloriantur; ergo talis debet veritas sequi, qualis ejus imago præmissa est. Nam et Deus, qui voluit ostendere rem singularem post esse debere insequente veritate; non de auricula, non de digito voluit aliquid tolli; sed ea pars corporis electa est, unde peritomen semel ablatum salutare in illis faceret signum, quod non potest iterum fieri. Semel enim

factum servat salutem; si iterum fiat, potest afferre perniciem; sic et baptisma Christianorum, Trinitate confectum, confert gratiam; si repetatur, facit vitæ jacturam. Quid tibi igitur placuit, frater Parmeniane, rem singularem proponere, et contra hanc licet diversa duo baptismata comparare, unum verum, alterum falsum? sic enim postea disputasti, duas aquas esse, cum vobis unam vindicans veram, alteram nobis mendacem ascribere voluisti. Post hoc etiam cataclysmi fecisti mentionem; erat quidem imago baptismatis, ut inquinatus totus orbis, demersis peccatoribus, lavacro interveniente, in faciem pristinam mundaretur. Sed qui postea dicturus eras, extra hæreticorum morbidos fontes, esse etiam aliam aquam, id est, mendacem, contra veram; ut quid cataclysmum (quod semel fuit) commemorare voluisti? Si ita est, ostende prius duas arcas etsi non similes, et duas columbas dispares diversos ramos ore suo portantes [1], si aquam veram et falsam probaturus es. Aqua igitur sola et vera illa est, quæ non de loco, non de persona, sed de Trinitate condita est; et quia dixisti, et aquam esse mendacem, etiam hoc disce, ubi eam poteris invenire; apud Praxeam, Patripassianum, qui ex toto Filium negat, et Patrem passum esse contendit. Et cum sit Filius Dei veritas, sicut ipse testatur dicens : « Ego sum janua, et via, et veritas [2] : » ergo Filius Dei est veritas; ubi ipse non est, mendacium est; cum apud Patripassianum non est Filius, non est veritas; et ubi veritas non est, ibi est aqua mendax. Quare vel sero desine confingere crimina ; et quod in Patripassianos dictum est, in Catholicos noli transferre. Nunc quoniam manifeste monstratum est a nobis et pro vobis dici potuisse, quod de diluvio et circumcisione locutus es; consequens est ostendere, quomodo laudem baptismatis ita dixeris, ut in ea

[1] Gen. XIII. — [2] Joan. XIV, 6.

multa pro nobis et pro vobis, aliquid tamen contra vos, pro utrisque illud est, quod et nobis et vobis commune est; ideo et vobis, quia ex nobis existis. Denique et apud vos et apud nos una est ecclesiastica conversatio, communes lectiones, eadem fides, ipsa fidei sacramenta, eadem mysteria. Bene igitur laudasti baptisma; quis enim fidelium nesciat singulare baptisma virtutum esse vitam, criminum mortem, nativitatem immortalem, cœlestis regni comparationem, innocentiæ portum, peccatorum (ut et tu dixisti) naufragium. Has res unicuique credenti, non ejusdem rei operarius, sed credentis fides et Trinitas præstat.

II. Deinde quæris, quid in laude baptismatis contra vos dixeris? audi; sed prius est fatearis, quod omnes negare minime poteritis. Dicitis enim Trinitatem pro nihilo haberi, ubi non interfuerit vestra præsentia. Si nobis derogatis, vel Dominum reveremini, qui in Trinitate prior est; qui cum Filio suo et Spiritu sancto omnia operatur et complet, etiam et illic ubi non fuerit humana persona. Tu vero, frater Parmeniane, in laude aquæ de Genesiorum lectione dixisti aquas primum vivas animas edidisse; numquid sua sponte eas generare potuerunt? numquid non et illic fuerat tota Trinitas? utique et illic fuerat Deus pater, qui jubere dignatus est, qui dixit: « Educant aquæ natantia, volatilia [1], etc. » Quod si sine operante fieret quod factum est, diceret Deus: « Educite aquæ. » Ibi erat ergo Filius Dei qui operabatur; ibi erat Spiritus sanctus, sicuti lectum est: « Et Spiritus Dei superferebatur super aquas [2]. » Nihil illic video quartum, nihil minus a tribus; et tamen natum est quod Trinitas operata est; et non ibi fuistis; aut si sine vobis nihil debet licere Trinitati, revocate pisces in originem; jam volantes aves fluctibus mergite, si vobis absentibus nihil debet Trinitas operari.

[1] Gen. 1, 20. — [2] Ibid. 2.

III. Cum ergo dixeris et unum fuisse diluvium, et circumcisionem repeti non posse; et nos docuimus cœleste munus unicuique credenti a Trinitate conferri, non ab homine; qui vobis visum est, non post nos, sed post Trinitatem, baptisma geminare? cujus de sacramento non leve certamen innatum est, et dubitatur, an post Trinitatem in eadem Trinitate hoc iterum liceat facere. Vos dicitis : «Licet; » nos dicimus : « Non licet; » inter licet vestrum, et non licet nostrum, nutantet remigant animæ populorum. Nemo vobis credat, nemo nobis; omnes contentiosi homines sumus. Quærendi sunt judices; si Christiani, de utraque parte dari non possunt; quia studiis veritas impeditur. De foris quærendus est judex; si paganus, non potest christiana nosse secreta; si Judæus, inimicus est christiani baptismatis; ergo in terris de hac re nullum poterit reperiri judicium; de cœlo quærendus est judex. Sed ut quid pulsamus ad cœlum, cum habeamus hic in Evangelio testamentum? quia hoc loco recte possunt terrena cœlestibus comparari; tale est quod quivis hominum habens numerosos filios, quandiu pater præsens est, ipse imperat singulis; non est adhuc necessarium testamentum; sic et Christus, quandiu præsens in terris fuit (quamvis nec modo desit) pro tempore quidquid necessarium erat Apostolis imperavit. Sed quomodo terrenus pater, dum se in confinio senserit mortis, timens ne post mortem suam, rupta pace, litigent fratres, adhibitis testibus, voluntatem suam de pectore morituro transfert in tabulas diu duraturas; et si fuerit inter fratres nata contentio, non itur ad tumulum, sed quæritur testamentum; et qui in tumulo quiescit, tacitus de tabulis loquitur. Vivus, cujus est testamentum, in cœlo est; ergo voluntas ejus, velut in testamento, sic in Evangelio requiratur. Etenim de præscientia, quæ modo facitis, jam futura conspexerat Christus. Denique cum


lavaret pedes Discipulis suis, sic ait Petro Filius Dei : « Quod ego facio, tu nescis; scies autem postea [1]. » Dicendo; « Scies postea, » hæc tempora designabat; ergo inter cæteros Testamenti titulos, hunc titulum de aqua constituit. Cúm lavaret pedes Discipulis suis, tacentibus cæteris, si taceret et Petrus, solam feceral formam humilitatis, nihil pronuntiaverat de sacramento baptismatis. Sed cum Petrus recusat, nec pedes sibi lavari permisit, negat illi Christus regnum, nisi accepisset obsequium. Sed cum cœlestis regni mentio fieret, quo pars corporis petebatur ad obsequium, totum corpus obtulit ad lavacrum. Nunc adestote omnes turbæ, et singuli christiani populi; quid liceat, discite; dum provocat Petrus, Christus docet; qui dubitat, discat; Christi enim vox est : « Qui semel lotus » est, non habet necessitatem iterum lavandi, quia est » mundus totus [2] : » Et de eo lavacro pronuntiavit, quod de Trinitate celebrandum esse mandaverat; non de Judæorum aut hæreticorum, qui dum lavant, sordidant; sed de aqua sancta, quæ de trium nominum fontibus inundat. Sic enim ipse Dominus præcepit dicendo : « Ite, baptizate » omnes gentes, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti [3]. » De hoc lavacro dixit : « Qui semel lotus est, non » habet necessitatem iterum lavandi [4]. » Qui semel dixit, prohibuit iterum fieri; et de re locutus est, non de persona; nam si esset distantia, diceret : « Qui semel bene lotus » fuerit; » sed dum non addidit verbum, « Bene, » indicat quia quidquid in Trinitate factum fuerit, bene est. Inde est, quod simpliciter a vobis venientes excipimus. Cum dicit : « Non habet necessitatem iterum lavandi, » hæc sententia generalis est, non specialis; nam si Petro hæc dicerentur, diceret Christus : « Quia semel lotus es, non habes necessi-

[1] Joan. XIII, 8. — [2] Ibid. 10. — [3] Matth. XXVIII, 30. — [4] Joan. XIII, 10.

» tatem iterùm lavandi. » Ideo quoties a vobis baptizatus aliquis, ad nos transitum voluerit facere, venientem hoc magisterio et exemplo tota simplicitate suscipimus. Absit enim, ut unquam exorcizemus sanum fidelem; absit, ut jam lotum revocemus ad fontem; absit, ut in Spiritum sanctum peccemus; cui facinori in præsenti et futuro sæculo indulgentia denegatur; absit, ut iteremus, quod semel est, aut duplicemus quod unum est; sic enim scriptum est, Apostolo dicente : « Unus Deus, unus Christus, » una fides, una tinctio [1]. » Denique vos, qui baptisma quasi libenter duplicare contenditis; si datis alterum baptisma, date alteram fidem; si datis alteram fidem, date et alterum Christum; si datis alterum Christum, date alterum Deum. Unum Deum esse negare non potestis, ne in Marcionis foveas incidatis; ergo Deus unus est; de uno Deo unus est Christus; qui rebaptizatur, jam Christianus fuerat; quomodo dici potest iterum Christianus? Una fides hoc loco ab hæreticorum erroribus, et ab eorum varia fide fides unica separatur; etiam vobis præscribitur, qui post semel iterum facitis, totum ponendo in dotibus, nihil in sacramentis; cum hoc nomen fidei pertineat ad credentem, non ad operantem; quocumque enim interrogante qui credidit Deo, credidit; et post illius unum credo, tu exigis alterum credo. Deinde sequitur unum baptisma; et quia quod unum est, sanctum est, per quod unum est; non solum ab hæreticorum profanis et sacrilegis baptismatibus separatur, sed ne duplicetur quod unum est, aut iteretur quod semel est.

IV. In hoc sacramento baptismatis celebrando, tres esse species constat, quas et vos, nec augere, nec minuere, nec prætermittere poteritis. Prima species est in Trinitate; secunda, in credente; tertia, in operante; sed non pari

[1] Ephes. IV, 5.



libramine ponderandæ sunt singulæ; duas enim video necessarias, et unam quasi necessariam; principalem locum Trinitas possidet, sine qua res ipsa non potest geri; hanc sequitur fides credentis; jam persona operantis vicina est, quæ simili auctoritate esse non potest. Duæ priores permanent semper immutabiles et immotæ; Trinitas enim semper ipsa est; fides in singulis una est; vim suam semper retinent ambæ. Persona vero operantis, intelligitur duabus prioribus speciebus par esse non posse, eo quod sola esse videatur mutabilis. Inter nos et vos vultis ejusdem personæ esse distantiam; et sanctiores vos æstimantes, superbiam vestram non dubitatis anteponere Trinitati; cum persona operantis mutari possit, Trinitas mutari non possit; et cum ab accipientibus baptisma desiderari debeat, vos desiderandos esse proponitis; cum operantes inter alios sitis, ostendite qualem in eodem mysterio locum habeatis, et an ex eodem corpore esse possitis. Baptismatis unicum nomen est; cui subest proprium corpus; cui corpori certa sunt membra; quibus nec addi, nec auferri aliquid potest; inter quæ membra si eligendus operarius invenitur; totum corpus ad operantem pertinet. Hæc omnia hujus corporis membra, et semper et semel secum sunt, et mutari non possunt; operarii vero quotidie mutantur et locis, et temporibus, et personis. Neque enim unus homo est, qui semper aut ubique baptizat. In hoc opere jamdudum alii fuerunt; modo alii; postea alii futuri sunt; operarii mutari possunt, sacramenta mutari non possunt. Cum ergo videatis omnes, qui baptizant, operarios esse, non dominos, et sacramenta per se esse sancta, non per homines, quid est, quod vobis tantum vindicatis? quid est, quod Deum a muneribus suis excludere contenditis; concedite Deo, præstare quæ sua sunt. Non enim potest id munus ab homine dari, quod divinum est. Si sic putatis, Prophetarum

voces, et Dei promissa inanire contenditis, quibus probatur, quia Deus lavat, non homo. Adest contra vos David propheta, qui ait in Psalmo quinquagesimo. « Lavabis me et super » nivem dealbabor [1] : » Item in eodem Psalmo : « Deus lava » me ab injustitia mea, et a delicto meo munda me [2]; lava » me, » dixit ; non dixit, « Elige per quem laver : « et Esaïas propheta sic dixit : « Quoniam abluet Dominus sordes » filiorum et filiarum Sion [3]. » Sion Ecclesiam esse in tertio libro probavimus; ergo Deus lavat filios et filias Ecclesiæ. Non dixit : «Lavabunt ii, qui se sanctos putant. » Dignamini ut vel Prophetæ vos vincant, vel sic agnoscite, quia non lavat homo, sed Deus. Quandiu dicitis : « Qui non habet quod det, quomodo dat ? » Videte Dominum esse datorem; videte Deum unumquemque mundare; sordes enim et maculas mentis lavare non potest, nisi Deus qui ejusdem fabricator est mentis. Aut si putatis, quia lavacrum vestrum est, dicite, qualis est ipsa mens; quæ per corpus lavatur; aut quam habet formam; aut quo loco in homine habitet; hoc homini scire negatum est. Ergo quomodo putas, quia lavas, qui nescis quale sit quod lavas? Dei est mundare, non hominis; ipse enim per prophetam Esaïam promisit se loturum, dum ait : « Et si fuerint peccata » vestra velut coccum, ut nivem inalbabo [4]. Inalbabo » dixit, non « Faciam inalbari. » Si hoc Deus promisit, quare vos vultis reddere, quod vobis nec promittere licet, nec reddere, nec habere? ecce in Esaïa se promisit Deus inalbare peccatis affectos, non per hominem. Revertimini ad Evangelium; videte, quid in salutem generis humani sit pollicitus Christus; cui cum mulier Samaritana aquam negaret, tunc a Filio Dei dictum est, quod præscribat præsumptionibus vestris : « Aquam, inquit, » quam ego do, qui biberit, non sitiet in æternum [5]. Aquam

[1] Psal. L, 9. — [2] Ibid. 4. — [3] Isaï. IV, 4. — [4] Id. I, 18. — [5] Joan. IV, 3.

» quam ego do, » inquit; non dixit : « Quam dederint, qui se sanctos putant, » sicut vobis videmini; sed se dixit daturum. Ipse est ergo qui dat; ipsius est, quod datur; quid est, quod vobis tota importunitate vindicare contenditis?

V. Cum hanc rem cumulet Joannes Baptista, qui præcursor venerat Salvatoris, cum multos tingeret in pœnitentia et remissa peccatorum, nuntiavit Filium Dei esse venturum; cujus verba hæc sunt : « Ecce venit qui vos » baptizet [1] : » Et tamen non legimus post Joannem Christum aliquem rebaptizasse; quod ergo dixit : « Qui vos » baptizet, » veniens Christus illo tempore post Joannem tinxit. Promissum erat temporibus nostris, ut ipse daret, quod hodie datur; secundum quod ait : « Aquam quam » ego do, qui biberit, non sitiet in æternum [2]. » Nam et discipuli Joannis, cum dicerent magistro suo : « Ecce » quem baptizasti : » baptizabat quidem; sed per manus Apostolorum, quibus leges baptismatis dederat. Denique lectum est alio loco : « Nam si ipse neminem baptizavit, » sed discipuli ejus [3]. » In hac re omnes discipuli ejus sumus, ut nos operemur, ut ille det qui se daturum esse promisit; et tamen cum Joannes infinita millia hominum baptizaret, jam Christo præsente, operabatur servus, et vacabat Dominus antequam baptizandi daret formam. Peractum non modicum tempus millia hominum in pœnitentia et remissione tincta sunt peccatorum. Sed nemo tinctus fuerat in Trinitate; nemo adhuc noverat Christum; nemo audierat esse Spiritum sanctum. At ubi venit tempus plenitudinis, certo tempore dedit leges baptismatis Filius Dei; et dedit viam, qua iretur ad regna cœlorum; etiam tunc præcepit dicens : « Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in » nomine Patris et Filii et Spiritus sancti [4]. » Ex ea die

[1] Joan. I, 33. — [2] Id. IV, 13. — [3] Ibid. 2. — [4] Matth. XXVIII, 19.

oportuit fieri quod mandatum est; ante tempus noluit emendare quod operatum est, ne licentiam rebaptizandi daret; quamvis alterum fuerit baptisma Joannis, et alterum sit Christi. Baptisma Joannis ante legem pro pleno voluit esse, quod non erat plenum; et tamen supra memorata millia hominum, quia in Deum crediderant, quamvis ignorarent Filium Dei et Spiritum sanctum, regnum cœlorum eis denegare non potuit. Inde est vox Filii Dei dicentis : « A diebus Joannis usque in hodiernum, regnum » Dei vim patitur; et qui vim faciunt, diripiunt illud [1]. » Ideo dixit : « Vim faciunt, » quia adhuc baptizabat Joannes. Denique quia alterum tempus erat ante præcepta, alterum post præcepta: qui post præcepta, in nomine Salvatoris baptizati sunt, in regnum legibus intraverunt; qui ante præcepta, sine lege vim fecerunt, sed exclusi non sunt. Ergo ante præcepta, baptisma Joannis, cum esset imperfectum, pro perfecto judicatum est ab eo, cui nemo judicat: et quasi limes quidam fixus esset jussionis, inter tempora antecedentia et sequentia; cum apud Ephesum baptizarentur aliqui in baptismate Joannis post præcepta, hos videns beatissimus Paulus, interrogavit : « An accepissent » Spiritum sanctum [2]? » dixerunt se illi nescire, an esset Spiritus sanctus; et dixit illis : « Ut post baptisma Joannis » acciperent Spiritum sanctum [3]. » Sic enim baptizati erant, quemadmodum multi a Joanne fuerant baptizati. Sed qui ante legem baptizati sunt, ad indulgentiam pertinuerunt; quia præsens fuerat, qui indulgentiam daret; non erant ex toto rei, qui legibus non fuerant occupati. Hi vero, qui apud Ephesum post legem, Joannis baptismate baptizati fuisse leguntur, post leges in sacramento erraverant; quia jam introductum fuerat baptisma Domini, et exclusum fuerat servi. Et ideo, quia post mandata divina legibus

[1] Matth. XI, 12. — [2] Act. XIX, 2. — [3] Ibid. 3, 4.

debuerant ire in regnum, non per violentiam; jam enim terminum temporis fixerat Christus dicendo : « A diebus » Joannis usque in hodiernum [1]. » Post hodiernum jam non licebat quod fieri licuit; quare nolite vobis blandiri de dicto apostoli Pauli, qui non post personam operarii interrogavit, sed post rem ; cui res, non persona displicuit. Denique baptisma Salvatoris jussit, ut discerent, qui non noverant, quia non ipsum, sed aliud acceperant. Vos vero quid immutatis? si res potuistis mutare, recte feceritis; si tamen de lege aliquid feceritis. Paulus dixit : « In quo » baptismate baptizati estis [2]? » Et dixerunt illi : « Joannis. » persuasit eis, ut baptisma Christi acciperent. Vos non dicitis, quid accepistis, sed a quo accepistis ; et insectamini personas hominum, et vultis iterare quod semel est; qui baptizati erant apud Ephesum, crediderant in pœnitentiam et remissionem peccatorum; recte illis dictum est, ut baptizarentur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Vos vero quid mutatis in hominibus, qui jam dixerunt se credidisse in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti? sive ipsum interrogetis, sive aliud; convincamini necesse est peccare vos; sive illud interrogetis quod jussum non est; sive hoc velitis facere, quod jam factum est.

VI. Redeo nunc ad illud vestrum quod dicitis : « Qui non habet quod det, quomodo dat? » unde hæc vox est : de qua lectione recitari potest? vox est de vico collecta, non de libro lecta : « Qui non habet quod det, quomodo dat? » Hæc verba in lege scripta non sunt; nam si (ut vultis) homo dat, Deus vacat; et si Deus vacat, et apud vos est omne quod dandum est, ad vos sit conversio; quos baptizatis in nomine vestro tingantur. Erubescite, beato Paulo clamanti, et suam gratulationem profitenti : « Numquid in » nomine meo baptizati estis [3]? » Ille gaudet, quod duos

[1] Matth. XI, 12. — [2] Act. XIX, 3. — [3] 1 Cor. I, 3.

solos et unam domum baptizaverit : et vos populos rebaptizare contenditis; et peccasse vos et peccare gaudetis, dicentes : « Quid dat, qui non habet quod det? » Cui creditur ipse dat quod creditur, non per quem creditur. Denique sub Joanne infinita multitudo hominum baptizata est, probate Joannem aut accepisse aut habuisse quod daret. Illo autem operante dabat Deus, qui dando non deficit; et nunc operantibus cunctis humana sunt opera, sed Dei sunt munera.

VII. Jam illud quam ridiculum est, quod quasi ad gloriam vestram a vobis semper auditur : « Hoc munus baptismatis esse dantis, non accipientis : » et utinam hoc de Deo diceretis, qui hujus rei dator est. Sed quod stultum est, vos dicitis esse datores. Si ita est, et nos et vos teneamus singulos gentiles : vos qui vos sanctos dicitis, interrogate eum quem tenetis, an renuntiet diabolo et credat Domino; et ille dicat : « Nolo. » Contra, nos peccatores (ut vultis) interrogemus alterum gentilem, an renuntiet diabolo et credat Deo, etc., et dicat : « Renuntio et credo, etc., » tum vos tingatis nolentem, nos volentem : dicatur, quis eorum possit ad Dei gratiam pertinere. Utique sine dubio ille qui credit, non ille, pro cujus voluntate (ut dicitis) sanctitas vestra succedit. Operarios vos esse, vel sero cognoscite : aut si in operario est res ipsa, et non in se; hoc sibi vindicent aliqui homines in artibus suis, ut quia sic provocatis, ad res divinas, etiam artes comparemus humanas : cum pretiosus inficitur color, natura sæpe convertitur, dum confectione vellus candidum purpurescit : sic alba lana regalem transit in purpuram, quomodo catechumenus in fidelem : utique dum incipit esse quod non erat, desinit esse quod fuerat. Lana et colorem mutat et nomen : et homo et vocabulum mutat et mentem, consideranda sunt effecta, retractanda sunt efficientia. Dicis a te datum

esse, quod homo fidelis effectus est : si hoc totum tuum est, dicat et operarius artifex purpuræ, quod pretiosum colorem in suis manibus habeat, et non procuret pretiosa pigmenta ex Oceano multis ignota, quibus tincta vellera, per colorem promoveantur in admirabilem dignitatem : non admixto sanguine piscis, purpuram solo tactu conficiat. Si igitur operarius iste per tactum solum dare colorem non potest, sic nec operarius baptismatis, ex se sine Trinitate dare aliquid potest. Tale est et hoc, unde modo certamen est. Nam in quo baptizarentur gentes, a Salvatore mandatum est : per quem baptizarentur, nulla exceptione, discretum est. Non dixit Apostolus : « Vos facite, » alii non faciant : » quisquis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizaverit, Apostolorum opus implevit. Denique lectum est in Evangelio, Joanne dicente : « Magister, vidimus quemdam in nomine tuo expellentem dæmonia, et prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum [1] : » Sic Christus ait : « Nolite prohibere : qui enim » non est contra vos, pro vobis est [2]. » Nam et ipsis sic mandatum est, ut opus esset illorum, sanctificatio Trinitatis; nec in nomine suo tingerent; sed in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti : ergo nomen est quod sanctificat, non opus. Intelligite vos, vel sero, operarios esse, non dominos : et si Ecclesia vinea est, vites sunt homines et ordinati cultores, quid in dominium patrisfamilias irruitis? Quid vobis, quod Dei est, vindicatis? quid vultis vestrum esse totum, ubi nec partem habere potestis? nam propter tumorem vestrum, quo in nos intumescitis, increpat Corinthios beatissimus Paulus : in se et Apollo actus temporis nostri conformat : « Ne alter in alterum, inquit, intu» mescat [3]. » Ut ostenderet, quia hoc totum sacramentum baptismatis Dei est, ut illic sibi nihil vindicet operarius,

[1] Luc. IX, 49. — [2] Ibid. 50. — [3] 1 Cor. IV, 6.

sic ait : « Ego quidem plantavi [1] : » Hoc est de pagano catechumenum feci : « Apollo rigavit [2] : » hoc est, ille catechumenum baptizavit. Sed ut cresceret quod plantatum et irrigatum est, Deus fecit. Nam et quivis hodie volens vineam suam pastinare, operarium placita mercede conducit; qui curvato dorso et desudatis lateribus, sinus terræ faciat, ubi deponat electa plantaria, et aquam calcatis scrobibus superducat : scrobem fodere et plantaria ponere potest; aquam inducere potest; imperare, ut teneat non potest : est enim hoc solius Dei, de medullis palmitum producere radices coalescentes in terram, et gemmantes oculos, incrementa frondium provocare. Denique beatus apostolus Paulus, ut vestram præsumptionem tumoremque compesceret, ne se æstimet operarius baptismatis, aut habere dominium, aut de tanto isto munere particulam sibi aliquam vindicare; indicans, quia totum Dei est, sic ait : « Neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid; sed solus » Deus, qui ad incrementa perducit [3]. » Operarii inter alios estis intrante sole : hoc est, finito sæculo potestis, in die retributionis, nobiscum de mercede contendere : nolite vobis majestatis dominium vindicare. Nam si ita est, vindicent sibi et ministri, qui mensæ dominicæ famulantur, ut pro humanitate exhibita ab invitatis gratulatio eis referatur. Christi vox est invitantis : « Venite benedicti patris mei [4] : » Veniunt gentes ad gratiam; exhibet ille qui invitare dignatus est; ministerium exercet turba famulorum : non famulantibus, sed pascenti referendæ sunt gratiæ. Vos cum ministri sitis, inverecunde totum vobis convivii dominium vindicatis; cum se et cæteros beatissimus Paulus famulos cum humilitate fateatur : ne quis putaret in solis Apostolis aut episcopis spem suam esse ponendam, sic ait : « Quid est enim Paulus, vel quid Apollo? utique ministri

[1] I Cor. III, 6. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 7. — [4] Matth. XXV, 34.

» ejus, in quem credidistis [1] : » est ergo in universis servientibus non dominium, sed ministerium. Vides ergo jam, frater Parmeniane, ex tribus speciebus supra memoratis, illam primo tripartitam esse immotam, invictam et immutabilem : operantis vero temporariam esse personam.

VIII. Restat jam de credentis merito aliquid dicere : cujus est fides, quam Filius Dei et sanctitati suæ anteposuit et majestati; non enim potestis sanctiores esse, quam Christus est : ad quem cum mulier illa veniret, cujus filia erat mortua, et rogaret, ut suscitaretur; nihil promisit de virtute sua; sed post fidem interrogat alienam, ut si mulier crederet, pro matris credulitate, filia surgeret; si non crederet, virtus Filii Dei feriata cessaret. Interrogatur mulier, respondit se credere fieri posse quod rogabat. Jubetur ire, redit ad domum mulier, invenit puellam vivam, quam dimiserat mortuam. Non ruit in oscula, non properat in amplexus; sed redit, ut Salvatori gratias ageret : et ut ostenderet Filius Dei se vacasse, fidem tantummodo operatam esse : « Vade, inquit, mulier, in pace, fides tua te salvavit [2]. » Ubi est quod dicis, « Dantis est, non accipientis ? » Quid vobis videtur et Centurionis fides? cujus puer cum male haberet, Salvatorem petiit, ut ab eo mortem repelleret. Jam Christus pereuntem veniebat ad puerum, sic eum Centurio tenuit, ut indignitatem tecti sui confessus, quod Filius Dei totus non deberet intrare, sed suam virtutem mittere, qua puer fagata morte, reviviscere potuisset. Non fortitudo Centurionis, non sapientia laudata est, sed fides : « Et curatus est puer in illa hora [3]. » Certe dantis est, non accipientis. Multa sunt hujusmodi in Evangelio de fide perfecta, sed vel tria complenda sunt fidei testimonia. Quid vobis videtur et illa mulier, quæ de secreto causæ fœminarum, cum per annos duodecim labo-

[1] 1 Cor. III, 4. — [2] Luc. VIII, 48. — [3] Matth. VIII, 13.

raret, et omnem substantiam suum in medicos erogasset : cum videret a Filio Dei tantas celebrari virtutes, processit in turbam, videt Medicum, videt et populum : cogebat illam dolor, ut medicinam peteret : pudor impediebat, ne causam suam coram masculis indicaret. Invenit consilium tacita fides : « Mittam, inquit, manum meam, et tangam » fimbriam vestimenti hujus, et sana fiam [1]. » Nemine vidente inter turbas, manum misit, tetigit, et sanata est; nec ausa est indicare, quod ausa non fuerat petere. Sed ne fructus fidei apud ignorantes latere videretur, sic Salvator ait : « Quis me tetigit [2]? » Mirati sunt Discipuli ejus, dicentes : « Turbæ te comprimunt; tu dicis : Quis me te- » tigit [3]? » Et Christus : « Quis me, inquam, tetigit? sensi a » me exisse virtutem [4]. » Sic mulier confessa est se tetigisse, et sanam esse. Jamdudum pro filia mater petiit, pro puero Centurio postulavit : hoc loco nec mulier petiit, nec Christus promisit; sed fides quantum præsumpsit, exiget : certe dantis est, non accipientis.

IX. Nam quod ad amplificandos tractatus tuos, frater Parmeniane, Naamam Syrum, quasi immaturam quamdam durissimorum nascentium vulnerum massam, diu describere voluisti, quid hoc ad præsentem pertinet causam? Bene hoc diceres, et longa oratione recte uti potuisses : si invenires aliquem catechumenum scabrosissimis moribus, qui gereret durissimam mentem; qui lenissimam gratiam aquæ salutaris accipere detrectaret. Bene hominis innovationem verbis a te dictis ostenderes : bene veternosam naturalem duritiam, in infantilem carnem immutari ac molliri posse monstrares. In hoc vero negotio, quod inter partes tempore præsenti tractatur, ut quid a te talis commemorata est lectio? In qua non legitur aliquis illum le-

[1] Matth. IX, 21. — [2] Luc. VIII, 44. — [3] Ibid. 45. — [4] Ibid. — [5] Ibid. 46.

prosum Syrum ante dictum vel jussione Elisæi lavisse, ut merito denuo melius lavaretur [1]. Quod et si fieret, nec sic vobis occurreret, quod recte imitari possetis. Non enim legitur ille prius lavisse in fluminibus Syriæ, aut ab aliquo lotus esse, et nihil profecisse. Nam et si hoc legeretur, non ad Elisæi laudem, (qui non lavit, sed consilium dedit,) sed ad Jordanis gloriam pertineret, illi homini in eo flumine primitivam gratiam provénisse, in quo postea sub Joanne per confessionem in pœnitentiam populorum peccata fuerant moritura.

X. Postremo, qualis est illa pars tractatus tui, de cœlestibus nuptiis, ubi spem amputans futurorum, totum in præsenti tempore posuisti dicendo a societate vestra projectum esse eum, qui janitores et ministros fefellerit vestros, ut a communione fidelium foras cum injuria mitteretur. Si ita est, nihil est quod speret fides; nihil quod resurrectio repræsentet; nihil quod in cœlis amplius, expectetur; nihil quod Rex ille cœlestis et paterfamilias Deus in suo convivio agnoscat, cum præsentia multorum gaudeat, et de aliquorum absentia contristetur. Et multos dicat vocatos, paucos vero electos [2]; nihil erit, quod irascatur vestem nuptialem non habenti, cum Filius Dei ipse Christus sit sponsus : et vestis et tunica natans in aqua, quæ multos vestiat et infinitos expectet, nec vestiendo deficiat. Sed ne quis dicat temere a me Filium Dei vestem esse dictum, legat Apostolum dicentem : « Quotquot in » nomine Christi baptizati estis, Christum induistis [3]. » O tunica semper una et immutabilis! quæ decenter vestiat et omnes ætates et formas, nec in infantibus rugatur, nec in juvenibus tenditur, nec in fœminis immutatur. Aderit profecto ille dies, ut cœlestes nuptiæ incipiant celebrari : illic qui baptisma singulare servaverint, securi discumbent.

[1] 4 Reg. v. — [2] Matth. xxii, 14. — [3] Galat. iii, 27.

Nam quicumque a vobis se rebaptizari consenserit, hujusmodi homini non denegatur resurrectio, quia credidit in resurrectionem carnis; resurget quidem, sed nudus. Sed quia nuptiali veste a vobis se expoliari permisit, hanc patrisfamilias auditurus est vocem : « Amice, hoc est dicere, agnosco te; aliquando renuntiaveras diabolo, et ad me conversus fueras; et dederam tibi vestem nuptialem : ut quid sic venisti non habens quod tibi dedi? » hoc est dicere : « Quare non habes quod tibi dedi? Nemo enim potest irasci non habenti rem, quæ data non sit. Vestem nuptialem inter istos acceperas, et solus non habes? quare nudus et lugubris venisti? quis tibi detraxit spolia? quas fraudulentas adisti fauces? quos incurristi latrones? Quotquot tales venturi sunt, locum in illo convivio non habebunt. »

XI. Et ut vel sero compendium faciam, credo etiam hoc sufficere; etsi tot probationes minime diceremus : vobis absentibus, verbo tenus baptizati sunt mille : ex his sorte sua defuncti sunt centum. Abstinete paulisper ab hoc scelere manus. Sanctitas, ut dicitis, vestra, primo resuscitet sepultos; emendet, si potest, mortuos; et sic revertatur ad vivos. Si mortuos suscitare non potestis, ut quid viventibus conamini manus inferre? nisi ut compleatur quod per Ezechielem prophetam locutus est Deus, dicens : « Ut » occiderent animas, quas non oportuit mori [1]. »

[1] Ezech. XIII, 19.

LIBER VI.

In hoc sexto libro ostenditur episcopos partis Donati contra legem fregisse altaria, et inconsiderate conflasse, et passim vendidisse vasa dominica, et lavisse quæ lavanda non erant, et mitellas puellis mutasse, de quibus nulla scriptura legitur.

ARGUMENTUM.

I. *Impie ac stulte Donatistas altaria fregisse vel rasisse.* II. *Donatistas sacrilege calices fregisse et vendidisse.* III. *Retunditur excusatio Donatistarum, quod polluta fuerint altaria et vasa sacra a Catholicis.* IV. *Virgines Deo sacratas a Donatistis immerito virginitatis ornamento spoliatas.* V. *Libros sacros et instrumenta dominica a Donatistis per vim Catholicis ablata.* VI. *Stultitia Donatistarum in lavandis parietibus irridetur.* VII. *Donatistas in mortuos etiam sæviisse, non permittentes Catholicorum corpora sepeliri.* VIII. *Elegans et egregia comparatio Donatistarum cum aucupibus.*

I. Ut mihi videtur [1], liquido demonstratum est, in divinis sacramentis quid nefarie feceritis. Jam illa ostendenda sunt, quæ crudeliter ac sulte vos fecisse negare minime poteritis. Quid enim tam sacrilegum, quam altaria Dei (in quibus et vos aliquando obtulistis) frangere, radere, removere? in quibus et vota populi, et membra Christi

[1] Vide D. Guillon, tom. v, pag. 276-278.

portata sunt : quo Deus omnipotens invocatus sit : quo postulatus descenderit Spiritus sanctus : unde a multis et pignus salutis æternæ, et tutela fidei, et spes resurrectionis accepta est. Altaria, inquam, quibus fraternitatis munera non jussit Salvator imponi, nisi quæ essent de pace condita : «Depone, inquit, munus tuum ante altare, et redi prius, con» corda cum fratre tuo, ut possit pro te sacerdos offerre[1].» Quid est enim altare, nisi sedes et corporis et sanguinis Christi? hæc omnia furor vester aut rasit, aut fregit, aut removit. Hoc igitur inexpiabile nefas, si de aliqua ratione descendit, uno modo fieri debuit. Sed, ut æstimo, alio loco copia lignorum frangi jussit, aliis vero ut altaria raderent, lignorum inopia imperavit; ut autem alii removerent, ex parte verecundia persuasit : ubique tamen nefas est, dum tantæ rei manus sacrilegas et impias intulistis. Quid perditorum conductam referam multitudinem, et vinum in mercedem sceleris datum? quod ut immundo ore sacrilegis haustibus liberetur, calida de fragmentis altarium facta est. Si livoris judicio nos vobis sordidi videbamur, quid vobis fecerat Deus, qui illic invocari consueverat? quid vos offenderat Christus, cujus illic, per certa momenta corpus et sanguis habitabat? quid offendistis etiam vos ipsi, ut illa altaria frangeretis, in quibus ante nos per longa temporum spatia, sancte (ut arbitramini) obtulistis. Dum impie persequimini manus nostras illic, ubi corpus Christi habitabat, feristis et vestras. Hoc modo Judæos estis imitati : illi injecerunt manus Christo in cruce : a vobis percussus est in altari. Si Catholicos illic insectari voluistis, vel vestris illic antiquis oblationibus parceretis : ibi modo superbus inventus es, ubi jamdudum humilis offerebas : ibi libenter peccas, ubi pro multorum peccatis orare consueveras. Hoc faciendo in numerum sacrilegorum sacerdotum li-

[1] Matth. v, 24.

benter intrastis, sociati sceleribus profanorum, de quibus apud Dominum Elias propheta querelam deponit: his enim locutus est verbis, quibus et vos inter alios ab ipso accusari meruistis: « Domine, inquit, altaria tua confrege» runt [1]. » Dum dicit « Tua, » indicat quia res est Dei, ubi Deo aliquid a quocumque oblatum est. Sufficeret insaniæ vestræ, quod membra laniastis Ecclesiæ; quod Dei populos jamdudum in unitate positos, vestris seductionibus divisistis. Inter hæc omnia vel altaribus parceretis. Cur vota et desideria hominum cum ipsis altaribus confregistis? illinc enim ad aures Dei ascendere populi solebat oratio: cur concidistis precibus viam? et ne ad Deum supplicatio de more solito ascensum haberet; impia manu quodammodo scalam subducere laborastis? et tamen cum omnium vestrum una sit conjuratio, in hoc titulo simili errore dissimiliter deliquistis. Si suffecerat removere, non licuit frangere: si oportuit frangere, rasisse peccatum est: si enim non licuit, sicut inter vos placuit, recte videtur fregisse, qui fregit. Jam reus est, qui majorem partem radendo servavit. Quæ est ista nova et stulta sapientia, novitatem quærere in visceribus vetustatis? Et remota quasi quadam corporis cute, in latente corpore cutem quasi alteram quærere. Donum, quod ad se pertinet et in se totum est, quod unum est, inde cum aliquid fuerit ablatum, minui potest, non potest immutari. Rasisti equidem quod tibi visum est: sed adhuc ibi est quod odisti? Quid, quod si sic conjurastis, ut quæ a nobis in nomine Dei in ipso ministerio tacta sunt, immunda viderentur: quis fidelium nescit, in peragendis mysteriis ipsa ligna linteamine cooperiri? Inter ipsa sacramenta velamen potuit tangi, non lignum; aut si tactu possunt penetrari velamina, ergo penetrantur et ligna; si penetrari possunt ligna, penetratur et terra; si a vobis

[1] 3 Reg. XIX, 10.

lignum raditur, et terra, quæ subter est, fodiatur, altam facite scrobem, dum pro vestro arbitrio quæritis puritatem. Sed observate, ne veniatis ad inferos, et illic inveniatis Core, Dathan et Abiron schismaticos [1], magistros scilicet vestros. Ergo et fregisse vos et rasisse constat altaria : quid est, quod in hac re subinde vester quasi languere visus est furor? videmus enim vos postea mutasse consilium, et altaria a vobis jam non frangi, nec radi, sed tantummodo removeri. Si hoc sufficiebat, illa quæ prius a vobis facta sunt et vos indicatis, quia fieri minime debuerunt.

II. Hoc tamen immane facinus a vobis geminatum est, dum fregistis etiam calices, Christi sanguinis portatores : quorum species revocastis in massas, merces nefariis nundinis procurantes, ad quam mercem nec emptores eligere voluistis : avari dum venditis; sacrilegi, dum inconsiderate vendidistis. Passi estis etiam comburi manus vestras, quibus ante nos eosdem calices tractabatis. Eam rem cum passim vendi jussistis, emerunt forsitan in usus suos sordidæ mulieres, emerunt pagani, facturi vasa, in quibus incenderent idolis suis. O scelus nefarium! o facinus inauditum! auferre Deo quod idolis præstes, subducere Christo, quod proficiat sacrilegio.

III. Sed video hoc vos loco invidiam nobis falso conflantes, ad Aggæum prophetam velle confugere, ubi scriptum est : « Quæ tetigerit pollutus, polluta sunt [2]. » Livore interveniente, facile est iratis jactare convicium; sed semper dum intenditur crimen, necessaria est manifesta probatio. Quis enim nostrum intravit templa? quis vidit sacra sacrilega? pollui homines possunt fumis, nidoribus, sacrilegiis, sacrificiis, sanguine : sed in hac causa quis ingressus est templum? quis incendit idolis? quis immundis nidoribus

[1] Num. xv. — [2] Aggæi II, 14.

maculatus est? quis sanguinem vel pecudis immundæ, vel hominis, fundi aspexit? quem probatis ad aliquod facinus commodasse consilium? in societate alicujus sceleris vel unum episcopum convincite, si potestis. De nescio quo Primate suspicamini, qui eodem tempore ambulasse dicebatur. Suspicio non est idoneum crimen. Quis eum accusavit? quis eum convicit? ubi vel erubuit, vel confusus est? servate vobis suspiciones vestras. Igitur, sicut supra diximus, in hac causa quidquid aspere fieri potuit, dum illa res in origine revocatur, ad principes vestros pertinere monstravimus : unde est quod Catholicos quasi pollutos appellas? an quia voluntatem et jussionem Dei secuti sumus, amando pacem, communicando toto orbi terrarum, sociati Orientalibus : ubi secundum hominem suum natus est Christus; ubi ejus sancta sunt impressa vestigia; ubi ambulaverunt adorandi pedes; ubi ab ipso Filio Dei factæ sunt tot et tantæ virtutes; ubi eum sunt tot Apostoli comitati; ubi est septiformis Ecclesia, a qua vos concisos esse, non solum non doletis, sed quodammodo gratulamini. Quia unitatem Deo placitam amavimus, pollutos vocatis : quia Corinthiis, Galatis, Thessalonicensibus assensum accommodavimus, communionemque conjunximus, pollutos vocatis : quia furtivas vobiscum non legimus lectiones, pollutos vocatis : aut negate vos alienas lectiones legere, si potestis. Ut quid auditis Epistolas ad Corinthios scriptas legere, qui Corinthiis communicare noluistis? ut quid ad Galatas, ad Thessalonicenses scripta recitatis, in quorum communione non estis? Cum hæc omnia ita esse constet, intelligite vos ab Ecclesia sancta esse concisos, et nos non esse pollutos. Ubi est ergo quod tibi putas Aggæum prophetam posse succurrere? Igitur altaria et vasa supra memorata, et in manibus vestris jamdudum fuerant, et in nostris : si infamatis manus nostras, quare illic damnatis et

vestras? Sed dicitis lectum esse : « Quod tetigerit pollutus, » pollutum est : » fac aliquem pollutum esse, ut possint ab eo tacta videri polluta : esto si solus sit tactus, et non interveniat invocatio nominis Dei, quæ et tetigerit pollutus, polluta erunt, inquinari possunt si de Deo taceatur. Nam si sit invocatio nominis Dei, ipsa invocatio sanctificat et quod pollutum esse videbatur. Denique cum ducenta et quinquaginta thuribula, quæ sacrilegorum et peccatorum manibus portabantur, cum eosdem peccatores absorberet terra, remanserunt de manibus eorum excussa thuribula. Et dum dubitaret Aaron sanctus sacerdos, quidnam de iis faceret, audivit vocem Dei dicentis : « Tolle Aaron hæc » vasa, et fac inde laminas, et pone in angulis arcæ testa- » menti Domini, quoniam licet illi peccaverint qui ea fere- » bant; tamen vasa illa sancta sunt, quia nomen meum » illic invocatum est, dicit Deus [1] : » et utique plus est portare, quam tangere. Ergo jam liquido apparet, ex invocatione nominis Dei posse aliquid sanctificari, etiam si peccator invocet Deum; non enim tantam vim potest habere tactus, quantam habet divini nominis invocatio : nam et vos, qui vobis de vestra sanctitate præsumitis, dicite, si tactus sanctificat aut invocatio; utique invocatio, non tactus : aut si de solo tactu præsumitis, tangite tabulam, lapidem, vestem : videamus an sacta esse possint, si de Deo taceatur.

IV. Jam illud quam stultum, quam vanum est, quod ad voluntatem, et quasi ad dignitatem vestram revocare voluistis, ut virgines Dei agere pœnitentiam discerent; ut jamdudum professæ, signa voluntatis capitibus, postea vobis jubentibus immutarent; ut mitellas alias projicerent, et alias acciperent. Primo dicite nobis, ubi vobis de mitellis aliquid mandatum est? virginitas enim voluntatis res est, non neces-

[1] Num. XVI, 37, 38.

sitatis. Denique stabularius ille Paulus apostolus, cui confossus peccatorum vulneribus populus commendatus est [1], duos denarios, quos erogasset, acceperat, duo scilicet Testamenta, hæc per doctrinam quasi sumptus impendit; docuit quomodo conjugales Christiani debeant vivere : a quo cum quæreretur quid de virginibus præciperet? respondit nihil esse mandatum. Confesssus est se duo Testamenta, hoc est, duos denarios erogasse : expliciti erant quodammodo sumptus, sed quia qui saucium commendaverat, promiserat se redditurum quidquid in curam amplius erogasset, post impensos duos denarios; non præcepta, sed consilium erogat Paulus ad virginitatem; nec impedimento est volentibus, nec nolentes impellit aut cogit : « Qui dederit virginem suam, bene facit : et qui non de» derit, melius facit [2]. » Hæc sunt verba consilii : nec ulla sunt præcepta conjuncta, vel de qua lana mitella fieret, aut de qua purpura pingeretur : non enim hoc panno potest virginitas adjuvari : non inde compescuntur æstus animi, quos interdum ætas accendit : non inde sublevatur mens, quæ nonnunquam desideriorum ponderibus premitur. Nam si ita esset, non una, sed plurimæ virginis capiti imponerentur, ut quotiescumque animum carnis desideria pungerent, contra impugnationem mentis mitellarum numerus dimicaret. Res inventa est ad signum capitis, non ad remedium castitatis. Denique talis pannus et errare, et rodi, et perire potest; et tamen virginitas, si illæsa sit, sine mitella tuta esse potest. Spiritale nubendi hoc genus est : in nuptias sponsi jam venerant voluntate et professione sua; et ut sæcularibus nuptiis se renuntiasse monstrarent, et junctas spiritali sponso, solverant crinem, jam cœlestes celebraverant nuptias. Quid est quod eas iterum crines solvere coëgistis? quid, inquam, quod ipsis per

[1] Luc. x, 30 et 35. — [2] 1 Cor. vii, 38.

vos exacta est secunda professio? quis est alter spiritalis sponsus, cui iterum nuberent? quando mortuus est, cui nupserant, ut iterum nubant? nudastis denuo capita jam velata, de quibus professionis detraxistis indicia, quæ contra raptores aut petitores videntur inventa. In mitella indicium est voluntatis, non castitatis auxilium : ut rem jam Deo devotam nec qui sponsabat, perseveret petere, aut ne raptor audeat violare : signum est ergo, non sacramentum virginitatis. Igitur hujusmodi virgines, quæ jam spiritaliter nupserant, quasi secundas coëgistis ad nuptias, et ut crines iterum solverent, imperastis. Hoc nec mulieres patiuntur, quæ carnaliter nubunt : ex quibus si alicui maritum mutare contigerit, non repetitur temporalis illa festivitas ; non in altum tollitur : non populi freqnentia procuratur. Detraxistis igitur non capitis ornamenta, sed (ut supra diximus) bonæ voluntatis indicia. Jam consecratos Deo sparsistis immundis cineribus crines, jussistis etiam falsa aqua perfundi. Et utinam vel id quod tulistis, velociter reponeretis : protraxistis moras, ut retroactæ in pristino habitu, aliquæ diutius remanerent, retractis signis, quibus se jamdudum contra petitores et raptores muniverant. Qui cum viderent, præscriptionem sibi jamdudum oppositam, a vobis esse sublatam, de sponsis raptores effecti sunt : nec visus est sibi unusquisque peccasse, dum talem rapuit, qualem viderat, quando ut uxorem acciperet postulabat.

V. In hoc genere quanta damna fecistis Deo? quanta lucra diabolo procurastis? conflastis impie calices : confregistis, et inconsulte rasistis altaria : puellas miseras non sine opprobrio, ut secundam mitellam acciperent coëgistis, cum de prima in lectione recitari non possit. Et illud prætermittere nequeo, quod nec Deo est placitum, nec a vestris cultoribus excusari, nec ab aliquo homine defendi potest. Per judicia sæcularia et leges publicas, divinæ legis

instrumenta, executione officiorum a plurimis extorquenda esse duxistis : volentes soli habere, quod pax in commune possederat. Non verear Christianus dicere, quod vobis postulantibus, gentilis executio non potuit ignorare : velamina et instrumenta dominica extorsistis, quæ jamdudum fuerant in commune possessa : extorsistis cum codicibus pallas : judicio superbiæ vestræ, utraque arbitrati estis esse polluta. Nisi fallor, hæc purificare properastis : lavistis procul dubio pallas : indicate quid de codicibus feceritis. In omnibus judicium providentiæ vestræ debet esse æquale : aut utrumque lavate, aut utrumque dimittite. Quod si aliter facias, corrupisti diligentiam tuam ; pallam lavas, codicem non lavas : si in una parte bonum, in altera malum est. Non potes negare offendere te in una, si in altera promereris : et si gaudes, quod in una videaris religiosus, debes et plangere, quia teneris in altera parte sacrilegus.

VI. Jam illud quale est, quod in multis locis etiam parietes lavare voluistis, et inclusa spatia aqua salsa spargi præcepistis. O aqua, quæ dulcis a Deo creata es, super quam ante ipsos natales mundi sanctus Spiritus ferebatur ! o aqua, quæ ut purum faceres orbem, lavisti terram ! o aqua, quæ sub Moyse [1], ut naturalem amaritudinem perderes, indulcata ligno, tot populorum pectora suavissimis haustibus satiasti ! restabat tibi post promotionem non leviter degradari. Præsentia Moysi in te amaritudo moritur, et a schismaticis hodie cum Catholicorum turba dulcedo tua vexatur. Pares patimur bellum, pares expectamus vindicem Deum. Dic, frater Parmeniane, quid vobis fecerat locus? quid ipsi parietes, ut a vobis ista paterentur? An quia illic rogatus est Deus? an quia illic laudatus est Christus? an quia illic invocatus est Spiritus sanctus ? an quia vobis absentibus illic Prophetæ et sancta Evangelia recitata sunt?

[1] Exod. xv.

an quia illic fratrum jamdudum litigantium, concordaverant mentes? an qua unitas Deo placita in qua habitaret, invenerat domum? Indicate, quid illic lavare potuistis? Si Catholicorum vestigia, et in vico et in plateis calcavimus, quare non omnia emendatis? nam et fovendorum corporum causa, eadem nos et vos lavacra pariter abluerunt; et ante vos frequenter nostrorum loti sunt multi. Si post nos purificanda putatis omnia, lavate et aquam si potestis : aut si vestigia (ut supra diximus) nostra vobis esse videnter polluta, sufficeret terra : ut quid et parietes lavare voluistis, in quibus humana non possunt poni vestigia? parietes non calcare, sed tantum videre potuimus. Si et quod tangit aspectus, lavandum esse censetis, cur cætera dimisistis illota? Videmus tectum, videmus et cœlum; hæc a vobis lavari non possunt. Illa lavando promeriti estis Deum : ista non lavando, inexpiabile videmini incurrisse peccatum. Cum igitur alibi quasi diligentes essetis inventi : si tamen diligentia dicenda est stultitia, et (ut vero nomine appellem) vanitas vestra : nisi forte quia hoc faciendo, in pavorem misistis populos imperitos, ut quia lota est columna, lavarentur et corpora. Si in his rebus consilium latet, miseros subtiliter decepistis : si talis res sine consilio gesta est, manifesta est vestra hebetudo : hæc vos stulte fecisse, et a vobis seducti cognoscunt; nec vos ipsi negare poteritis.

VII. Quid referam etiam illam impietatem de vestra conjuratione venientem, quia ad hoc basilicas invadere voluistis, ut vobis solis cœmeteria vindicetis, non permittentes sepeliri corpora catholica; ut terreatis vivos, male tractatis et mortuos, negantes funeribus locum. Si inter viventes fuerat certamen, odia vestra vel mors aliena compescat. Jam tacet cum quo paulo ante litigabas : quid insultas funeri? quid impedis sepulturam? quid cum mortuis litigas? perdidisti malitiæ fructum : etsi corpora non vis in unum

quiescere, animas tamen in uno apud Deum positas non poteris separare.

VIII. Omnia denique, quæ a vobis geruntur, ex toto narrari non possunt : sed tamen concedantur vobis qui erroris hujus magisterium possidetis. Jam et de vestris silere quis posset, de illis, scilicet, quos aut factione aut subtilitate, ut vestros faceretis seducere potuistis, non solum masculi, sed etiam fœminæ : ex ovibus subito facti sunt vulpes, ex fidelibus perfidi, ex patientibus rabidi, ex pacificis litigantes, ex simplicibus seductores, ex verecundis impudentes, feroces ex mitibus, ex innocentibus malitiæ artifices. Post quod ad vos delapsi sunt aut delapsæ, dolent alios ibi esse ubi nati sunt : bene stantes in lapsus suos invitant : si scirent se gloriam consecutos, felicitate sua tacite fruerentur. Nunc autem perditos, transitus suos consolari cupientes, cæteros ut similiter labantur, invitant : et residentes in sinu matris Ecclesiæ, quasi pigros et tardos accusant. His enim verbis loqui non erubescunt : « Caï Seï, vel Caïa Seïa, quandiu te tenes ? » hoc est dicere : imitare lapsus meos, imitare transitus turpes. Quandiu fidelis vocaris ? jam fidem desere, jam pœnitentiam disce : vos estis aucupes, et illi aut illæ sunt aves. Sed quia non est unum aucupum genus : alii sunt qui arte simplici altis fundatas radicibus in faciem nemoris diffusas arbores petunt, ubi aves simplici volatu naturalibus ramis insidunt : non illic numerantur fraudes, non artificiosa consilia : ars una est et sola capiendi peritia. Illi vos aucupi similes dico, qui post discessum noctis, ante lucis adventum, non aliorum more naturales vadit ad arbores. Sed ipse arborem portans, futurum nemus stringit in fascem, aridam arborem nullis radicibus fultam, multiplici fraude componit. Cui adulterinos inserit ramos, et quæ suas jamdudum succisa perdiderat, alienas accipit frondes. Alias aves clausas portat in

cavea; evisceratas alias ad imaginem viventium, olim extinctas, fallacibus ramis, quasi viventes imponit. Aliæ latent in caveis : aliæ quasi viventes videntur in ramis. Jungitur una geminata fraude calliditas; et ut decipi vivarum volantium simplicitas possit, quas mortuas esse constat, videntur tendere colla cum vocibus; et quæ latent in carcere suo, quasi de gutture cantant alieno. Inter alterius imaginem et alterius vocem dolus unus operatur : captivæ liberas capiunt, et mortuæ viventes occidunt. Tales sunt, quos aut rebaptizatione, aut pœnitentia sauciastis, ne soli aut solæ perisse videantur, alios vel alias secum perire, magno studio et labore contendunt.

LIBER VII.

In hoc novissimo libro continetur, Traditores qui in primo libello sub nominibus suis et locis et confessionibus sunt demonstrati, non grave peccatum habuisse, qui necessitate, non voluntate peccaverint, bono unitatis etiam tales in communione recipi potuisse.

ARGUMENTUM.

I. *Donatistas minus noxios esse et ad communionem facilius admitti posse, quam eorum parentes traditionis reos.* II. *In Ecclesia Dei usque ad diem judicii bonos et malos reperiri, et hos esse tolerandos.* III. *Exemplo apostoli Petri uti posse Donatistas, ut eis detur venia.* IV. *Donatistis non autem Catholicis convenire quod dictum est de muscis morituris.* V. *Donatistas non autem Catholicos Jamnæ et Mambræ similes esse.* VI. *Qua ratione et cur Macarius ad communionem admissus fuerit.* VII. *Macarium, etiamsi reus fuisset, a communione pelli non potuisse.*

I. Post Traditores ostensos [1] et sanctam Ecclesiam demonstratam, post repulsas, quas ingerebatis, calumnias, et post peccata vestra, quæ a Deo increpari meruerunt ordine suo; et iteratio sacramentorum, et præsumptiones vestræ, et terrores ostensi sunt : jam responsorum dictorumque nostrorum finis esse debuerat : sed quoniam post invidiæ

[1] Vide D. Guillon, tom. v, pag. 278.

sylvam securibus veritatis abscissam, video adhuc vestras, vel vestrorum provocationes pullulare, quas vos audio dicere, ad unam communionem non oportuisse quæri, cum filios traditorum vos esse constiterit; ad ea pauca respondeam. Revera sufficiebat sibi Ecclesia catholica habens innumerabiles populos in provinciis universis : sufficiebat et in Africa, licet in paucis; sed Deo vestra separatio non placebat: quoniam divulsa fuerant unius corporis membra : et contra voluntatem Dei, fratres a fratribus errabatis. Quamvis domesticum judicium in parentibus vestris operatum sit, ut ultro recederent, qui pro admissa traditione abjici debuerant : nullum judicium celebratum est, sed sententiæ est operatus effectus. Pellendi fuerant post traditionem, de qua sibi in concilio Numidiæ confessi sunt : sed ne invidia esset, excusata est judicandi severitas; dum majores vestri ultro invenerunt de reatu consilium, ut cooperto crimine suo, quasi superbi discederent, quibus et dolere et erubescere debebatur. Illi namque si illo tempore, bono pacis unitas fieret, et si ad Ecclesiam catholicam sponte venissent : non sicut vos, quos non sine voluntate Dei adductos esse constat, ut rediretis unde erraveratis (quamvis adhuc erretis), si ad catholicam (ut dixi) sponte venissent, quia traditores fuerant : de talibus recipiendis dubitarent forsitan nostri majores; sed nobis lætandum est, quod tales usque ad nostra tempora minime duraverunt. Ergo hodie negotium novum est, dum vobiscum res, non cum illis agenda est. Quamvis ab ipsis ad vos videatur hæreditaria macula esse transmissa : tamen in hoc titulo non potestis rei esse cum patribus vestris, secundum judicium Dei, qui locutus est per Ezechielem prophetam, dicens : « Anima patris mea est; et anima filii mea est : anima quæ » peccat, sola punietur [1]. » Quæ res jam et antiquis sæculis,

[1] Ezech. XVIII, 4.

in ipsis natalibus mundi probata est, dum non pertinuit ad Seth filium Adæ, patris admissum. Sed ne quis dicat alio loco scriptum esse, dicente Domino : « Mala patrum usque » in quartam progeniem redditurum [1]. » Illius sunt procul dubio ambæ voces; sed non ad unum populum sonat utraque. Prima est per Moysem ad certum genus hominum : secunda, per Ezechielem ad alterum genus hominum. Dum sciret Deus Judæos apud Pontium Pilatum professuros, ut dicerent : « Sanguis hujus super nos, et super filios nos» tros[2] : » de præscientia Deus vidit pro magnitudine culpæ parum fuisse quod dicturi erant; et ut competentibus pœnis lueretur offensio, ipsis Judæis comminatus est, dicens : « Se mala patrum usque in quartam progeniem reddituru» rum. » Ergo hæc vox ad solos Judæos specialiter pertinet. Cæterum, illa ad Christianos, qua dignatus est promittere non vindicare in filios, si quid peccetur a patribus, nec in patribus si quid a filiis forsitan delinquatur. Temporibus unitatis, principes vestri, qui probantur ista fecisse, jam e vivis excesserant, vobis quasi hæreditariam maculam relinquentes, quam prius Deus a vobis providentia sua sic diluit, dum inter patres et filios (sicut supra diximus) separavit. Igitur quia tradere peccatum est, videant parentes vestri, quid in judicio Dei respondeant : vestrum tamen, (quia aliis temporibus estis) peccatum esse non potest.

II. Inde est quod vos jamdudum in communionem nostram voluimus recipere, quia vos illo tempore non peccastis, sed principes vestri. Nec quasi ex toto sanctus debet quis de altero judicare : quia scriptum est in Evangelio, Christo dicente : « Nolite judicare, ne judicetur de vobis [3] : » maxime cum nemo ex toto sanctus poterit inveniri. Nam si sunt qui possint non habere peccata, mentiuntur in Oratione dominica, si sine causa indulgentiam postulant di-

[1] Exod. xx, 5. — [2] Matth. xxvii, 25. — [3] Id. vii, 1.

centes Deo patri : « Dimitte nobis peccata, sicut et nos di- » mittimus debitoribus nostris[1] : » cum Joannes apostolus, et omnium conscientias prodat, et suam resignet his verbis : « Si dixerimus, inquit, quoniam peccatum non habe- » mus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est[2] : » cujus dicti rationem in quarto libro manifestius explanavimus. Sed fac et aliquos esse tota sanctitate perfectos, non licet ut sint sine fratribus, qui ne repellantur, evangelica præcepta reclamant, quibus describitur ager qui est totus orbis, in quo est Ecclesia, et seminator Christus, qui præcepta dat salutaria. E contrario, homo est malus, id est diabolus, qui non in luce, sed per tenebras seminat importuna peccata : et in uno agro nascuntur diversa semina; sicut in Ecclesia non est similis turba animarum. Ager suscipit semina bona vel mala : est diversitas seminum; sed creator unus omnium est animarum : unus dominus agri, ubi nata sunt zizania : duo sunt auctores seminum; sed ager unum dominum habet; ipsum Deum dominum. Illius est terra : illius sunt bona semina : illius est et pluvia. Ideo vos adductos recipere in unitate consensimus; quia nobis non licet vel separare, vel repellere : quamvis peccatores in uno agro nobiscum natos, una pluvia, hoc est, uno baptismate nutritos : quomodo non licuit Apostolis de tritico zizania separare : quia separatio sine exterminio fieri non potest : ne dum evellitur quod opus non est, conculcetur quod opus est. Pariter jussit Christus in agro suo per totum orbem terrarum, in quo est una Ecclesia, et sua semina crescere et aliena. Post crementa communia, venturus est judicii dies, qui messis est animarum, sedebit judex Filius Dei, qui agnoscit quid est suum, et quid alienum. Illius erit eligere quid condat in horreo, et quid tradat incendio : quod ad interminata tormenta destinet : et

[1] Matth. VI, 12, et Luc. XI, 4. — [2] 1 Joan. I, 8.

quibus promissa præmia repræsentet. Agnoscamus nos omnes homines esse : nemo sibi usurpet divini judicii potestatem. Nam si sibi totum vindicet quivis episcopus, dicatur quid in judicio acturus est Christus? satis sit homini, si de peccato suo reus non sit, quam ut de alieno judex esse desideret. Professio denique nostra est bono pacis vos non repellere. Nefas est enim, ut episcopi faciamus quod Apostoli non fecerunt, qui permissi non sunt vel semina separare, vel de tritico zizania evellere.

III. Quod si de recipiendis vobis Catholica dubitaret, nonne vos debuistis unitatis assequi formam? sed exempla in Evangelio lecta proponere noluistis, ut est lectio de persona beatissimi Petri, ex qua forma unitatis retinendæ vel faciendæ descripta recitatur. Equidem malum est contra interdictum aliquid facere : sed pejus est unitatem non habere cum possis. Quam unitatem ipsum Christum videmus præposuisse vindictæ suæ, qui magis omnes Discipulos suos voluit in uno esse, quam quod offensus fuerat vindicare : dum nollet se negari, promisit se apud Patrem negaturum esse, qui se negaret, et cum hæc ita scripta sint, tamen bono unitatis beatus Petrus, cui satis erat si post quod negavit, solam veniam consequeretur, et præferri Apostolis omnibus meruit, et claves regni cœlorum communicandas cæteris, solus accepit. Bono unitatis, sepelienda esse peccata hinc intelligi datur, quod beatissimus Paulus apostolus dicat charitatem posse obstruere multitudinem peccatorum : « Onera, inquit, vestra invicem sustinete [1] : » et alio loco ait : « Charitas magnanimis est : charitas benigna est : charitas non zelatur : charitas non inflatur : non quærit quæ sua sunt [2] : » et bene dixit. Hæc enim omnia viderat in Apostolis cæteris, qui bono unitatis, per charitatem noluerunt a communione Petri recedere, ejus sci-

[1] Galat. vi, 2. — [2] 1 Cor. xiii, 4, 5.

licet qui negaverat Christum. Quod si major esset amor innocentiæ, quam utilitas pacis et unitatis, dicerent se non debere communicare Petro, qui negaverat magistrum, et Dei Filium dominum. Possent non communicare (ut supra dictum est) beatissimo Petro : possent contra illum recitare verba Christi, qui promiserat negaturum se esse apud Patrem, eum qui se coram hominibus negasset. Ad quam formam debet diligenter attendi : de qua dum pauca commemoro, ipsius sancti Petri beatitudo veniam tribuat, si illud commemorare videor quod factum constat et legitur : dubito dicere peccasse tantam sanctitatem; sed ipse hoc factum probat, qui et doluit amare, et flevit ubertim, qui nec doleret, nec fleret, si nulla intervenisset offensio. Potuit utique caput Apostolorum ita se gubernare, ut nihil incurreret quod doleret : sed ideo in uno titulo ejus multa videntur errata, ut posset ostendi bono unitatis omnia debere Deo servari. Et nescio an in altero hoc genus peccati, tanti ponderis esse possit, quanto in beato Petro fuisse manifestum est. Quisquis enim forte in aliqua persecutione negavit Filium Dei, in comparatione beati Petri videbitur levius deliquisse si negavit quem non vidit ; si negavit quem non agnovit; si negavit cui nihil promisit; si semel negavit. Nam in beato Petro hoc genus peccati dilatatum est : primo quod cum interrogaret Christus omnes quem se homines dicerent, unus dixit Eliam; alter dixit Prophetam : tunc Christus dixisse legitur : « Vos quem me dicitis esse [1] ? » et ait illi Petrus : « Tu es Filius Dei vivi [2]. » Pro qua agnitione laudari ab eo meruit : Ecce cæteris non agnoscentibus Filium Dei, solus Petrus agnovit. Deinde sub die passionis, cum diceret Christus : « Ecce teneor et fugietis » omnes [3]. » Tacentibus cæteris, solus se promisit non recessurum : de præscentia Filius Dei ait : « Petre, antequam

[1] Matth. XVI, 15. — [2] Ibid. 16. — [3] Id. XXVI, 32.

» gallus cantet, ter me negabis [1]. » Additum est aliud ad pondus peccati, promissum scilicet quod non erat impleturus. Posteaquam in domum Caïphæ ductus est Christus, ad mensuram delicti complendam, de tanto numero nullus alius interrogatur præter beatum Petrum : interrogatus primo negat; interrogatus iterum negat; tertio dixit se Christum omnino non nosse : et cantavit gallus; non ut tempora cantu suo distingueret, sed ut peccasse se beatus Petrus agnosceret. Denique doluit amare, et flevit ubertim. Ecce, ut supra dictum est, cæteris non agnoscentibus, solus agnovit : cæteris non promittentibus, solus promisit : cæteris nec semel negantibus, ter solus negavit; et tamen bono unitatis, de numero Apostolorum separari non meruit. Unde intelligitur omnia ordinata esse providentia Salvatoris, ut ipse acciperet claves. Interclusa est malitiæ via, ne Apostoli animo licentiam judicandi conciperent, et severe contemnerent eum qui negaverat Christum. Stant tot innocentes, et peccator accipit claves, ut unitatis negotium formaretur. Provisum est ut peccator aperiret innocentibus, ne innocentes clauderent contra peccatores, et quæ necessaria est unitas, esse non posset. Hæc si commemoraretis, communicare cupientes; quando vos Catholica pio sinu suscipere dubitaret Ecclesia? cum constet vos non traditores esse, sed filios traditorum.

IV. Nam aliqui ex vobis volentes nos populis suis contemnendos ostendere, etiam illud miscent tractatibus suis quod a Salomone propheta dictum est : « Muscæ morituræ » exterminant olei suavitatem [2] : » et muscas morituras nos appellant : et oleum nominant, illum scilicet liquorem, qui ex nomine Christi conditur; quod chrisma, postquam conditum est nominatur. Antequam fiat, adhuc oleum est natura simplex; fiet suave, dum de nomine Christi conditur.

[1] Matth. XXVI, 34. — [2] Eccl. X, 1.

Ergo tres res sunt, quas Salomon propheta nominavit : oleum, suavitatem, et muscas morituras exterminantes suavitatem. Istæ tres res loca sua habent in ordine : primo loco est oleum : secundo suavitas de confectione : tertio, muscæ morientes exterminantes suavitatem. Quisquis est talis tractator ex vobis, probet quomodo nos muscas morituras appellat. Si apud vos putatis esse confectionem quæ det oleo suavitatem, apud vos est oleum et suavitas. Numquid nos exterminamus oleum vestrum, ut merito nos muscas morituras appelletis? quod vestrum est, apud vos est. Et si a vobis ad nos aliquis transitum fecerit; sic a nobis servatur, quomodo a vobis dimittitur : quomodo dicitis quia nos sumus muscæ morituræ suavitatem olei corrumpentes, cum post vos nihil tale facimus? aut si a nobis dicitis suavitatem olei corrumpi posse : aut possumus aliquid, et damus oleo suavitatem : aut si nos, ut vultis, nihil possumus : remansit oleum tale esse, quale et natum est, quomodo dicitis quia nos sumus muscæ morituræ, corrumpentes suavitatem olei? Igitur oleum antequam a nobis conficiatur, tale est quale et natum est : confectum, suavitatem ex nomine Christi accipere potest. Quomodo possumus uno facto et conficere, et corrumpere? restat ut si oleum de se suave sit, vacet quod agitur ab hominibus si ab homine in nomine Christi conficitur. Non potest idem operarius duas res repugnantes et contrarias simul facere. Vobis absentibus si conficimus, non corrumpimus. Si corrumpimus, quis ante nos confecerat quod corrumperemus? Quare ne vacet dictio Prophetæ (si ita est), intelligite quia vos estis muscæ morituræ. Vos enim exterminastis non quod natum est, sed quod confectum est, suavitas enim legitur non natura posse corrumpi. Oleum enim simplex est, et nomen suum unum et proprium habet : confectum jam chrisma vocatur, in quo est suavitas, quæ cutem conscientiæ mollit,

exclusa duritia peccatorum : quæ animum innovat lenem : quæ sedem Spiritui sancto parat, ut invitatus illic, asperitate fugata, libenter inhabitare dignetur. Hæc est suavitas olei, quam possunt muscæ morituræ corrumpere. Si nos exterminaremus a vobis confectum oleum, merito nos muscas morituras appellare possetis : sed dum quod a vobis unctum est, tale servamus, quale suscipimus, muscæ morituræ esse non possumus. Sed dum vos invidiæ tempestatibus impulsi, quasi in oleum caditis, vos exterminatis in rebaptizatione suavitatem olei illius quod in nomine Christi confectum est, unde condirentur mores, unde accenderetur lumen mentis, ad salutarem et veram intelligentiam. Vos exterminatis rem ubi oleum fuit et suavitas. Nos quomodo potuimus corrumpere suavitatem, quæ ante nos a nullo confecta est? seduxistis homines, rebaptizastis, iterum unxistis. Proh dolor! non sine morte vestra, exterminastis quod fuerat de nomine Christi confectum, more muscarum, quæ pereuntes exterminant : quia mors est peccatum, quod non habet indulgentiam. Scriptum est quia « Qui peccaverit in Spiritum sanctum, non remittetur » ei, nec hic, nec in futuro sæculo [1]. » Ergo cum et falso nos muscas appelletis, et omnia quæ a nobis fiunt, dissolvere properetis, et nos contemnendos aut despiciendos esse dicatis, vobis solis sanctitatem vindicantes : innocentiam proponitis vestram, ut promittatis vos aliena posse donare peccata. Videtis igitur non de nobis, ut disputatis, sed de vobis dixisse beatissimum Paulum apostolum : « Erunt, » inquit, homines se ipsos amantes, cupidi, gloriantes sibi, » superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, » scelesti : pacem non custodientes, sine affectu, detracto- » res, immites, sine benignitate [2], etc. »

V. Nam et illud quale est, quod pro arbitrio tuo Moysi

[1] Matth. xII, 32. — [2] 2 Tim. III, 2 et seqq.

vobis imponere voluisti personam, contra quem Jamnem et Mambrem obstitisse commemorat apostolus Paulus. Si ita est, quæ apud vos veritas inveniri potest, cui Catholica videtur obsistere, aut quod apud nos esse mendacium poteris approbare? in una communione esse cum toto orbe terrarum? numquid poteris approbare mendacium? symbolum verum, et unicum retinere et defendere, numquid poteris approbare mendacium? Cathedram Petri et claves regni cœlorum a Christo concessas, ubi est nostra societas, numquid poteris approbare mendacium? in ipsa lectione quæ commemorasti inter ipsas personas, considera ordinem rerum, et qui fuerit prior attende. Utique Jamnes et Mambres secundo loco sunt, qui contra Moysem et veritatem falsis artibus militare voluerunt : et antecesserat Moyses, cujus virtutes impugnare frustra conati sunt. Ut Moyses prior est, sic et Catholica prior est : ut Jamnes et Mambres repugnantes obstiterunt, sic et vos rebelles contra veram Catholicam militatis. Quid est ergo quod nomina et nobis et vobis mutare voluistis, nisi ut te sociis suis comparares æqualem? Sunt enim aliqui ex vobis obliti aut ignari præteritorum temporum in nos dicant quæ pertineant ad eos, qui jamdudum de Catholica lapsi Majorinum ordinaverunt; illi scilicet auctores schismatis et traditionis. Cum adhuc retinerent pacem antequam exterminarent Deo placitam unitatem, fuerunt lumen mundi, et sal terræ merito appellabantur. Dum docerent pacem, adhuc pacifici vocabantur : antequam inflati essent, beati erant, de paupertate spiritus, pars erant condimenti : beati erant, dum mites, pars fuerant condimenti : beati erant, dum justi, pars erant condimenti : beati, dum pacifici, totum fuerant condimentum. Posteaquam erroris divitias dederunt spiritui et pulmonibus suis, et facientes schisma, immites inventi sunt : et minus misericordes dum impie membra Ecclesiæ

diviserunt : et injustitiam secuti, regnum Dei pro fastidio habuerunt : et dividendo Ecclesiam noluerunt esse pacifici, ipsi facti sunt sal infatuatum, ex quo nihil condiretur, quod Deo de suavitate placuisset. Et cum hoc malum pertineat ad Principes vestros, a quibusdam sociis tuis aliter disputatur, ut dicant insipientes fuisse eos, qui agnoverunt vel sero veritatem, et ab schismate recedentes, agnita matre Catholica secuti sunt pacem. Hos putant aliqui vestrum errasse : hos existimant quasi infatuatos a sapientia recessisse. Unde apparet vos omnes eodem modo errare in nominibus transferendis; dum et tu Jamnem et Mambrem pacificis Catholicis comparasti, et vos schismaticos Moysi quod a veritate alienum est : et aliqui socii tui insipientes, de sapientibus judicare voluerunt, ut dicant fatuos factos esse pacificos; et parentes suos de dissensione infatuatos esse, intelligere noluerunt.

VI. Jam ad illum locum invidia vestra dilabitur, ut dicatis Macarium post illa facta communioni non debuisse misceri : sed magis a catholicis episcopis abstineri. Primo, communionis unum est nomen, sed diversi sunt modi : aliud est communicare episcopum cum episcopo, et aliud communicare laïcum cum episcopo. Tunc erat grave si Macarius quod fecisse dicitur, sua voluntate fecisset; quod qui faciunt, factum judiciis publicis et romanis legibus vindicatur. Ille est enim homicida, qui, nulla necessitate cogente, nulla jussione, nulla potestate, sed furore adactus, de voluntate sua fecerit quod prohibent leges. Cæterum, Macarius quod fecisse dicitur, vobis provocantibus, fecit : nec episcopus fuit, nec in officio episcopali versatus est, nec manum alicui imposuit, nec sacrificium obtulit. Unde cum eum constet alienum fuisse ab episcoporum actibus, nullus episcopus ab eo, qui cum episcopis non obtulit, videtur esse pollutus. Restat ut dicatis eum cum populo communicasse, et locutum eum

esse aliquid in populo constat, sed insinuandæ alicujus rei causa, non tamen tractandi quod est episcoporum; ille enim nude locutus est, si quid loqui potuit. Contra episcopalis tractatus probatur ab omnibus sanctitate vestitus, salutatione scilicet geminata. Non enim aliquid incipit episcopus ad populum dicere, nisi primo in nomine Dei populum salutaverit. Similes sunt exitus initiis. Omnis tractatus in Ecclesia a nomine Dei incipitur, et ejusdem Dei nomine terminatur. Quis vestrum audet dicere episcoporum more Macarium populum salutare? Igitur cum nec salutaverit antequam aliquid loqueretur, nec salutare ausus sit, postquam locutus est, nec manum imposuerit, nec sacrificium Deo ritu episcopali obtulerit, quid est quod dicitis pollui potuisse episcopale collegium, cum ab omni episcoporum officio Macarium videatis alienum? Vestigio veritatis hoc loco calcata iterum vestra caput levare videtur invidia. Dicitis enim nec inter laïcos eum communicare debuisse. Equidem constat eum, ut Paulus apostolus probat, ministrum fuisse voluntatis Dei. Et quid mirum? si et judices pagani ministri voluntatis Dei æstimari meruerunt, Apostolo dicente : « Non sine causa » judex gladium portat [1]. » Est enim minister voluntatis Dei : nam et Macarius in suo judex fuisse videbatur. Quod si non erat judex in eo quod fecit, secundum leges romanas a judicibus in eum debuit vindicari. Aut si dicitis nec sic eum communicare debuisse, nos tamen non videmus quia debuit abstineri, qui id tale fecit quod factum est a Moyse, quem post viginti tria millia hominum occisa, Deus non contemnendo abstinuit; sed ut secum loqueretur iterum invitavit. Nos non videmus abstinendum fuisse eum qui fecit quod Phinees, quem paulo ante memoravi, qui ab ipso Deo pro homicidio laudari meruit. Non videtur

[1] Rom. xiii, 44.

magis nobis abstinendus fuisse is a quo id factum est quod ab Elia propheta qui tot falsos Prophetas occidit : nam et illos falsos vates fuisse jam supra probavimus.

VII. Sed ut hæc exempla sileantur, dicamus et nos quod dicitis reum fuisse Macarium : quod si fuit, accusatore silente, a nobis non licuit abstineri. Scriptum est enim ante cognitam causam neminem esse damnandum. Dicite, quis eum accusavit, et auditus non est? dicite Macarium confessum esse culpam, et nostram siluisse sententiam? sumus enim qualescumque judices in Ecclesia, quod et ipsi non negatis; quod nos judices esse veros debere fuisse contenditis. Non enim possumus facere quod non fecit Deus, qui in judicio suo personas separare dignatus est : nec eumdem voluit esse accusatorem et judicem. Non enim potest quis in una causa, eodem momento duas portare personas, ut in eodem judicio, et accusator esse possit et judex. Quod Deus nec per omnipotentiam fecit : ut nobis judicandi formam ostenderet, docuit reum sine accusatore non debere damnari; aut accusatorem eum esse, qui judex in ea causa futurus est. Denique inter ipsa principia sæculorum, dum hominum esset renovellata nativitas; dum a Caïn frater Abel esset occisus, lectum est : « Et vocavit » Deus Caïn, et interrogavit eum ubi esset frater ejus [1]? » ille peccatum duplicans, quasi ignorantem faceret Deum, nescire se dixit. Et quando posset nescire aliquid Dominus, sub cujus oculis et vultu sunt omnia quæ geruntur? et tamen Deus sine accusatore non judicat, et interrogat utique quod noverat. Et vos vultis ut abstineremus quem non vidimus aliquid mali facientem, et qui nullum habuerit accusatorem. Video hoc loco quid invidia submurmuret vestra. Dicitis enim non nos latuisse quod factum est. Fatemur nos audisse; sed peccatum erat damnare eum quem nemo

[1] Gen. IV, 9.

est ausus accusare. Sed si dixeritis quia non nos latuit factum, dicite Deo quare interrogavit, qui viderat parricidium. Nec illud a nobis fieri oportuit, quod Deus facere noluit qui sententiam noluit dicere nisi reo. Redde accusatorem; alioquin non posset justa esse sententia, nisi ipse qui judicaturus erat accusaret. Ideo ait : « Ecce sanguis fratris » tui clamat ad me de terra [1]. » Quare et vos cum minime probare possitis ab aliquo apud nos accusatum esse Macarium, nostrum non potestis damnare judicium.

[1] Gen. IV, 10.

FINIS.

S. P. N. CYRILLI

HIEROSOLYMITANI ARCHIEPISCOPI.

CATECHESES XXIII.

HOMILIA IN PARALYTICUM JUXTA PISCINAM JACENTEM.

EPISTOLA DE SIGNO CRUCIS.

S. CYRILLUS

HIEROSOLYMITANUS ARCHIEPISCOPUS.

GRÆCUS.

CIRCA ANNUM 386.

Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus, presbyter a Maximo ejusdem urbis episcopo consecratus, diaconi munera, vivente Maximo, subire tantum voluisse ab Hieronymo perhibetur. Cujus defuncti in locum ab Acacio, Cæsariensi episcopo, earumdemque partium episcopis suffectus, Catholicis aliquando dubiæ fidei reus evasit. Mox autem, cum ecclesiæ suæ jura propugnare vellet, ab ipso depositus Acacio, circa annum 356, Tarsim cedere coactus est, ubi a Sylvano ejus urbis episcopo benigne exceptus, divina celebrare mysteria, sacrasque habere conciones non destitit. In Seleuciensi concilio Eustathii Sebastensis, Basilii Ancyrani, aliorumque quorumdam, qui postea Semi-ariani dicti sunt, sed qui nondum unitatis vincula ruperant, societatem amplexus, sedique suæ restitutus, ab

Acacio iterum impugnatur in concilio Constantinopolitano, annoque 360 ab episcopatu dejicitur. Per viginti-quatuor annos ab ecclesiæ suæ regimine, cujus pontificatum alii exercebant, prohibitus, anno tandem 380, a synodo Constantinopolitana I, generali II, in dignitate confirmatus, Theodosio imperante, *inconcussum* deinceps *tenuit episcopatum* (*Hieron. de script. Eccl.*), donec diem ultimum obiret anno Christi 386.

Scriptores historiæ ecclesiasticæ, ut Socrates, Theodoretus, Sozomenus et alii honorificam semper de eo faciunt mentionem, a quibus Nicephorus id accipiens, et catalogum Patrum, qui circa tempora Sardicensis concilii floruerunt longa serie recensens, subdit : « Multi denique alii spectati viri » annis iisdem viguere, atque in ecclesiis Dei enituere, inter quos præcipue eruditione et eloquentia floruit... Cyrillus qui post Maximum Hierosolymitanam administrabat Ecclesiam. » (*Niceph. lib.* IX, *c.* 14.)

Legitur quoque de eodem Cyrillo non modo aliis virtutibus, sed et dono prophetiæ non caruisse. « Nam cum Julianus imperator Judæis templum » Hierosolymis instaurare jussisset, et de publico » sumptus subministrasset, tum temporis Cyrillus » memor vaticinii Danielis, quod et Christus in » sanctis Evangeliis confirmavit ac multis futurum » prædixit, quod in eo templo lapis super lapidem » non maneret : *Hoc*, inquit, *Servatoris oraculum* » *adimplebitur.* Cum hoc dixisset episcopus, noctu

» terræ motus factus magnus lapides fundamentales » veteris templi structuræ evulsit, ac cunctos una » cum contiguis ædificiis dispersit : et cum multi » ad miraculum Judæi convenissent, ignis cœlitus » delapsus cuncta artificum instrumenta con- » sumpsit. » (*Socrat. lib.* III, *c.* 20.)

Catecheses a juniore Cyrillo scriptas fuisse auctor est Hieronymus (*de script. Eccles.*), quorum decem et octo ad Cathecumenos directæ supersunt, quæ a Theodoreto, S. Joanne Damasceno, Cypariossitoque laudantur. Habentur etiam et quinque *Mystagogicæ* dictæ, ad eos, qui modo fuerant baptizati, pertinentes. Frustra huic illas detrahere conati sunt Calvinistæ, cum priores ab antiquis celebrentur, posteriores vero in prioribus promissæ priorum rursus mentionem faciant, omnesque unum et idem eloquium redoleant. Quarta et quinta mystagocicæ catecheses maxime notandæ occurrunt, quibus vera et realis Christi in sacramento præsentia invicte demonstratur. Habentur præterea duæ epistolæ, quarum prior de cruce quæ super Hierosolymam eluxerat, posterior vero de Præsentatione Christi in templum agit, quæ sive cum catechesibus, sive in bibliothecis Patrum excusæ fuerunt.

Simplex et candida Cyrilli dictio præcipitem scribendi modum indicat. Mysteriorum, quorum non effodit latebras, doctrinam tamen nitide et luculenter exponit. Occurrunt undique optime interpretata Scripturæ sacræ testimonia ; nec minus in hæreticorum confutatione, quam in enodatione

Scripturarum excellere videtur. Fide ubique tenax, ubique Catholicus, quorum vestigia aliquando exterius secutus est, deliramenta nunquam interius admisisse comprobatur.

Edita sunt S. Cyrilli opera : *græce* an. 1564, curante *Guillelmo Morello, Parisiis.*

Latine præsertim *Antuerpiæ, Romæ et Coloniæ* an. 1564, ex editione *Grodæcii*, et in omnibus Patrum bibliothecis.

Græce autem et *latine*, primum *Oxonii Thomæ Millesii studio*, an. 1703, quæ luculenta et commendanda editio ad sensus *Pseudo-reformatorum* nimium inclinatur; novissime autem, et quidem multo præstantius auctore D. *Touttæo*, Benedictino, quo ante confectam editionem defuncto, *Prudentius Marand*, ut e prelo emitteretur, curavit, an. 1720 (in fol.)

1° An. 1560, *Ludovico Ganeio* prave interpretante prodierunt Catecheses sancti Cyrilli, *Parisiis.*

2° An. 1620, curante *Antonio de Laval*, nova lucem vidit versio quinque mystagogicas catecheses non feliciter expressas complectens, *Parisiis*, in-8°.

3° An. 1715, vertente *Joanne Grancolas*, omnes gallice in publicum prolatæ sunt catecheses cum notis et dissertationibus dogmaticis, *Parisiis*, in-4°.

S. P. N. CYRILLI

HIEROSOLYMITANI ARCHIEPISCOPI.

CATECHESES XXIII.

PROCATECHESIS,

Seu prævius Catechesibus sermo, sancti Patris nostri Cyrilli Archiepiscopi Hierosolymorum.

ARGUMENTUM.

I. *Novi illuminandorum status felicitas. — Nominum inscriptio.— Propositum bonum vocatos facit.* II. *Simon magus baptizatus sine fructu.—Ne quis nostra exploraturus accedat.* III. *Nuptiarum evangelicarum explorator ejectus.— Christus judicii plenus, licet munificus.— Candida convivarum vestimenta.* IV. *Quæ facienda indigne accedenti.— Ecclesiasticorum cœtuum ordo et compositio.— Pœnitentia dierum quadraginta baptizandis data.— Simon magus hypocrita.* V. *Accedentes ad baptismum humani obsequii causa.—Hi quoque salvi fieri possunt.* VI. *Catechumenus exteriori rerum nostrarum sono pulsatus.— Qui nomina dederant, fideles dicti.* VIII. *Baptismus iterari non potest. — Hæretici rebaptizantur.* VIII. *Conversionem*

cordis requirit Deus. IX. *Exorcismorum et insufflationum utilitas ac necessitas. — Exorcismi ex divinæ Scripturæ verbis collecti.— Velatus exorcizatorum vultus.— Anima per exorcismos a peccatis purgatur.* X. *Catecheseon utilitas; iis armatur homo.* XI. *Catecheses omnino retinendæ. — Homiliæ consuetæ in synaxibus.* XII. *Ne vulgentur audita in catechesibus.* XIII. *Quæ ante horam, dum exorcismi expectantur, agenda.* XIV. *Separata sint virorum et mulierum loca. — Virgines seorsim.* XV. *Vigiliæ Paschatis celebritas et collustratio. — Angeli baptismo assistunt frequentes.* XVI. *Encomia baptismi. — Baptismus signaculum indelebile.— Diabolus in insidiis. — Fide et devotione calcandus. — Tentationes infidelium.* XVII. *Deus infidelem potest fidelem efficere, modo cor præbuerit. — Signaculum indelebile in sempiternum.*

I. Vos jam afflat beatudinis odor [1], o illuminandi. Jam flores sublimioris naturæ colligitis, ad plectendas cœlestes coronas, jam Spiritus sancti aspiravit fragrantia. Jam circa vestibulum regiæ constitistis; utinam vero etiam ab Rege introducamini. Flores enim nunc arborum apparuere; fructus quoque utinam perfectus existat. Hactenus nomina dedistis. Hæc vobis ad militiam vocatio. [Præ manibus] lampades ad deductionem sponsæ. Cœlestis [adest] civitatis desiderium, et propositum bonum, et spes consequens [2]. Verax est enim qui dixit : « Quoniam diligentibus Deum » omnia cooperantur in bonum [3]. Liberalis namque est Deus ad benefaciendum; cæterum expectat cujusque sinceram voluntatem; propterea subjecit Apostolus : « His qui » secundum propositum vocati existunt [4]. » Sincerum propositum cum affuerit, facit ut « Vocatus » sis. Quantumvis

[1] Vide D. Guillon, tom. VIII, pag. 351-359. — [2] Philip. III, 20. — [3] Rom. VIII, 28. — [4] Ibid.

enim corpus hic habeas, si mens abſuerit, nulla rei ad te perveniet utilitas.

II. Accessit aliquando ad lavacrum etiam Simon magus[1]. Baptizatus est, sed non illuminatus. Ac corpus quidem tinxit aqua[2], cor autem non illuminavit Spiritu. Descendit corpus [in piscinam], et ascendit; anima vero non est consepulta cum Christo[3], neque una cum ipso surrexit[4]. Ego casuum exempla profero, ne tu cadas. « Hæc enim in » figura contingebant illis, scripta sunt autem ad instruc- » tionem[5] eorum, qui usque hodie accedunt. » Ne quisquam vestrum reperiatur [divinæ] gratiæ explorator; ne qua radix amaritudinis sursum germinans perturbet[6]. Ne quis vestrum ingrediatur, dicens : « Sine, videamus quid faciunt fideles. Ingressus videbo, ut ea quæ peraguntur cognoscam. » Scilicet visurum te speras, visum te iri non censes? arbitrarisque te ea quæ fiunt perscrutaturum, Deumque cor tuum perscrutaturum non esse?

III. Perscrutatus est olim nonnullus nuptias in Evangeliis[7]; indignoque sumpto habitu ingressus est, et accubuit et comedit; permiserat enim sponsus. Sed oportebat, dum candidas omnium videret vestes, ipsum quoque similiter amiciri. Verum ille pares una cum aliis sumebat cibos, amictibus et proposito penitus dispar. Atqui sponsus, quamvis liberalis, non est tamen absque judicio. Circumiens namque singulos convivas, et contemplans, (nec enim erat illi curæ quomodo ederent, sed quam decore se gererent) viso externo quodam nuptiali veste non induto, dixit illi : « Amice, quomodo huc intrasti[8]? » quo colore? quali conscientia? Esto, ostiarius non prohibuit, propter convivatoris munificentiam. Esto, ignorabas quali habitu

[1] Act. VIII, 13. — [2] Joan. VIII, 5. — [3] Rom. VI, 4. — [4] Coloss. II, 12. — [5] I Cor. I, 11. — [6] Hebr. XII, 15, ex Deut. XXIX, 18. — [7] Matth. XXII, 11. — [8] Ibid. 12.

convivium ingredi oportebat. Sed ingressus quasi fulgurantia vidisti discumbentium vestimenta; nonne te oportuit ex conspectis saltem rebus erudiri? nonne opportune ingredi debebas, ut opportune egredereris? Nunc vero intempestive intrasti, ut et intempestive ejiciaris. Ac præcipit ministris : « Ligate pedes ejus [1], » qui temere irruerunt : « Ligate manus ejus, » quæ nitenti nescierunt illum ornare vestitu; « Et ipsum injicite in tenebras exteriores [2]; » indignus est enim nuptialibus tædis. Vides quid illi tunc homini contigerit; tute tuis rebus prospice.

IV. Nos enim, qui ministri Christi sumus, unumquemque excepimus; et tanquam janitorum vice fungentes, liberam permisimus januam. Fieri potest ut animam peccatorum luto inquinatam, et propositum turpiter infectum ferens introiveris. Intrasti, admissus es, nomen tuum inscriptum est. Vides venerandam hanc Ecclesiæ speciem? Vides ordinem ac disciplinam? Scripturarum lectionem, canonicarum [seu tabulis ecclesiasticis inscriptarum] personarum præsentiam, docendi ordinem et seriem? Reverentia loci moveare, et ex his quæ conspicis erudire. Egredere potius nunc opportune, et ingredere cras opportunissime. Si ex avaritia animæ indumentum habuisti, aliud induens ingredere. Exue quam habuisti vestem, ne tege. Exue, quæso te, scortationem et immunditiam, et indue pudicitiæ splendidissimam stolam. Ego denuntio tibi, prius quam sponsus animarum Jesus ingrediatur, et vestimenta conspiciat. Non parvam habes temporis intercapedinem; pœnitentia dierum quadraginta tibi datur. Habes plurimam opportunitatem et exuendi te et abluendi, ac rursus induendi et ingrediendi. Quod si in pravo animi proposito perseveraris, orator ipse liber a culpa est, tu vero ne gratiam te accepturum speres. Aqua enim te recipiet, spiritus vero te

[1] Matth. XXII, 13. — [2] Ibid.

non admittet. Si quis vulneris alicujus sibi conscius est, emplastrum accipiat. Si quis ceciderit, resurgat. Nullus sit inter vos Simon, simulatio nulla, nulla rei explorandæ curiositas.

V. Fieri potest ut alio quoque prætextu adducaris. Contingit ut vir mulierem demereri cupiens, vel ea de causa accedat; quod et de mulieribus vicissim dicam; ac servus sæpe domino, et amicus amico placere voluit. Hami illecebram sumo, ac recipio te malo quidem proposito venientem, spe autem bona salvandum. Quo venires, cujusmodi te rete exciperet, forte nesciebas. Incidisti in retia ecclesiastica; vivus capiare; ne fugias. Capit enim te hamo Jesus [1], non ut morti dedat, sed ut morti tradens vivum reddat. Nam et mori te, et resurgere oportet. Audisti siquidem Apostolum dicentem : « Mortui quidem peccato, » viventes autem justitiæ [2]. » Morere peccatis, et vive justitiæ. Jam ab hodierno die vive.

VI. Considera quantam tibi Jesus dignitatem impertit. Catechumenus vocabaris, exteriori circum pulsatus sono; spem audiens, nec videns; audiens mysteria, nec intelligens; audiens Scripturas, nec illarum profundum videns. Nunc jam non amplius circumsonant aures tuæ, sed interior tibi sonus auditur; inhabitans enim Spiritus mentem tuam deinceps divinam domum facit [3]. Cum audieris ea, quæ de mysteriis scripta sunt, tunc intelliges quæ nesciebas. Neque vero te rem minimi pretii accipere putes. Miserabilis homo cum sis, Dei cognomen accipis. Audi Paulum dicentem : « Fidelis Deus [4]. » Audi aliam Scripturam : « Deus fidelis et justus [5]. » Hoc prævidens Psaltes dixit ex persona Dei : (quandoquidem homines Dei appel-

[1] Alludit ad Matth. XIII, 47.— [2] Rom. VI, 11 et 14, aut 1 Pet.. II, 24.— [3] Rom. VIII, 9, 11. — [4] 1 Cor. I, 9. — [5] Deut. XXXII, 4, vel 1 Joan. I, 9.

lationem erant accepturi) « Ego dixi : Dii estis, et filii » Altissimi omnes [1]. » Sed cave ne appellationem fidelis, infidelis vero propositum geras. Ingressus es in certamen, tolera cursus laborem ; aliud tempus ejusmodi non habes. Si tibi dies nuptiarum propositi essent, annon neglectis omnibus in apparando convivio occupareris? animam vero tuam cœlesti sponso devovere parans, non a corporeis cessabis, ut auferas spiritalia?

VII. Non licet bis aut ter lavacrum suscipere; alioquin liceret dicere, « Quod semel male successerit, id altera vice perficiam. » Sed si vel « semel » male successerit, ea res emendationem non admittit : « Unus enim Dominus » et una fides, et unum baptisma [2]. » Hæretici namque solummodo rebaptizantur, siquidem prius illud baptisma non erat.

VIII. Nihil enim aliud a nobis requirit Deus præter inductionem animi bonam. Ne dicito : « Quînam mea deleantur peccata? » Ego dico tibi : « Hac una re, cum volueris, cum credideris. » Quid isto compendiosius? quod si labia quidem tua te velle pronuntient, cor vero non dicat; « Cognitor est cordium ille qui judicat. » Cessato ex hac die ab omni re prava. Ne proferat lingua tua verba gravitatis expertia; non peccet amplius oculus tuus; neque circum res vanas oberret cogitatio tua.

IX. Festinent pedes tui ad catecheses. Exorcismos cum affectu suscipe : sive insufflatus, sive exorcizatus fueris, saluti tibi res illa futura est. Existimes infectum aurum et adulteratum esse, diversisque materiis, ære, stanno, ferro, ac plumbo immixtum [3]. Aurum solum habere cupimus. Absque igne non potest ab alienis sibi commixtis expurgari : ita absque exorcismis anima expurgari nequit. Divini illi sunt ex divinis Scripturis collecti. Vero obductus

[1] Psal. LXXXI, 6. — [2] Ephes. IV, 5. — [3] Ezech. XXII, 18.

tibi vultus fuit, ut attenta de cætero vacaret cogitatio, neve oculus vagus ipsum quoque cor vagari efficeret. At velatis oculis, non impediuntur aures quominus salutis adjumentum suscipiant. Quemadmodum enim aurificinæ periti subtilibus quibusdam organis spiritum igni immittentes, ac reconditum in vase fusorio aurum conflantes, dum appositam flammam incitant quæsito potiuntur : ita dum exorcizantes, per divinum spiritum timorem injiciunt, animamque in corpore velut in vase conflatorio positam exsuscitant; fugit inimicus dæmon, manet autem salus, et permanet spes vitæ æternæ; denique anima repurgata a peccatis salutem consequitur. Permaneamus ergo in spe, fratres, nosque ipsos dedamus, ac speremus : ut Deus universorum mentis nostræ propositum videns, mundet nos a peccatis, et de rebus nostris bene sperare nos jubens, pœnitentiam nobis tribuat salutarem. Deus vocavit, tu vocatus es.

X. Perseveres in catechesibus. Etiamsi nostra prolixior futura sit oratio, tu ne unquam animo deficias. Arma enim accipies contra adversariam potestatem. Arma capies contra hæreses, contra Judæos, Samaritas et Gentiles. Multos habes hostes, multa tela accipe. Cum plurimis jaculo decertas : addiscendum tibi quomodo transfigas Græcum, quomodo pugnes contra hæreticum, contra Judæum et Samaritam. Et arma quidem parata sunt, gladius vero Spiritus promptissimus [1] : manus autem contendere oportet per bonam voluntatem, ut bellum Domini prælieris, ut oppositas potestates debelles, ut invictum te ab omnibus hæreticorum molitionibus præstes.

XI. Hoc quoque monitum te volo. Quæ dicuntur addisce et in perpetuum serva. Ne existimes has esse consuetas homilias. Hæ quoque bonæ et fide dignæ : verum si quid

[1] Alludit ad Ephes. vi, 17, et Matth. xxvi, 41.

in illis hodie neglexerimus, crastino addiscimus. Ea vero, quæ de lavacro regenerationis per ordinem traduntur documenta, si hodie negligantur, quando demum reparabuntur? Existima tempus esse plantationis arborum. Nisi fodiamus et in altum excavemus, quandonam alias poterit rectius plantari, quod semel fuerit male plantatum? Ædificium quoddam catechesim esse puta. Nisi fodiamus, et fundamentum ponamus; nisi ordinata serie, structuræ vinculis apte conjungamus domum, ne quid laxum et hians reperiatur, et ruinosa fiat ædificatio, in irritum cadet omnis prius susceptus labor. Sed oportet ex ordine lapidi lapidem apponi, et angulum consequi; et superfluis erasis, ita demum æquabilem ædificationem assurgere. Ad eumdem modum afferimus tibi tanquam lapides scientiæ : audire oportet, quæ ad Deum viventem spectant; audire quæ ad judicium; audire necesse est de Christo; audiendum de resurrectione. Et alia multa ex ordine dicuntur, quæ nunc quidem sparsim referuntur, tunc autem suo loco apte disposita proferuntur. Si non hæc in unum colligas ac memoria priora et posteriora complectare, ædificabit quidem architectus, tu vero fragile et caducum habebis ædificium.

XII. Quando catechesis pronuntiabitur, si catechumenus percunctatus te fuerit, quid dixerint doctores, nihil dicas externo. Mysterium enim tibi, et spem futuri sæculi tradimus. Secretum serva ei, qui mercedem rependit. Ne quisquam tibi dicat aliquando : « Quid tibi apportat mali, si ego quoque didicero? » Nimirum etiam ægroti vinum postulare solent; quod si illis intempestive datum fuerit, phrenesim conciliat : et duo hinc nascuntur mala; nam et æger interit, et medicus male audit. Idem quoque contingit catechumeno, si audiat mysteria a fideli. Nam et catechumenus phrenesim patitur; (quod enim audivit ignorat, et rem totam obtrectat, et quod dicitur sannis excipit) si-

mul vero fidelis uti proditor condemnatur. Tu jam in confinio consistis; cave ne quid temere efferas : non quod ea, quæ dicuntur non sint digna narratu, sed quod illæ sint aures indignæ quibus committantur. Fuisti tute aliquando catechumenus, neque res propositas enarrabam tibi. Quando sublimitatem eorum, quæ docentur, experientia cognoveris, tunc plane intelliges earum rerum auditu dignos haud esse catechumenos.

XIII. Unius matris filii et filiæ facti estis, quicumque inscripti estis. Quando ingressi fueritis ante horam exorcismorum, unusquisque vestrum ea loquatur, quæ ad pietatem pertinent; et si quis e vobis defuerit, perquirite. Si ad convivium vocatus esses, nonne expectares eum qui tecum una vocatus esset? Fratrem si haberes, nonne quod fratri bonum est quæreres? Quæ nihil prosint ne deinceps percunctare : ne, quid fecerit urbs, quid vero oppidum; ne, quid imperator, quid episcopus, quid presbyter. Sursum respice; tempora hæc tua id poscunt. « Vacate et » cognoscite quia ego sum Deus [1]. » Si fideles videris inservientes, et curis expeditos; securi sunt, sciunt quid acceperint, gratiam apud se tenent : tu vero adhuc in bilance, dubius utrum admittendus sis, necne, consistis. Ne imiteris illos qui securitate fruuntur, sed timorem concipe.

XIV. Cum autem fiet exorcismus, quousque alii qui exorcizantur accesserint, viri cum viris, mulieres cum mulieribus sunto. Nunc mihi arca Noë opus est, in qua erat Noë et filii ejus; uxor ejus, atque uxores filiorum ejus [2]. Tametsi enim una erat arca, et occlusum ostium, omnia tamen decenter disposita fuere. Quamvis clausa sit ecclesia et vos omnes intus, hæc tamen separata sunto, ut viri cum viris, mulieres cum mulieribus degant. Ne salutis subsidium vertatur in perditionis occasionem : etsi enim pul-

[1] Psal. XLV, 11. — [2] Gen. VII, 7.

chrum sit institutum sibi invicem assidere, tamen procul absint perturbationum vitia. Tum vero sedentes viri librum aliquem utilem præ manibus habeant; et alius quidem legat, alius vero audiat. Si autem desit liber, alter oret, alter vero utile aliquid loquatur. Virginum porro conventus sic collectus esto, ut psallat vel legat, sed tacite : ita ut labia quidem loquantur, vox autem ad alienas aures non perveniat. « Mulieri enim loqui in Ecclesia non permitto [1]. » Et nupta quoque similiter agat : ut et oret, et labia ita moveat, ne vox exaudiatur : ut prodeat Samuël, ut sterilis anima tua pariat exaudientis Dei salutem [2] ; Samuël enim ita sonat.

XV. Videbo studium uniuscujusque viri, videbo uniuscujusque fœminæ pietatem. Inflammetur mens ad pietatem, ad incudem [velut] procudatur anima. Subigatur et tundatur infidelitatis durities. Decidant superfluæ ferri squamæ; maneat id solum quod purum est : detergatur ferri ærugo, ut maneat genuina materies. Aliquando vobis ostendat Deus noctem illam, et tenebras diem referentes, de quibus dictum est : « Tenebræ non obscurabuntur a te, et » nox sicut dies illuminabitur [3]. » Tunc unicuique vestrum paradisi porta aperta sit. Tunc aquis fruamini christiferis, fragrantiam spirantibus. Tunc Christi appellationem, et rerum divinarum efficaciam suscipiatis. Jam nunc oculo mentis aperto sursum respicite : jam angelicos choros animo concipite; universorumque Dominum Deum sedentem, et unigenitum Filium a dextris una sedentem, et Spiritum simul præsentem : Thronos vero et Dominationes ministrantes; et unumquemque vestrum salutem consecutum. Jam veluti sono afficiantur aures vestræ : concupiscite præclaram illam vocem, quando vobis in salutem receptis

[1] 1 Tim. II, 52, et 1 Cor. XIV, 34. — [2] 1 Reg. I, 13. — [3] Psal. CXXXVIII, 12.

Angeli acclamabunt : « Beati quorum remissæ sunt iniqui-» tates, et quorum tecta sunt peccata [1]. » Quando tanquam Ecclesiæ sidera corpore splendidi et anima lucidi ingrediemini.

XVI. Magna res est sane, quod vobis proponitur baptisma : captivis pretium, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regeneratio, luminosum indumentum, signaculum sanctum indissolubile, vehiculum ad cœlum, paradisi deliciæ, regni obtinendi causa, adoptionis donum. Cæterum draco juxta viam transeuntes observat : cave ne te infidelitate mordeat, tam multos videt qui salvi fiunt : « Et quæ-» rit quem devoret [2]. » Ad patrem spirituum ingrederis [3], sed per illum draconem transeundum est. Quomodo igitur tu illum pertransibis? Calcea pedes tuos « In præparatione » Evangelii pacis [4], » ut etiamsi dentem infigat, non lædat tamen. Fidem inhabitantem habe, spem firmam, calceamentum forte, ut per hostem occupato aditu ad Dominum ingrediare. Præpara cor tuum ad recipiendam doctrinam, ad sanctorum mysteriorum participationem. Frequentius ora, ut cœlestibus et immortalibus mysteriis te dignetur Deus. Neque die neque nocte cessa : et cum somnus ab oculis tuis recesserit, tunc mens tua orationi vacet. Si quam turpem cogitationem in mentem tuam insilire videris, succurrat tibi cogitatio judicii, quæ te salutis admoneat. Tuam ad condiscendum cogitationem occupa, ut pravarum rerum oblivionem capiat. Si quem videris dicentem tibi : « Tu-ne illuc ingrederis in aquam descensurus? nonne recens balnea urbs habet? Scito draconem maritimum hæc tibi machinari [5], » ne ad voces loquentis, sed ad Deum operantem attende. Custodi animam tuam ut nulla arte capi possis; ut in spe perseverans, hæres æternæ salutis efficiaris.

[1] Psal. XXXI, 1. — [2] I Petr. V, 8. — [3] Hebr. XII, 9 — [4] Ephes. VI, 15. — [5] Isaï. XXVII, 1.

XVII. Nos quidem hæc uti homines et denuntiamus et docemus : ne autem nostrum ædificium fœnum, et stipulam et paleas efficiatis, ut non cum opus arserit, detrimentum patiamur[1] : sed opus facite aurum et argentum et lapides pretiosos. Meum est dicere, tuum vero aggredi ad opus, Dei vero perficere. Firmemus mentem, contendamus animam, præparemus cor ; de anima enim nobis certamen est[2], et rerum æternarum spes proposita. Potens est autem Deus, (qui novit corda vestra, et perspectum habet quisnam sit sincerus, quisnam vero simulator) sincerum quidem servare, hypocritam vero [et simulatorem] fidelem efficere. Potest enim Deus etiam infidelem fidelem facere, si modo cor illi præbuerit. Deleat ille chirographum quod contra vos est[3], oblivionem autem tribuat vobis priorum delictorum ; atque in Ecclesiam vos inserat, sibique milites allegat, arma vobis justitiæ circumponens : cœlestibus Novi Testamenti rebus repleat, et Spiritus sancti concedat signaculum indelebile in sæcula : in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] 1 Cor. III, 12 et 15. — [2] Prov. VII, 23. — [3] Coloss. III, 13, 14.

CATECHESIS I.

ILLUMINANDORUM,

Hierosolymis ex tempore pronuntiata ; introductionem continens iis, qui ad baptisma accedunt : Et lectio ex Hesaïa : Lavamini, mundi efficimini, auferte malitias ab animabus vestris coram oculis meis[1], etc.

ARGUMENTUM.

I. *Baptizandi Christi mysteriorum participes vocatione. — Sanctissimus mons Golgotha.* II. *Deponatur peccatorum servitus et àsperitas. — Animæ regeneratio per fidem.* III. *Simulatio omnis excludatur. — Deus ad dandam baptismi gratiam voluntatis præparationem requirit.* IV. *Ecclesia spiritalis paradisus. — Catechumeni, datis nominibus, fideles jam dicti.* V. *Confessio ad baptismum prævia. — Remissio peccatorum omnibus ex æquo : Spiritus sancti communicatio secundum uniuscujusque fidem.* VI. *Offensionem condonatio. — Synaxeon frequentatio, clericis advigilantibus. — Divinæ lectiones, spiritalis mensa.*

I. Novi Testamenti Discipuli[2], et mysteriorum Christi participes, nunc quidem vocatione, paulo post vero etiam gratia, cor novum vobis ipsis facite, et spiritum novum[3],

[1] Isaï. I, 16. — [2] Vide D. Guillon, tom. VIII, pag. 359-361. — [3] Ezech. XVIII, 31.

ut Cœlitibus lætitia fiat. Si enim « Super uno peccatore » pœnitentiam agente fit gaudium[1], » juxta Evangelium; quanto magis tot animarum salus Cœlestes ad lætitiam commovebit? Bonam et speciosissimam viam ingressi, religiose cursum pietatis percurrite. Ad redemptionem enim vestram paratissimus adest unigenitus Dei Filius : « Venite, » inquiens, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos[2]. » Qui perniciali offensionum amictu tecti, et peccatorum vestrorum catenis constricti estis[3], propheticam vocem dicentem audite : « Lavamini, mundi efficimini, » auferte malitias vestras ab animabus vestris, coram oculis » meis[4]; » ut Angelorum vobis chorus acclamet : « Beati, » quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt » peccata[5]. » Qui fidei lampades nuper accendistis, eas in manibus inextinctas conservate, ut is, qui latroni paradisum olim in hoc sanctissimo monte Golgotha per fidem aperuit[6], vobis quoque nuptiale canticum decantare concedat.

II. Si quis hic est peccati servus, paratus sit per fidem ad ingenuam adoptionis filiorum regenerationem; et deposita peccatorum servitute pessima, ac felicissimam Domini servitutem consecutus, regni cœlestis hæreditate potiunda dignus censeatur. Exuite per confessionem veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris[7] : ut induatis novum qui renovatur secundum agnitionem ejus qui creavit illum[8]. Arrhabonem Spiritus sancti acquirite per fidem[9], ut possitis in æternas recipi mansiones[10]. Accedite ad mysticum signaculum, ut ab hero favorabiliter agnosci possitis. Sancto ac ratione prædito Christi gregi accenseamini, ut olim ad dexteram ejus segregati,

[1] Luc. xv, 31. — [2] Matth. xi, 28. — [3] Prov. v, 22. — [4] Isaï. i, 16. — [5] Psal. xxxi, 1. — [6] Luc. xxiii, 43. — [7] Ephes. iv, 22-24. — [8] Coloss. iii, 10. — [9] 2 Cor. v, 5. — [10] Luc. xvi, 9.

paratam vobis vitam hæreditate consequamini. Quibus enim adhuc peccatorum asperitas [in villosæ cutis modum] adhærescit, illi a sinistris consistent, eo quod ad gratiam Dei, quæ in lavacri regeneratione per Christum datur, non accesserint. Regenerationem porro non corporum dico, sed spiritalem animæ iteratam nativitatem. Corpora enim per visibiles parentes generantur, animæ vero regenerantur per fidem; nam « Spiritus ubi vult spirat[1]. » Tumque si dignus efficiare, licebit tibi audire : « Bene, serve bone et » fidelis[2]; » cum videlicet nullam habens in conscientia simulationis impuritatem fueris deprehensus.

III. Si enim quispiam ex his, qui adsunt, gratiam Dei tentare se sperat, se ipse fallit, et virtutem [rerum] ignorat. Sinceram et fuci expertem, o homo, animam habe, propter eum qui scrutatur corda et renes[3]. » Ut enim ii, qui milites conscripturi sunt, allegendorum ætates [vel staturas] et corpora explorant; ita Dominus delectum faciens animarum, voluntates inquirit : et si quis hypocrisim abditam gerat, hunc veluti ad veram militiam ineptum rejicit; si vero dignum deprehenderit, huic promptissime confert gratiam. Non dat sancta canibus[4] : sed ubi probam conscientiam videt, illic salutare et admirabile sigillum confert, quod contremiscunt dæmones et agnoscunt Angeli; ita ut illi quidem fugitent abacti, hi vero ut cognatum et familiare circumplectantur. His ergo qui spiritale illud ac salutare sigillum suscipiunt, opus est ut proprium quoque studium adhibeant. Ut enim calamo scriptorio vel telo, necessaria utentis opera est, ita et gratia credentibus opus habet.

IV. Non corruptibile, sed spiritale accipis armorum genus. In intelligibilem deinceps paradisum insereris[5]. No-

[1] Joan. III, 8. — [2] Matth. XXV, 21. — [3] Psal. VII, 10. — [4] Matth. VII, 6. — [5] Apoc. II, 7.

men novum accipis quod prius non habebas[1]. Antea « Catechumenus » eras, nunc « Fidelis » vocabere. Transplantaris deinceps in intellectuales oleas, ex oleastro in frugiferam oleam insertus[2]; ex peccatis in justitiam, ex sordibus in puritatem. Sanctæ vitis particeps efficeris. At si permanseris in vite, uti palmes fructifer, cresces : si vero non permanseris, igne absumeris[3]. Fructum igitur digne feramus. Absit enim ut idem nobis contingat quod infructuosæ illi ficui[4]; ne veniens Jesus etiamnum maledicat ob sterilitatem. Sed fas sit omnibus hanc sententiam pronuntiare : « Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in » misericordiam Dei in æternum[5]. » Oliva non sensibilis, sed intelligibilis, lucem ferens. Igitur, ejus quidem est plantare et rigare[6], tuum vero fructum ferre. Dei est gratiam conferre, tuum vere accipere et custodire. Non ideo spernas gratiam quia gratis datur : sed religiose potius, cum acceperis, custodito.

V. Tempus præsens est tempus confessionis. Confitere quæ perpetrasti, sive verbo, sive opere; sive nocte, sive die. Confitere in tempore acceptabili, et in die salutis suscipe cœlestem thesaurum[7]. In exorcismos studiose vaca. Catechesibus assiduus esto, et quæ ibi dicentur memoriæ infige. Dicuntur enim non ut audias solum, sed ut audita per fidem obsignes. Omnem humanam sollicitudinem ex cogitatione tua deleas, nam tibi de anima cursus susceptus est[8]. Quæcumque mundi sunt prorsus relinquis. Exigua quidem illa; magna vero quæ tribuuntur a Domino. Relinque præsentia et in futura fidem habe. Tot annorum circulos mundo incassum laborans transegisti : nec qua-

[1] Apoc. XI, 17. — [2] Rom. XI, 24. — [3] Joan. XV, 1, 4 et 5. — [4] Matth. XXI, 19. — [5] Psal. LI, 10, juxta Vulgatam, et 8, juxta Græcum. — [6] 1 Cor. III, 6. — [7] 2 Cor. VI, 2. — [8] 1 Prov. VIII, 23.

draginta diebus vacabis [orationi] pro anima tua? «Vacate, » et cognoscite quoniam ego sum Deus [1], » inquit Scriptura. Omitte plura inutilia loqui. Neque tu detrahe, neque detrahentem libenter audi : sed potius ad preces promptus paratusque esto. Monstra per exercitationem [austerioris vitæ] animi tui robur et nervos. Munda vas tuum, ut gratiam capiat abundantiorem [2]. Remissio enim peccatorum ex æquo datur omnibus : communicatio vero Spiritus sancti, secundum proportionem uniuscujusque fidei conceditur [3]. Si parum laboraveris, parum accipies : si vero multa operatus fueris, multa erit merces. Tibi ipsi curris, tibi convenientia prospice.

VI. Si quid contra quemquam habes, remitte. Accedis ut veniam peccatorum accipias : necesse est et te ei, qui peccavit, condonare. Alioqui, qua fronte dices Domino : « Remitte mihi multa mea peccata [4], » cum tu neque pauca conservo tuo remiseris? Synaxibus [seu sacris conventibus] studiosus intersis; non solum nunc, cum eam a te diligentiam exigunt clerici, verumetiam post acceptam gratiam. Si enim antequam [eam] acciperes, bonum et laudandum id erat; anne postquam data est bonum esse desinit? Si prius quam insereris, rigari et excoli tutum erat; nonne post plantationem res multo melior? Certamen sustine pro tua ipsius anima, his præsertim diebus. Divinis lectionibus animam tuam pasce : mensam enim spiritalem paravit tibi Dominus. Dic et tu juxta Psalmicinem : « Dominus pascit » me, et nihil mihi deerit : in locum pascuæ, ibi me in ten » torio collocavit. Super aquam requietis enutrivit me; ani- » mam meam convertit [5]. » Ut et Angeli simul gaudeant; et ipse Christus magnus sacerdotum princeps, voluntatis vestræ propositum ratum habens, et vos omnes offerens,

[1] Psal. XLV, 11. — [2] Matth. XXIII, 26. — [3] Rom. XII, 6. — [4] Matt XVIII, 23-35. — [5] Psal. XXII, 1, 2, 3.

Patri dicat : « Ecce ego et pueri quos dedit mihi Deus[1]. » Qui vos omnes sibi placentes custodiat. Ipsi gloria et imperium in infinita sæcula sæculorum. Amen.

[1] Psal. xvii, 3. Isaï. viii, 18, et Hebr. ii, 13.

CATECHESIS II.

ILLUMINANDORUM,

Hierosolymis ex tempore habita, De pœnitentia, et remissione peccatorum, et de adversario. *Lectio ex Ezechiele*: Justitia justo super ipsum erit, et impietas impio super ipsum erit. Et impius si conversus fuerit ab omnibus impietatibus suis [1], *et reliqua.*

ARGUMENTUM.

I. *Peccatum, malum grande, sed voluntarium, et medicabile per pœnitentiam. — Homo rectus creatus, et ad bona opera. — Proprio delectu malus effectus. — Peccatum per pœnitentiam curare facile.* II. *Quid sit peccatum? Voluntatis aberratio.* III. *Diabolus suasor, non tamen cogens. — Non permittendum versari in animo desiderium malum; nec fidelis licet in eo securus esse debet.* IV. *Diabolus e bono malus sponte factus, dein cæteris peccatorum auctor. — Diabolus a calumniando dictus. — Satanas adversarium significat. — Per diabolum homo paradiso pulsus.* V. *Peccato primi hominis cecidimus et mortui sumus. — Speranda peccatoribus salus. — Natura salutis capax.* VI. *Magna et quibuslibet hominum peccatis superior Dei clementia, ab exemplis.* VII. *Dei patientia in Adamum. — In Caïn, primum auctorem cædium.* VIII. *In genus humanum proxime ante diluvium.* IX. *Idem argumentum continuatur. — Exemplum*

[1] Ezech. XVIII, 20.

Rahab meretricis. X. *Populi israëlitici vitulum adorantis. — Aaronis in populi scelus conniventis. — Angelis etiam condonat Deus.* XI. *David præclarum exemplar pœnitentiæ. — Davidem custodiebat castitas.* XII. *David pœnitens etiam post remissum peccatum.* XIII. *Salomonis et Achabi regum pœnitentia.* XIV. *Jeroboam et Manassis pœnitentia.* XV. *Magna vis et potestas pœnitentiæ, ab exemplo Ezechiæ et puerorum trium.— Genituræ et sideribus non subjacet vitæ nostræ moderatio.* XVI. *Ananiæ et sociorum deprecatio pro peccatis. — Objectio. — Responsio ab exemplo Nabuchodonosoris.* XVII. *Nabuchodonosoris crimina. — Cherubim propitiatorii a Nabuchodonosore contrita.* XVIII. *Nabuchodonosoris flagellati et pœnitentis cum venia restitutis.* XIX. *Hortatio ad pœnitentiam. — Petrus Apostolorum summus et princeps. — Ejus casus, pœnitentia et reparatio.* XX. *Conclusio.*

I. Dira res est peccatum [1], et morbus animæ acerbissimus, iniquitas; quæ quidem et nervos illius succidit, et ignem æternum illi præterea conciliat. Malum ex libero delectu, voluntariæ animi inductionis germen. Nam quod propria sponte arbitrioque peccemus, palam alicubi dicit Propheta : « Ego plantavi te vineam fructiferam omnem » veram; quomodo conversa es in amaritudinem, vitis » aliena [2] ? » Plantatio bona, fructus malus. Ex libera voluntate malum. Is qui plantavit culpæ expers, vinea vero igne exuretur; quoniam in bonum plantata, in malum ex libero delectu fructifera fuit. « Fecit namque Deus hominem » rectum, juxta Ecclesiastem; et ipsi multas quæsivere » ratiocinationes [3]. Ipsius enim sumus factura, creati ad » opera bona [4], » inquit Apostolus. Creator itaque cum sit

[1] Vide D. Guillon, tom. VIII, pag. 361-367. — [2] Jerem. II, 21. — [3] Eccles. VII, 29. — [4] Ephes. II, 10.

bonus, « Ad bona creavit opera; » creata vero res ex proprio arbitratu in malitiam conversa est. Grave igitur malum, ut dictum est, peccatum; sed non immedicabile; grave illi qui retinet; sed curatu facile ei, qui per pœnitentiam deponit. Supponas velim aliquem in manu ignem tenere; quandiu quidem retinet carbonem, procul dubio uritur; si vero carbonem abjiciat, una id quod urebat excussit. Quod si quis peccando uri se non existimet, huic dicit Scriptura : « Ligabit aliquis ignem in sinu, nec vestimenta » comburet [1] ? » Urit enim peccatum nervos animæ.

II. Sed dicet aliquis, quid tandem est peccatum? animal-ne est, an Angelus, vel dæmon? Quæ res est hujus effectrix? Non est hostis, o homo, qui te exterius invadat; sed est mala soboles a te ipso procrescens. « Rectis vide » oculis tuis [2], » et non erit libido. Tua retine, nec aliena rapias; et jacet rapina. Memineris judicii; tum neque scortatio, neque adulterium, neque homicidium, neque ullum prorsus illegitime factum apud te invalescet. Cum vero oblivisceris Dei, tunc demum incipis et prava cogitare, et illicita perficere.

III. Neque vero tu solus dux et auctor es facti; sed est alius quidam pessimus instinctor, diabolus. Ille omnibus suggerit; sed non vi superat eos, qui non acquiescunt. Quamobrem dicit Ecclesiastes : « Si spiritus potes- » tatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne » dimiseris [3]. » Ostium tuum claude, et illum procul a te fuga, nec tibi nocebit. Si vero indifferenter libidinis cogitationem admiseris, obversans animo radices in te figet, mentem tuam ligabit, teque in malorum foveam pertrahet. Sed forte dices; « Fidelis sum, non me superabit pravum desiderium, tametsi frequentius illud animo informem. » Ignoras-ne quod radix ad petram diu manens affixa, illam

[1] Prov. vi, 27. — [2] Id. iv, 25. — [3] Eccles. x, 4.

plerumque perrumpit? Ne semen suscipias, quoniam fidem tuam discindet. Prius quam floreat, radicitus extrahe malum; ne si ab initio negligenter egeris, ignis et secures sint tibi postea cogitandæ [1]. Lippitudinem incœptantem tempestive cura, ne cæcus factus, tum demum medicum quæras.

IV. Primus auctor peccati est diabolus, et malorum pater. Hoc Dominus dixit, non ego : « Quod ab initio » diabolus peccat [2]. » Ante illum peccavit nemo. Peccavit vero; non ex natura necessitate peccati quadam obligatus; (alioqui in eum qui talem illum fecisset, ipsa peccandi causa recurreret) sed bonus creatus, diabolus propria voluntate factus est, sumens ab actione appellationem. Archangelus enim cum esset, diabolus postea [seu « calumniator »] a calumniando dictus est. Et cum esset minister Dei bonus, Satanæ nomine rei congruo deinceps est vocatus, Satanas enim : « Adversarium » significat. Non mea sunt hæc documenta, sed Ezechielis spiritiferi Prophetæ. Ille enim planctum assumens adversus istum, dicit : « Tu signaculum similitudinis, et corona pulchri» tudinis, in paradiso Dei genitus es [3]. » Et paucis interjectis : « Genitus es irreprehensibilis in diebus tuis, ex qua » die tu creatus es, donec inventæ sunt iniquitates in te [4]. » Prorsus apposite dixit : « Inventæ sunt in te. » Neque enim exterius ascitum est, sed tute ipse genuisti malum. Et causam postea edixit : « Elevatum est cor tuum ex decore » tuo; propter multitudinem peccatorum tuorum, et propter » peccata tua vulneratus es, et in terram projeci te [5]. » Id Dominus rursum in Evangeliis concordi sensu dicit : « Vi» debam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem [6]. » Vides

[1] Jer. XXIII, 29, vel Matth. III, 10. — [2] Joan. VIII, 44, et 1 Joan. III, 8. — [3] Ezech. XXVIII, 12, 13. — [4] Ibid. 15. — [5] Ibid. 16, 17. — [6] Luc. X, 18.

Testamenti Veteris cum Novo consonantiam. Iste cadens multos secum abstraxit. Iste obsequentibus sibi prava desideria suggerit. Ex hoc adulterium, fornicatio, et quidquid usquam est mali. Per hunc primus noster parens Adam expulsus est, ac paradisum sponte sua admirabiles fructus ferentem, terra spinas ferente, permutavit.

V. Quid igitur ? dixerit aliquis, decepti perivimus, nullane deinceps salus ? Cecidimus, num non licet resurgere [1] ? Excæcati sumus, fas non est visum recuperare ? Claudi sumus effecti, spes non est aliquando recte incedendi ? In summa dicam, mortui sumus [2], non licet ut resurgamus ? An vero qui Lazarum, o homo, quatriduanum fœtentemque excitavit [3], non potius viventem te facilius excitabit ? Qui pretiosum sanguinem pro nobis effudit, ipse nos e peccato expediet. Ne nos ipsos desperemus [4], fratres ; ne nos in desperatum abjiciamus statum. Dira res est non credere in spem pœnitentiæ. Qui non expectat salutem, mala absque modo accumulat ; qui vero sanationem sperat, facile sibi ipsi parcit. Latro etiam, qui gratiam non expectat, usque ad insolentiam devenit ; si vero veniam speret, ad pœnitentiam sæpe decurrit. Quid vero, serpens potest deponere senectutem ; nos peccatum non deponemus ? ac terra quidem spinosa, cum pulchre exculta fuerit, in frugiferam transmutatur ; nobis autem salus irreparabilis futura est ? Natura itaque est capax salutis, verum ad hoc requiritur arbitrii voluntas.

VI. Benignus est Deus, et non modice benignus. Tu namque ne dixeris : « Scortator, et adulter fui, gravia scelera patravi, idque non semel, sed frequentissime. Numquid condonabit ? Numquid dabit ut obliviscatur ? » Audi quid Psalmicen dicat : « Quam magna multitudo benignitatis

[1] Jer. VIII, 4. — [2] Psal. XL, 9. — [3] Joan. XI, 17, 39 et 44. — [4] Ephes. IV, 19.

» tuæ, Domine [1] ! » Non vincunt tua cumulata peccata multitudinem miserationum Dei. Non superant vulnera tua summi illius Medici experientiam. Trade tantummodo te ipsum illi cum fide. Edissere Medico morbum tuum ; dic et ipse cum Davide : « Dixi : Pronuntiabo adversum me ini- » quitatem meam, Domine [2]. » Et fiet tibi similiter id quod sequitur : « Et tu remisisti impietatem cordis mei [3]. »

VII. Vis-ne tu qui recens ad catechesim accessisti, Dei humanitatem videre ? Vis-ne benignitatem Dei, et patientiæ ejus multitudinem perspicere? audi de Adamo. Præceptum violavit Adam primus a Deo conditus homo. Non potuit statim in illum morte animadvertere ? sed vide quid agat hominum amantissimus Dominus. Ejicit illum ex paradiso [4]; (neque enim illius loci domicilio dignus erat propter peccatum); eum vero e regione paradisi locat, ut videns unde ceciderit, et ex quibus in quæ dejectus sit, deinceps per pœnitentiam salutem consequatur. Caïn, primus partu editus homo, fratricida factus est; inventor malorum, auctor et dux cædium, invidusque primus. Sed posteaquam e medio sustulit fratrem, qua pœna damnatur? « Gemens et tremens eris super terram [5]. » Peccatum grande, levis animadversio.

VIII. Et hæc quidem vere Dei clementia fuit ; sed adhuc parva respectu eorum, quæ sequuntur. Cogita enim quæ tempore Noë contigerunt. Peccaverunt Gigantes, et iniquitas in terra plurima tum diffusa est [6], et propter hanc inducendum erat diluvium. Ac quingentesimo quidem anno comminationem profert Deus [7]; sexcentesimo vero diluvium super terram adduxit [8]. Cernis benignitatis Dei in centum annos protensæ latitudinem? Numquid enim, quod

[1] Psal. xxx, 20. — [2] Id. xxxi, 5. — [3] Ibid. — [4] Gen. iii, 24. — [5] Id. iv, 12. — [6] Osee iv, 2. — [7] Gen. v, 31, et vi, 13. — [8] Id. vii, 11.

centum post annos fecit, illico facere non poterat? sed data opera protelavit, dans pœnitentiæ locum. Vides-ne Dei bonitatem? nec illi certe homines, si tum resipuissent, divinam sibi clementiam deesse sensissent.

IX. Veniamus nunc et ad alios, qui per pœnitentiam salvi facti sunt. Erit forte in mulieribus quæ dicat : « Scortata sum, adultera fui, omni luxuriæ genere corpus inquinavi; an-ne est salus? » Inspice, o mulier, in Rahab, et salutem tu quoque expecta. Nam si ea, quæ palam publiceque scortationem exercebat, per pœnitentiam salutem adepta est, an ea, quæ semel aliquando ante gratiam [acceptam] corpus violavit, per pœnitentiam et jejunium non servabitur? Quomodo salva facta sit illa, exquire. Hoc unum dixit : « Quia Deus vester in cœlo et in terra[1]. Deus » vester, » inquit; suum enim, propter impudicitiam dicere non audebat. Quod si consignatum in Scripturis de ejus salute testimonium accipere aves, habes scriptum in Psalmis : « Memor ero Rahab et Babylonis cognoscentibus » me[2]. » O magnam Dei benignitatem, quæ etiam meretricum in Scripturis meminit. Neque simpliciter dixit : « Memor ero Rahab et Babylonis, » Sed illud adjecit : « Cognoscentibus me. » Est igitur viris, et mulieribus similiter salus, quæ per pœnitentiam conciliatur.

X. Etiamsi universus populus peccaverit, non superat divinam benignitatem. Vitulum populus fabricaverat, nec tamen recessit Deus a clementia. Negaverunt homines Deum, sed Deus se ipsum non negavit[3]. « Isti sunt, dixere » illi, dii tui, Israël[4], » et tamen pro more suo Deus Israël servator eorum fuit. Nec solus peccavit populus; verumetiam et Aaron summus sacerdos. Moyses enim dicit : « Et » super Aaron facta est ira Domini[5]; et rogavi, ait, pro

[1] Jos. II, 11. — [2] Psal. LXXXVI, 4. — [3] 2 Tim. II, 23. — [4] Exod. XXXII, 4. — [5] Deut. IX, 20.

»ipso, et condonavit illi Deus [1]. » Jamvero Moyses pro summo sacerdote peccante supplicans Deum flexit; Jesus autem unigenitus orans pro nobis, Deum non placabit? Illum propter culpam non prohibuit quominus ad summum sacerdotium veniret; te vero ex gentibus venientem salutem ingredi prohibebit? pœnitentiam age itidem et tu, o homo; neque a te gratia prohibebitur. Irreprehensibilem deinceps præsta vitæ tuæ modum; vere enim hominum amans est Deus; neque ullus homo clementiam ejus pro dignitate explicare potest. Imo etiamsi omnes hominum linguæ in unum conveniant, ne sic quidem partem aliquam benignitatis ejus enarrare sufficiant. Dicimus nos partem aliquam eorum, quæ scripta sunt de Dei erga homines benignitate; sed nescimus quanta ille et Angelis condonaverit. Nam et illis condonat; quandoquidem unus est solus absque peccato, qui nos a peccatis purgat Jesus. Ac de illis quidem [hoc est angelis] satis.

XI. Si vero cupis, alia quoque repræsentabo tibi de nobis exempla, accede ad beatum David, illumque accipe præclarum exemplar pœnitentiæ. Offendit ille magnus : cum post cubitum pomeridianis horis in tecti fastigio deambularet [2], vidit indifferenter, et humani quid passus est. Perfectum fuit peccatum; sed non periit una in confitendo peccato candor. Venit Nathan propheta, reprehensor promptus, et vulneris medicus [3]. « Iratus est, inquit, Do»minus, et peccavisti [4]. » Regem alloquebatur privatus. Rex purpura insignis non indignatus est : non enim ad eum qui loquebatur, sed ad eum a quo mittebatur, attendebat. Non excæcavit eum circumstans militum cohors; cogitabat enim angelicum Domini exercitum : « Et invisi»bilem tanquam videns [5] » contremiscebat, ac venienti,

[1] Verba hæc non sunt Scripturæ. — [2] 2 Reg. XI, 2. — [3] Id. XII, 10. — [4] Isaï. LXIV, 5. — [5] Hebr. XI, 27.

seu potius per illum, mittenti [Deo] respondit, « Peccavi » Domino [1]. » Cernis demissionem regis, cernis confessionem. Numquid fuerat ab ullo convictus? num multi fuerant facinoris conscii? celeriter transacta res, et statim Propheta affuit accusator; quique offenderat, peccatum confitetur, et quia ingenue et bona mente confessus est, ocyssime sanatus fuit. Nathan enim propheta qui comminationibus usus fuerat, statim dicit : « Dominus quoque » transtulit peccatum tuum [2]. » Vides velocissimam Dei hominum amantis mutationem. Attamen dicit : « Irritans » irritavisti inimicos Domini [3]. » Multos enim propter justitiam hostes habebas, sed custodiebat te castitas. Postquam vero præcipuum hoc præsidium prodidisti, stantes habes hostes paratos, qui adversum te consurgant. Sic igitur illum Propheta consolatus est.

XII. At beatus David, tametsi audivisset illud; « Dominus transtulit peccatum tuum; » non abstinuit tamen a pœnitentia rex licet ; verum loco purpuræ saccum induit, et pro inauratis sedibus, in cinere et humi rex sedebat [4]; nec in cinere sedebat tantum, verumetiam cinere vescebatur, sicut ipse ait : « Quoniam cinerem tanquam » panem manducabam [5]. » Oculum nimis cupidum lacrymis confecit : « Lavabo, inquiens, per singulas noctes lectum meum : in lacrymis meis stratum meum rigabo [6]. » Cum principes illum ad manducandum panem hortarentur, non acquievit, jejuniumque in septimum omnino diem produxit [7]. Si rex ita confitebatur, tu qui privatus es, non debes confiteri? Post Absalomi rebellionem, cum multæ illi paterent ad fugam viæ, per Olivarum montem fugere elegit [8], quasi mente invocans liberatorem, qui isthinc in cœlos erat ascensurus, et cum Semeï acerbis illum figeret

[1] 2 Reg. xxi, 13. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 14. — [4] Ibid. 16. — [5] Psal. ci, 10. — [6] Id. vi, 7. — [7] 2 Reg. xii, 17 et 18. — [8] Id. xv, 23.

maledictis : « Sinite, inquit, illum [1] : » sciebat enim quod ei qui remittit remittetur.

XIII. Vides pulchrum esse confiteri. Cernis esse pœnitentibus salutem. Etiam Salomon ceciderat [2] : sed quid ait? « Postea ego pœnitentiam egi [3]. » Achab quoque rex Samariæ erat nequissimus idolorum cultor [4], excellenti improbitate, ille Prophetarum interemptor, alienus pietatis, agrorum et vinearum alienarum appetitor. Verum quando Nabuthæum per Jesabelem interemit [5], cum venisset Elias propheta ac solummodo minas intentasset, discidit vestimenta sua, et induit saccum [6]. Quid vero dicit misericors Deus ad Eliam? « Vidisti quomodo compunctus est Achab » a facie mea [7] ? » quasi fervidum Prophetæ ingenium, ut ad pœnitentiam se ultro inclinaret, flectere laborans. « Non » enim, inquit, inducam malum in diebus ejus [8]. » et quamvis ille post veniam non erat ab improbitate recessurus, absolute tamen remittit, non inscius futuri, sed præsenti pœnitentiæ momento consentaneam tribuens remissionem. Justi enim judicis est accommodatam unicuique facto sententiam pronuntiare.

XIV. Rursus Hieroboam stabat sacrificans idolis super aram. Arida facta est manus ejus, quoniam redarguentem se Prophetam comprehendi jussisset [9]. Sed præsentis hominis potestatem experimento sui comprobans dicit : « Deprecare faciem Domini Dei tui [10] : » et propter hoc verbum manus illius integrum restituta est. Si Hieroboam sanavit Propheta, non poterit te Christus a peccatis sanando liberare? Fuit et Manasses consceleratissimus, is qui Hesaïam dissecuit [11], et in omni genere idololatriæ contamina-

[1] 2 Reg. xvi, 10 et 11.— [2] 3 Reg. xi, 4.— [3] Prov. xxiv, 32, juxta LXX. — [4] 3 Reg. xx, 25.— [5] Id. xxi, juxta Vulgatam et xx, juxta LXX. — [6] Ibid. 27.— [7] Ibid. 29.— [8] Ibid.— [9] Id. xiii, 1. — [10] Ibid. 6. — [11] 4 Reg. xxi.

tus, innocentum cædibus Hierosolymam opplevit [1]. Sed captivus in Babylonem adductus, experientia malorum ad pœnitentiæ medicinam usus est. Dicit enim Scriptura, quod « Humiliatus est Manasses coram Domino, et ora- » vit, et exaudivit eum Dominus, et reduxit illum in regnum » ejus [2]. » Si is, qui Prophetam dissecuerat, per pœnitentiam salvus factus est, tu qui nihil tam grave admisisti, non servaberis?

XV. Cave ne pœnitentiæ vi sine causa diffidas. Vis-ne cognoscere quantum possit pœnitentia? vis-ne robustissimum hoc salutis telum pernoscere, et quantum valeat, confessio addiscere? Centum-octoginta-quinque hostium millia Ezechias per confessionem confecit [3]. Magnum quidem id revera; sed ejus quod modo dicetur comparatione, exiguum. Idem divinam sententiam jam latam pœnitentia revocavit. Ægrotanti enim illi dixerat Hesaïas : « Dispone » domui tuæ; morieris enim tu, et non vives [4]. » Quæ jam reliqua expectatio? quæ spes salutis, dicente Propheta : « Morireis enim tu [5]? » sed non revocatus est a pœnitentia Ezechias. Memor hujus quod scriptum est : « Cum » aversus ingemueris, tunc salvaberis [5], » avertit se ad parietem, mentemque a lecto in cœlum intendens, (neque enim parietum crassitudo preces devota mente sursum emissas moratur) ait : « Domine, memento mei [6] : » sufficit enim ad sanitatem mihi, si tu mei memineris. Non temporibus subjaces, sed ipse es vitæ legislator : neque enim secundum genituram atque siderum complexionem, ut nonnulli delirant, vitæ nostræ stat ratio; sed tu et vitam, et tempus vitæ tanquam legislator pro voluntate moderaris. Cujus itaque, propter Prophetæ denuntiationem, desperata vita erat; illi annorum quindecim tempus ad vitam

[1] 4 Reg. xxi, 16. — [2] 2 Paralip. xxxiii, 12, 13. — [3] 4 Reg. xix, 35. — [4] Isaï. xxxviii, 1. — [5] Id. xxx, 15. — [6] Id. xxxviii, 3.

prorogatum, sole signi gratia retrogresso [1]. Jamvero sol propter Ezechiam remeavit : at idem propter Christum defecit, non retrocedens sed deliquium passus [2]; ea re quid inter utrumque, Ezechiam dico et Jesum, interesset, demonstrans. Et ille quidem potuit Dei solvere sententiam : Jesus autem peccatorum dimissionem dare non poterit? Avertere, et tibi ipsi ingemisce [3]; fores claude, et ora ut tibi remittatur [4], ut urente a te flammas disjiciat [5] [Deus.] Potest enim confessio ignem extinguere, potest et leones cicurare [6].

XVI. Quod si non credis, recogita quid acciderit Ananiæ et sociis. Cujusmodi effuderunt fontes? quot aquæ sextarii flammam ad quadraginta-novem cubitos exurgentem extinguere sufficiebant? sed ubi modicum exsuperavit flamma, ibi fluvii instar effusa fides est : illicque pro malorum remedio dicebant : « Justus es, Domine, in omnibus quæ fecisti nobis : peccavimus enim et inique egimus [7]. » Ac pœnitentia flammas dissolvit. Si diffidis posse pœnitentiam gehennæ ignem restinguere, ea quæ Ananiæ et sociis contigere te doceant. Sed dixerit aliquis acutus auditor : « Illos tunc Deus juste liberavit : » quia noluerunt idolo cultum deferre, dedit illis Deus vim et potestatem. Quoniam vero ita fuit, venio deinceps ad aliud exemplum pœnitentiæ.

XVII. Quam de Nabuchodonosore sententiam habes? nonne audivisti ex Scripturis quod sanguinarius erat, ferus homo, et leoninam mentem habens? non audivisti illum ossa regum ex sepulcris sub æthere abjecisse [8]? populum captivum abduxisse? regis oculos prius jugulatorum filio-

[1] Isaï. XXXVIII, 8. — [2] Eccli. XLVIII, 23, juxta LXX, et 26 juxta Vulgatam. — [3] Isaï. XXX, 15. — [4] Matth. VI, 6. — [5] Dan. III, 51 et 50. — [6] Id. VI, 10 et 22. — [7] Id. III, 27 et 29. — [8] Jer. VIII, 1, et Baruch, II, 24, 25.

rum spectaculo pastos excæcasse [1]? Cherubim illum contrivisse? non illa dico Cherubim, quæ sola mente conspiciuntur; absit, ne id tibi, o homo, in mentem veniat : sed illa Cherubim sculpta [2]; sed propitiatorium, cujus e medio vocem edebat Deus [3]. Velum sanctificationis conculcavit. Thuribulum sumens ad idolorum delubrum transtulit [4] : omnia quæ offerebantur deturbavit : templum a fundamentis exussit. Quantas ille commeruerat pœnas, propter reges interemptos, ob sancta succensa : quod populum in servitutem abegisset, quod vasa sacra in idolorum templis collocavisset? numquid non mortes mille pati dignus erat?

XVIII. Vidisti scelerum magnitudinem : convertere deinde ad Dei clementiam. Fera effectus est : in solitudine degebat, flagellabatur ut salvus fieret. Habebat ungues ut leo; raptor enim sanctorum fuerat. Crines leonum habebat; leo enim erat rapiens et rugiens [5]. « Fœnum ut bos come» debat [6]; » jumentum enim fuit [7], ignorans eum cui regnum debebat. « Rore infectum est corpus ejus [8]; » cum enim extinctum a rore vidisset ignem, non credidit [6]. Et quid factum est? « Postea, inquit, ego Nabuchodonosor » oculos meos in cœlum levavi, et Altissimo benedixi, et » viventem in sæcula laudavi et glorificavi [10]. » Quando igitur agnovit Altissimum, et grati animi testes ad Deum emisit voces, ad gestorum suorum pœnitentiam venit, propriamque imbecillitatem agnovit, tunc illi Deus honorem regni restituit.

XIX. Quid igitur? Nabuchodonosori, qui tanta perpetraverat, confitenti Deus veniam et regnum dedit : tibi vero pœnitenti peccatorum dimissionem, et cœleste regnum, si

[1] 4 Reg. xxv, 7. — [2] Exod. xxv, 17 et 18. — [3] Num. viii, 89, et Exod. xxv, 22. — [4] Dan. i, 2. — [5] Psal. xxi, 14. — [6] Dan. iv, 31. [7] Psal. lxxii, 22, 23. — [8] Dan. iv, 30. — [9] Id. iii, 50. — [10] Id. v, 32.

te digne gesseris, non concedet? Benignus est Dominus et ad condonandum promptus, tardus autem ad ulciscendum. Nemo igitur suam ipsius salutem desperet. Petrus Apostolorum summus et princeps, coram vili ancillula ter Dominum negavit; sed pœnitudine tactus flevit amare [1]: qui fletus intimam et ex corde pœnitentiam declarat. Atque idcirco non solum negationis hujus veniam accepit, verumetiam apostolicam dignitatem conservatam retinuit.

XX. Habentes igitur, fratres, multa peccantium, qui pœnitentiam egere et salutem consecuti sunt, exempla, alacriter et ipsi confitemini Domino, ut et præcedentium peccatorum veniam accipiatis, et cœlesti dono digni effecti, cœlorum regnum hæreditate consequamini cum omnibus sanctis, in Christo Jesu, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. XXVI, 69 et 75.

CATECHESIS III.

ILLUMINANDORUM,

Hierosolymis ex tempore pronuntiata, de Baptismo. *Lectio ex Epistola ad Romanos :* An ignoratis, quod quicumque in Christum Jesum baptizati sumus, in mortem ejus baptizati sumus? Consepulti ergo sumus ipsi per baptismum in mortem [1], *et quæ sequuntur.*

ARGUMENTUM.

I. *Præparentur baptizandi ad spiritales nuptias.* II. *Sponsus omnes sine discrimine vocat, sed cum delectu suscipit.* III. *Baptismi celebratio res magna. — Angeli assistunt frequentes. — Spiritus sanctus animas obsignat. — Quæ offeruntur dæmonibus eorum invocatione impura efficiuntur. — Aqua baptismatis per invocationem Trinitatis sanctitatem acquirit.* IV. *homo duplex — Baptismi vis ex aqua et Spiritus sancti gratia constat. — Harum ambarum rerum necessitas. — Qui bonis operibus instructus baptismum aquæ non suscipit, regnum cœlorum ingredi non potest.* V. *Cur per aquam baptisma? — Cœli sunt ex aquis, terra indidem. — Symbola baptismi.* VI. *Baptismus Veteris Testamenti finis, et initium Novi. — Joannes baptismi primus auctor. — Joannes omnibus veteribus major. — Joannes asceticæ vitæ exemplar.* VII. *Hierosolymis omnium bonorum prærogativæ. — Joannis baptisma liberabat ab igne æterno. — Ser-*

[1] Rom. VI, 3, 4.

pens senectutem deponit. VIII. *Qui sint pœnitentiæ fructus. — Peccatum ex ignorantia commissum condonatur.* IX. *Filius Dei unigenitus baptismum suo exemplo commendabilem facit. — Christus baptizavit Apostolos Spiritu sancto et igni, die Pentecostis.* X. *Soli Martyres sine baptismo aquæ regnum consequuntur. — Aqua et sanguis ex Christi latere profluentes duplicis baptismi figuræ.* XI. *Christus est baptizatus, ut baptizandis gratiam impertiret.* XII. *Invocatio gratiæ animam demersi in aquis obsignat.* XIII. *Baptismus vim decertandi adversus dæmones confert.* XIV. *Christus ante susceptum baptisma, suo nos exemplo informans, non prædicavit. — Spiritus sanctus specie corporea in Jesum delapsus in gratiam Joannis. — Christus non factus Filius Dei, sed est : homo non est, sed fit per adoptionem.* XV. *Præparatio diligens ad baptismum necessaria. — Baptismus omnia prorsus peccata delet, etiam interempti Christi facinus.* XVI. *Conclusio exhortans ad fiduciam. — Duplex gratia in baptismo ex aqua et Spiritu, ex Veteri et Novo Testamento.*

I. « Lætamini cœli [1] et exultet terra [2], » propter eos, qui aspergendi sunt hyssopo [3], et mundandi hyssopo intellectuali, virtute illius qui, tempore passionis, hyssopi et arundinis opera potatus est [4]. Ac cœlestes quidem virtutes gaudeant : animæ vero, quæ intelligibili sponso copulandæ sunt, se præparent. « Vox enim clamantis in deserto : Pa» rate viam Domini [5]. » Res enim non parva agitur, non corporum sueta ac temeraria conjunctio ; sed Spiritus omnia perscrutantis secundum fidem [cujusque] facta

[1] Vide D. Guillon, tom. VIII, pag. 367-372. — [2] Isaï. XLIX, 13. — [3] Psal. L, 9. — [4] Joan. XIX, 29, et Matth. XXVII, 48. — [5] Isaï. XL, 3.

delectio [1]. Nam mundana connubia et conventiones non omnino cum judicio fiunt; sed ubi vel divitiæ, vel formæ præstantia reperitur, illuc ocyus sponsus inclinat : hic contra, non ubi corporum pulchritudo, sed ubi animæ reprehensionis expers conscientia est; hic non damnatus Mammonas, sed animæ opes ex pietate comparatæ expetuntur.

II. Morem itaque gerite, o justitiæ filii, Joanni adhortanti et dicenti : « Dirigite viam Domini [2]. » Auferte omnia impedimenta et offendicula, ut ad vitam æternam recta pergatis. Pura per sinceram fidem animæ vasa ad susceptionem sancti Spiritus præparate. Incipite vestimenta vestra per pœnitentiam abluere, ut ad sponsi thalamum vocati, mundi reperiamini. Sponsus enim [evangelicus] omnes sine discrimine vocat [3], quoniam liberalis et larga est gratia; et alta præconum voce omnes colliguntur : ipse vero deinceps discernit eos, qui in nuptias [illas baptismi] figuratrices ingrediuntur. Ne contingat nunc quemquam eorum, qui nomina dederunt illud audire : « Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem » nuptialem [4]? » Utinam vero liceat vobis omnibus audire : « Bene, serve bone et fidelis; super pauca fuisti fidelis, » super multa te constituam, intra in gaudium domini » tui [5]. » Hactenus enim extra portam stetisti : contingat vero ut omnes vos dicere possitis : « Intulit me rex in » promptuarium suum [6]. Exultet anima mea in Domino : » induit enim me vestimento salutis et tunica lætitiæ. Quasi » sponso circumposuit mihi mitram, et tanquam sponsam » ornavit me mundo [7]. » Ut inveniatur omnium vestrum anima, non habens maculam, aut rugam, aut aliquid hu-

[1] 1 Cor. II, 10.— [2] Joan. I, 23.— [3] Matth. XXII, 9, 10.— [4] Ibid. 12. — [5] Id. XXV, 21. — [6] Cant. I, 3, juxta Vulgatam et 4 in græco. — [7] Isaï. LXI, 10.

jusmodi [1]. Non dico : « Antequam gratiam consequamini; » (quomodo enim, qui ad remissionem peccatorum vocati estis?) sed ut, cum gratia dabitur, conscientia nihil damnationis gerens, [ad effectum] gratiæ concurrat.

III. Magna profecto res est, fratres, et singulari cautione ad illam accedite. Sistetur unusquisque vestrum coram Deo, multis angelicorum exercitibus myriadibus præsentibus Spiritus sanctus animas vestras obsignaturus est : deligendi estis in militiam magno Regi. Itaque parate vos et instructi estote; non candidissimos induentes vestimentorum ambitus, sed animæ sibi bene consciæ pietatem. Ne huic lavacro tanquam nudæ et simplici aquæ attende, sed ad gratiam sancti Spiritus, quæ una cum aqua datur, specta. Nam ut ea quæ in aris (Gentilium) offeruntur, cum natura sua nuda et simplicia sint, invocatione idolorum contaminata efficiuntur; sic contra aqua simplex Spiritus sancti, et Christi, et Patris invocationem percipiens, vim sanctitatis acquirit.

IV. Cum enim homo duplex sit, ex anima et corpore compositus, duplex quoque purgatio datur; incorporea quidem parti incorporeæ, corporea vero corpori. Nam uti corpus aqua mundat, ita animam obsignat Spiritus; ut aspersi cor per Spiritum [2], et abluti corpus aqua munda accedamus ad Deum. Qui itaque in aquam descensurus est, ne ad elementi vilitatem attende, sed Spiritus sancti efficacia salutem suscipe : nam sine ambobus perfectionem consequi non potes. Non ego sum qui hæc dico, sed Dominus Jesus Christus qui hujus rei potestatem habet. Dicit enim : « Nisi quis natus fuerit denuo [3]; » et addit : « Ex » aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei [4]. » Neque, si quis aqua baptizetur, Spiritum vero non accipiat, gratiam perfectam habet : neque, si quis etiam vir-

[1] Ephes. v, 27. — [2] Hebr. x, 22. — [3] Joan. iii, 3. — [4] Ibid. 5.

tutum operibus instructus, signaculum per aquam non recipiat, ille cœlorum regnum ingressurus est. Audax videatur hæc oratio, sed non mea : Jesus est qui hanc sententiam tulit. Cujus rei ex divina Scriptura accipe demonstrationem. Cornelius erat vir justus, Angelorum visione dignus habitus [1], qui suas preces et eleemosynas apud Deum in cœlis præclaræ instar columnæ erexerat. Ad eum venit Petrus; ac Spiritus infusus est credentibus [2], locutique sunt linguis aliis, et prophetaverunt [3], et tamen post hanc Spiritus gratiam Scriptura dicit : « Jussit eos Petrus in no» mine Jesu Christi baptizari [4] : » ut cum anima jam per fidem regenerata foret, corpus quoque per aquam susciperet gratiam.

V. Quod si quis scire avet, quamobrem per aquam, non autem per aliud elementum gratia datur, divinas Scripturas revolvens inveniet. Magnum quiddam est aqua, et ex quatuor conspicuis mundi elementis pucherrimum. Angelorum habitatio cœlum est; atqui ex aquis sunt cœli. Terra hominum sedes est, atqui ex aquis etiam terra. Et ante omnem creatarum rerum formationem sex diebus elaboratam, « Spiritus Dei ferebatur super aquam [5]. » Principium mundi, aqua; principium Evangeliorum, Jordanis. Libertas a Pharaone Israëli per mare contigit; et libertas a peccatis, mundo per lavacrum aquæ in verbo Dei procuratur [6]. Ubicumque fœdus cum aliquibus intercedit, ibi aqua. Fœdus cum Noë sancitum est [7], post diluvium. Fœdus cum Israël ex monte Sina initum est; verum cum aqua et lana coccinea, et hyssopo [8]. Elias assumitur, sed non sine aqua : prius enim trajicit Jordanem, deinde cœlum curru ab equis subvectus permeat [9]. Prius summus

[1] Act. x, 3 et 4. — [2] Ibid. 44. — [3] Id. xix, 6. — [4] Id. x, 48.— [5] Gen. I, 2. — [6] Ephes. v, 26. — [7] Gen. IX, 9. — [8] Hebr. IX, 19. — [9] 4 Reg. II, 8 et 11.

sacerdos abluitur, deinde suffitum adolet. Prius enim lotus est Aaron, postea sumus sacerdos effectus est [1]. Quemadmodum enim pro aliis oraret, qui nondum per aquam purgatus fuisset? Symbolum etiam baptismi erat labrum intra tabernaculum positum [2].

VI. Veteris Testamenti finis et initium Novi, baptismus. Hujus enim primus auctor Joannes, quo major inter natos mulierum nullus [3]. Qui Prophetarum quidem finis fuit : « Omnes enim Prophetæ et lex usque ad Joannem [4]. » Evangelicarum vero rerum idem principium extitit. « Ini» tium enim, inquit, Evangelii Jesu Christi [5], et quæ sequuntur. « Fuit Joannes in deserto baptizans [6]. Etiamsi Eliam Thesbitem dixeris, eum, qui in cœlum assumptus est : neque ille Joanne major. Translatus est Enoch ; sed non est major Joanne. Moses maximus est legislator, et omnes Prophetæ admirabiles : sed non majores Joanne. Non ego Prophetas cum Prophetis contendere audeo. Sed ipse cum illorum tum nostri herus Dominus Jesus pronuntiavit : « Major inter natos mulierum Joanne non surrexit [7] : » non inter natos virginum, sed, « Mulierum. » Magni servi ad conservos comparatio : Filii vero ad servos incomparabilis ex exuperantia et gratia. Vides quantum hominem hujus gratiæ ducem elegit Deus? nihil omnino possidentem, et sollicitudinis amantem, sed non humanæ consuetudinis osorem ; locustas edentem, animamque pennis instruentem [8]; melle famem explentem, et dulciora melle utilioraque loquentem ; veste ex pilis cameli indutum ; et asceticæ vitæ in se ipso monstrantem exemplar ; qui etiam in utero matris cum gestaretur, a Spiritu sancto sanctifificatus est [9]. Sanctificatus est eodem modo Hieremias [10],

[1] Exod. xxix, 4, et Levit. viii, 6. — [2] Id. xl, 6, 7 et 28. — [3] Matth. xi, 11. — [4] Ibid. 13. — [5] Marc. i, 1. — [6] Id. v, 4. — [7] Matth. xi, 11. — [8] Isa. xl, 31. — [9] Luc. i, 15. — [10] Jer. i, 5.

sed non prophetavit in utero. Solus Joannes, in utero conclusus exilivit in gaudio [1] : et cum corporeis oculis non videret, dominum suum agnovit spiritu. Quandoquidem enim magna erat baptismi gratia, magno etiam illa auctore indigebat.

VII. Hic baptizabat in Jordane, et exibat ad eum omnis Jerosolyma baptismorum fruens primitiis [3] : omnium enim bonorum prærogativa in Jerosolymis. Cognoscite autem, o vos Jerosolymitæ, quemadmodum illi, qui exibant, baptizabantur ab ipso : « Confitentes, inquit, peccata sua ·.» Primum ostendebant vulnera, deinde ille medicamenta apponebat, et ab igne æterno redemptionem credentibus conferebat. Si illud tibi probari velis, quod Joannis baptisma ab incendii minis liberabat, audi ipsum dicentem : « Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a » ventura ira [4] ? » Ne sis igitur amplius vipera; sed qui viperæ progenies aliquando fuisti, exue, inquit, prioris illius peccatricis vitæ substantiam [ac informationem.] Quilibet enim serpens in angustias subiens senectutem deponit; ac vetustatem vi compressionis expolians, novo deinceps corpore juvenescit. Sic et tu, inquit, intra per angustam et compressam portam [5] : te ipsum per jejunium comprimens vim facito perditioni tuæ [6]. Exue veterem hominem cum actionibus suis [7], et illud Canticorum dicito : « Expoliavi me » tunica mea, quomodo induar illa [8]? » Sed est fortassis aliquis inter vos simulator, et hominum gratiam aucupans, qui pietatem quidem simulet, ex corde vero non credat, Simonis magi hypocrisim imitatus; accedensque non uti gratiæ particeps fiat; sed uti id quod datur exploret. Audiat et iste a Joanne : « Jam securis ad radicem arborum

[1] Luc. i, 44. — [2] Matth. iii, 5, et Marc. i, 5. — [3] Matth. iii, 6. — [4] Ibid. 7. — [5] Id. vii, 13, 14. — [6] Prov. xvi, 26. — [7] Coloss. iii, 9. — [8] Cant. v, 3.

» posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bo-» num, exciditur et in ignem mittitur [1]. » Inexorabilis est judex, aufer simulationem.

VIII. Quid igitur facto opus? et quinam sunt pœnitentiæ fructus? « Qui habet duas tunicas, det non habenti [2] : » (fide dignus erat doctor ille, quandoquidem id quod docebat primus exequebatur. Nullus eum a dicendo revocabat pudor; neque enim linguam prohibens conscientia retinebat) « Et qui habet escas, similiter faciat [3]. » Spiritus sancti gratia frui cupis, et sensibilibus cibis pauperes non dignaris? magna quæris, et parva non communicas? etiamsi publicanus, etiamsi fornicator eras, salutem sperato. « Publi-» cani et meretrices præcedunt vos in regnum Dei [4]. » Cujus etiam rei testis est Paulus dicens : « Neque fornicarii, neque » idolis servientes, neque alii qui sequuntur, regnum » Dei possidebunt. Et hæc quidam fuistis; sed abluti estis, » sed sanctificati estis [5]. » Non dixit : « Quidam estis, » sed, « Hæc quidam fuistis. » Quod in ignorantia commissum est peccatum, veniam habet, sed perseverans malitia condemnatur.

IX. Habes gloriationem baptismi ipsum Filium Dei unigenitum. Quid enim amplius de homine verba faciam? Magnus Joannes, sed quid is ad Dominum? Vox quidem est altisona; sed quid ad Verbum? Præclarissimus est præco [6], sed quid ad regem? Bonus ille qui in aqua baptizat; sed quid ad illum qui baptizat in Spiritu sancto et igne [7]? Spiritu sancto et igne Apostolos baptizavit Salvator, quando « Factus est repente de cœlo sonus tanquam ruen-» tis flatus vehementis; et replevit totam domum ubi erant » sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam

[1] Matth. III, 10. — [2] Luc. III, 11. — [3] Ibid. — [4] Matth. XXI, 31. — [5] I Cor. VI, 9, 10, 11. — [6] Joan. I, 23. — [7] Matth. III, 11.

» ex igne; et sedit supra unumquemque eorum, et repleti » sunt omnes Spiritu sancto [1]. »

X. Si quis baptisma non recipiat, salutem non habet, solis martyribus exceptis, qui etiam sine aqua regnum recipiunt. Qui enim orbem per crucem redemit Salvator, latus transfixus sanguinem et aquam emisit [2] : ut alii quidem pacis tempore per aquam, alii vero persecutionum temporibus propriis sanguinibus baptizarentur. Nam et martyrium baptismi nomine significare suevit Servator aiens : « Potestis bibere calicem quem ego bibo, et baptismo quo » ego baptizor baptizari [3]? » Ac martyres quidem confitentur, spectaculum facti mundo et Angelis et hominibus [4] : tu vero paulo post confitebere. Sed nondum tempus ut de his audias.

XI. Sanctificavit baptismum Jesus, quando ipse baptizatus est. Si Filius Dei est baptizatus, ecquis baptismum poterit salva pietate contemnere? Baptizatus est autem, non ut peccatorum remissionem perciperet; (peccati enim expers erat) verum, tametsi a peccato liber, baptizatus est nihilominus, ut divinam gratiam et dignitatem iis, qui baptizantur, impertiret. Sicut enim, quia pueri communicaverunt sanguini et carni [5], et ipse similiter participavit eisdem; ut corporalis ejus præsentiæ participes facti, divinam quoque ejus gratiam participaremus : sic baptizatus est Jesus, ut per illud nos deinceps ejusdem rei communitate, una cum salute honorem consequeremur. Draco, juxta Jobum, in aquis erat qui Jordanem ore suo recipiebat [6]. Cum igitur confringenda forent capita draconis [7], descendens in aquas alligavit fortem [8], ut acciperemus potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones [9]. Minime

[1] Act. II, 2, 3. — [2] Joan. XIX, 34. — [3] Marc. X, 38. — [4] 1 Cor. IV, 9. — [5] Hebr. II, 14. — [6] Job. XL, 18, 19. — [7] Psal. LXXIII, 14. — [8] Matth. XII, 29. — [9] Luc. X, 19.

parva erat bellua, sed horrenda. « Omnis navis piscatoria » corium unum caudæ illius ferre non potuit [1]. Currebat » ante illum perditio [2], » contagione inficiens occurrentes. Accurrit vita ut mors frenaretur, et omnes salutem consecuti dicere possemus : « Ubi est mors stimulus tuus? ubi est » inferne victoria tua [3] ? » Per baptismum enim solvitur mortis stimulus.

XII. Descendis quidem in aquam ferens peccata; sed gratiæ invocatio animam obsignans, non te permittit ab immani sorberi dracone. Qui mortuus in peccatis descendisti, ascendis vivificatus in justitia. Si enim complantatus fueris similitudini mortis Salvatoris, simul et resurrectione dignus habeberis [4]. Quemadmodum enim Jesus totius mundi peccata suscipiens mortuus est [5], ut interempto peccato te in justitia resuscitaret : ita et tu descendens in aquam, et quodammodo sepultus in aquis, ut ille in petra fuit : « In novitate vitæ ambulans [6] » resuscitaris.

XIII. Deinde quando ea gratia te dignatus fuerit Deus, tunc tibi adversus contrarias potestates decertandi potestatem conferet. Sicut enim ille post baptismum per quadraginta tentabatur dies; non quod et antea vincere non posset, sed quod ordine suo et serie cuncta volebat efficere : ita et tu ante baptismum cum adversariis congredi verebaris; accepta vero gratia, deinceps armis justitiæ [7] confisus decertato tunc, et si vis etiam Evangelium prædica.

XIV. Jesus Christus Dei filius erat : attamen ante baptisma susceptum Evangelium non prædicabat. Si ipse dominus ex ordine tempus administrabat, numquid nos servi audere aliquid præter ordinem debemus? Ab eo tempore cœpit Jesus prædicare [8], cum descendit super illum Spiri-

[1] Job. XL, 26. — [2] Id. XLI, 13. — [3] 1 Cor. XV, 55. — [4] Rom. VI, 2. — [5] 1 Petr. II, 24. — [6] Rom. VI, 4. — [7] 2 Cor. VI, 7. — [8] Matth. IV, 17.

tus sanctus corporali specie[1], sicut columba. Non ut Jesus illum videret primus : (noverat enim et antequam corporea specie adventaret) sed ut Joannes Baptista illum conspiceret. « Ego enim, inquit, non noveram illum ; sed qui » misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit : Super quem » videris Spiritum descendentem et manentem super eum, » ille est[2]. » Si et tu sinceram habueris pietatem, in te quoque descendet Spiritus sanctus, et paterna vox tibi desuper audietur : non : « Hic est filius meus[3] ; » sed, « Hic nunc factus est filius meus. » De illo solo dictum : « Est : » quandoquidem « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud » Deum, et Deus erat Verbum[4] : » illi [inquam] convenit vox : « Est, » cum sit semper filius Dei. Tibi vero competit : « Nunc factus est ; » quoniam ut filius sis, non per naturam habes, sed per adoptionem filii appellationem consequeris. Ille sempiterno est : tu vero ex profectu gratiam acquiris.

XV. Præpara itaque vas animæ tuæ, ut filius efficiaris Dei, et hæres quidem Dei, cohæres autem Christi[5] ; siquidem te ita præparaveris ut consequare : si ex fide accesseris, ut firmam accipias fidei convictionem : si ex voluntario delectu veterem hominem deposueris. Omnia enim quæcumque perpetraveris condonabuntur, sive fornicatio, sive adulterium, sive quodcumque aliud ejusdem modi licentiæ atque peccati genus. Quod majus nefas, quam Christum crucifixisse ? Atqui hujus etiam expiatio baptismus est. Accedentibus enim illis ter mille, qui Dominum cruci affixerant, loquebatur Petrus ; et sciscitantibus : « Quid faciemus viri fratres[6] ? » Admonuisti nos, Petre, ruinæ nostræ cum diceres : « Auctorem vitæ interfecistis[7]. » Quod emplastrum dabitur ulceri ? Quæ tantis sordibus expurgatio ? quæ in tanto interitu salus ? respondit ille : « Pœ-

[1] Luc. III, 22. — [2] Joan. I, 33. — [3] Matth. III, 17. — [4] Joan. I, 1. — [5] Rom. VIII, 17. — [6] Act. II, 37. — [7] Id. III, 15.

» nitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in » nomine Jesu Christi domini nostri in remissionem pecca» torum, et accipietis donum Spiritus sancti [1]. » O inenarrabilem Dei clementiam! Salutem nullam sperant, et Spiritus sancti dono dignantur. Cernis baptismi virtutem. Si quis vestrum blasphemis verbis Christum crucifixit; si quis per ignorantiam coram hominibus negavit; si quis per malefacta sua effecit, ut dogma Christi male audiret; agendo pœnitentiam plenus sit spei bonæ : adest enim et nunc eadem gratia.

XVI. « Confide Jerusalem : auferet Dominus omnes ini» quitates tuas [2]. Abluet Dominus sordes filiorum et filia» rum suarum, in spiritu judicii et spiritu combustionis [3]. » Sparget super vos aquam mundam, et mundabimini ab » omni peccato vestro [4]. » Choreas ducent circum vos Angeli, et dicent : « Quæ est ista quæ ascendit dealbata, et » innixa super fratruelem suum [5]. » Quæ antea serva erat anima, nunc Dominum ipsum fratruelem ascribit. Qui sinceram animi inductionem acceptam habens acclamabit : « Ecce pulchra es propinqua mea, ecce pulchra es. Dentes » tui sicut greges tonsarum [6], » propter confessionem ex conscientia bona profectam. Et consequenter : « Omnes » gemellis fœtibus [7]; » propter duplicem gratiam : eam dico quæ ex aqua et Spiritu perficitur, vel quæ per Vetus et Vovum Testamentum prædicatur. Faxit Deus, ut vos omnes cursum jejunii perficientes, eorum quæ dicuntur probe memores, in bonis operibus fructificantes [8], irreprehensibili corde intelligibili sponso astantes, remissionem peccatorum consequamini a Deo, cui gloria cum Filio et Spiritu sancto, in sæcula. Amen.

[1] Act. II, 38. — [2] Sophon. III, 14, 15.— [3] Isaï. IV, 4.— [4] Ezech. XXXVI, 25.— [5] Cant. VIII, 5.— [6] Id. IV, 1, 2.— [7] Ibid.— [8] 1 Coloss. I, 10.

CATECHESIS IV.

ILLUMINANDORUM,

Hierosolymis extemporalis habita, De decem dogmatibus. *Et lectio ex Epistola ad Colossenses :* Videte ne quis vos deprædetur per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi[1], etc.

ARGUMENTUM.

I. *Diabolus incudis instar indomabilis, nec ad pœnitentiam flexibilis. — Ad cavendas malas doctrinas opus est gratia et vigilantia et perspicacitate.* II. *Cultus Dei ex sana doctrina, et piis operibus constat. — Prædatores animarum Gentiles, Judæi, hæretici.* IV. DOGMA I, DE DEO. *Deus est unus, ingenitus, etc. — Cæterarum rerum creator, filii vero solius Pater.* V. *Futurorum præscius, potentissimus, et a nullo dependens. Immutabilis.* VI. *Errores hominum de Deo. Quam multis et profanis rebus Dei nomen attributum sit.* DOGMA II, DE CHRISTO. VII *Christus Patri per omnia similis. — Ab æterno genitus, et a dextris Patris sedens. — Perfectus in Deitate.* VIII. *Filio-paternitas. — Filius Verbum est, non prolatitium et substantia destitutum, sed ipsum loquens.* DOGMA III, DE GENERATIONE EX VIRGINE. IX. *Vera carnis susceptio. — Christus duplex : homo et Deus. — Nostræ affectiones in Christo.* DOGMA IV, DE CRUCE. X. *In monte Golgotha con-*

[1] Coloss. II, 8.

gregati erant. — Crucis lignum toto orbe distributum. De sepultura. XI. *Christus ad inferna descendit, justos liberaturus.* Dogma v, de resurrectione. XII. *Christus vere resurrexit.* De assumptione. XIII. *Christus toto orbe adoratur. — Ejus invocatione dæmones aufugiunt tremebundi.* XIV. *Signum crucis in fronte, in omni negotio informandum.* Dogma vi, de futuro judicio. XV. *Christus de cœlo venturus est. — Regnum Christi sine fine.* Dogma vii, de Spiritu sancto. XVI. *Unus est Spiritus sanctus, quamvis multa operetur. — Sanctitate Spiritus sancti indigent omnes ratione præditæ creaturæ.* XVII. *De divinis rebus nihil prorsus absque Scripturarum testimoniis tradendum.* Dogma viii, de anima. XVIII. *De hominis fabricatione.—Anima liberi arbitrii est ad imaginem Dei; immortalis. — Animal est præditum ratione. — Astrologi cæli.* XIX. *Anima, prius quam huc adventaret, nihil peccavit.* XX. *Animæ omnes ejusdem naturæ.* XXI. *Diabolus suggerit quidem, sed cogere non potest. — Ubi necessitas, ibi nec pœnæ, nec coronæ locus.* Dogma ix, de corpore. XXII. *Corpus non est a Dei alienum. — Nihil est in humano corpore criminandum.* XXIII. *Corpus non est peccandi causa. — Animæ instrumentum et indumentum est.* XXIV. *Monachorum et virginum ordo.* XXV. *Ne cælibes adversus conjugatos efferantur. — Status nuptiarum inferior, sed honore dignus. — Continentiæ tempora in conjugatis.* XXVI. *Secundæ nuptiæ propter infirmitatem concessæ.* De cibis. XXVII. *In jejuniis, vini et carnium abstinentia. — Vini licitus, dummodo moderatus usus. — Vini et carnium abstinentia, non tanquam a malis rebus, sed exercitationis et majoris meriti gratia.* XXVIII. *Immolatis abstinendum. — Sanguine quoque et suffocato.* De vestitu. XXIX. *Vestitus ad tegendum corpus, non ad luxuriam.* Dogma x, de resurrectione.

XXX. *Cum isto corpore judicandi resurgemus.* — *Exempla resurrectionis in natura.* — *In Scripturis.* XXXI. *Communis omnibus resurrectio, sed dispar corporum conditio.* De lavacro. XXXII. *Sigillum divini Spiritus consecuti, vitæ æternæ hæredes efficimur.* Dogma xi, de divinis Scripturis. XXIII. *Unus est Deus Veteris et Novi Testamenti Scripturarum auctor.* — *Ab Ecclesia discendi Scripturæ libri.* — *Veteris Testamenti libri* XXII *a* LXXII *senioribus in græcum conversi.* XXXIV. *Ptolemæus Philadelphus* LXX *Seniores ad vertendam hebraïcam Scripturam vocat.* — LXX *Interpretes singulis domiciliis inclusi.* — LXX *Interpretes, Spiritu sancto inspirante, scripserunt.* XXXV. *Soli libri legendi, qui ab Apostolis et veteribus episcopis accepti, certa fiducia in Ecclesia leguntur.* — *Catalogus librorum Veteris Testamenti.* XXXVI. *Catalogus librorum Novi Testamenti.* XXXVII. *Exhortatio multiplex,* — *Paganicæ superstitiones evitandæ.* — *Item samariticæ et judaïcæ, præsertimque hæreticorum conventicula.*

I. Virtutem imitatur vitium[1], et lolium pro tritico haberi contendit; quod specie quidem tritico simile est, ex gustu vero a discernendi peritis deprehenditur. Diabolus quoque transformatur in Angelum lucis[2]: non ut eo revertatur ubi fuit; (nam incudis instar inflexibile cor gerens[3], pœnitere nesciam in posterum habet animi inductionem;) sed ut eos, qui parem Angelis vitam degunt, cæcitatis caligine, et pestilenti incredulitatis statu circumvolvat. Multi obambulant lupi vestimentis ovium contecti. qui ovium quidem integumenta, haud tamen ungues et

[1] Vide D. Guillon, tom. viii, pag. 373-381. — [2] 2 Cor. xi, 14. — [3] Job. xli, 15.

dentes habent: sed mansuetam pellem induti [1], eaque specie simplicibus fucum facientes, exitiale impietatis virus ex dentibus affundunt. Opus igitur nobis est divina gratia, vigili cogitatione et acutum videntibus oculis; ne lolium pro tritico comedentes, ex ignorantia vitium incurramus: neve rati ovem esse qui lupus sit, præda fiamus: neve beneficum Angelum suspicati, eum qui ruinæ artifex est diabolus, devoremur. « Circuit enim tanquam leo rugiens, » quærens quem devoret [2]. » ut ait Scriptura. Idcirco admonet Ecclesia; idcirco præsens auditorium instituitur: idcirco lectiones fiunt.

II. Nam ratio divini cultus ex his duobus constat, piis dogmatibus, et actionibus bonis, neque doctrina sine operibus bonis accepta Deo; neque opera recipit Deus a religiosis dogmatibus sejuncta. Quid enim prodest de Deo sentire recte, et turpiter fornicari? quæ vero contra utilitas pudicum esse laudabiliter, et impie blasphema profari? Pretiosa igitur possessio dogmatum notitia est: cui rei vigilanti mente opus est, quandoquidem multi sunt qui per philosophiam et vanam fallaciam prædas agunt [3]. Ac gentiles quidem per suaviloquentiam in diversa trahunt: « Mel » enim distillat ex labiis mulieris meretricis [4]. » Qui vero ex circumcisione sunt [5], per divinas Scripturas, quas prave falsis interpretamentis torquent, accedentes decipiunt; a pueritia usque ad senectutem commentantes, et in ignoratione rerum consenescentes [6]. Hæretici vero, per blandiloquentiam et dicendi suavitatem simplicium corda decipiunt [7], Christi nomine quasi melle, venenata impiorum decretorum jacula contegentes. De quibus omnibus simul ait Dominus: « Videte ne quis vos in errorem inducat [8]. »

[1] Matth. VII, 15. — [2] 1 Petr. V, 8. — [3] Coloss. II, 8. — [4] Prov. V, 3.— [5] Tit. I, 10. — [6] Isaï. XLVI, 3, 4, et 2 Tim. III, 7.— [7] Rom. XVI, 18. — [8] Matth. XXIV, 4.

Propter hoc et Fidei doctrina traditur [1], et in eam expositiones fiunt.

III. Sed antequam ea, quæ ad Fidem pertinent tradam, præclare acturus videor, si brevi compendio summa necessariorum dogmatum nunc capita percenseam : ne dicendarum rerum multitudo, et intercessurum totius sanctæ Quadragesimæ dierum spatium, eorum animis qui inter vos simpliciores sunt oblivionem inducat : sed ut nunc capitulatim seminantes, eadem latius in posterum exculta ac pertractata non obliviscamur. Patienter vero ferant, qui habitu mentis perfectiores sunt [2], et exercitatos jam sensus habent ad discretionem boni pariter et mali, cum audient tenera illa exordia, et lacteam velut introductionem [3] : ut simul et ii, quibus catechesi (seu institutione) opus est, utilitatem capiant; et qui scientiam habent, eorum quæ jam novere memoriam sibi redintegrari gaudeant.

DOGMA I.

DE DEO.

IV. Primum igitur fundamenti instar in anima vestra dogma de Deo stabiliatur. Quod videlicet Deus unus est solus, ingenitus, sine principio, conversionis omnis ac mutationis expers; non ab altero generatus, neque alterum habens suæ sibi vitæ successorem; qui neque in tempore vivendi sumpserit initium, neque finem unquam sit habiturus. Quodque idem ipse et bonus et justus est; ut si quando hæreticum audieris dicentem, alium esse qui bonus, alium vero qui justus sit [4]; statim admonitus hæreseos

[1] Hoc est, Symbolum. — [2] Hebr. v, 14. — [3] Ibid. 13. — [4] Marcionis error is erat.

venenatum jaculum agnoscas. Ausi sunt enim nonnulli Deum unicum nefario sermone dividere; et aliqui dixerunt alium esse animæ opificem ac dominum, corporum vero alium, insipienter simul et impie docentes : « Quomodo enim dominorum duorum unus homo servus esset, cum Dominus dicat in Evangeliis : « Nemo potest duobus dominis ser» vire [1] ? » Unus igitur est Deus solus, qui et animarum et corporum opifex est. Unus est conditor cœli et terræ, Angelorum et Archangelorum factor; qui multarum quidem rerum artifex est, unius vero solius pater ante sæcula; unius, inquam, solius unigeniti Filii sui Domini nostri Jesu Christi, per quem omnia fecit [2], visibilia et invisibilia [3].

V. Hic Domini nostri Jesu Christi pater, non aliquo circumscriptus est loco, neque minor est cœlo. Verum opera digitorum ejus sunt [5]; et universa terra in pugno ejus continetur [5]. Hic in omnibus est et extra omnia. Ne solem illo lucidiorem, vel eidem parem arbitrere. Qui enim prius solem fabricavit, debet ille citra comparationem multo major ac lucidior esse. Futurorum præscius est, et omnibus potentior; omnia sciens, et prout vult faciens; non subjectus rerum seriebus, neque genesi, [sideribusve natalitiis] neque fortunæ, neque fatali necessitati. In omnibus perfectus, et omnem virtutis speciem ex æquo possidens. Qui neque minuitur, neque augescit; sed idem semper, eodemque modo se habet; qui præparavit supplicium peccatoribus, et justis coronam.

VI. Quoniam igitur ab uno Deo diversis modis multi aberraverunt; et alii quidem solem fecere Deum, ut noctis tempore sine Deo manerent; alii lunam, ut diei temporibus non haberent Deum; alii cæteras mundi partes; alteri artes, hi cibos, isti voluptates; aliqui vero mulierum

[1] Matth. VI, 24.— [2] Joan. I, 3.— [3] Coloss. I, 16.— [4] Psal. VIII, 4. — [5] Isaï. XL, 12.

amoribus insanientes, nudæ mulieris simulacrum in sublimi collocatum Veneris nomine nuncupantes, sub visibili specie animi sui vitium affectumque adoravere; alii ad auri fulgorem attoniti, cum ipsum, tum reliquas materias Deos fecere; si quis vero doctrinam de monarchia [seu unico principatu] Dei in corde defixerit, eique ex animo crediderit, omnem simul tam idololatriæ vitiorum, quam hæreticorum erroris cursum impetumque præciderit; hoc idcirco primum tibi pietatis dogma per fidem in animo pro fundamento constitue.

DOGMA II.

DE CHRISTO.

VII. Crede autem etiam in Filium Dei, unum et solum, Dominum nostrum Jesum Christum, Deum de Deo genitum, vitam ex vita genitum, lucem de luce genitum, similem per omnia Genitori. Qui non in temporibus ut esset accepit, sed ante omnia sæcula sempiterne et modo quodam nullis cogitationibus pervio ex Patre genitus est. Qui Dei sapientia et potestas [1], et justitia subsistens est [2]; qui in dextera Patris ante omnia sæcula sedet. Non enim, ut quidam existimarunt, post passionem quasi coronatus a Deo, pro patientiæ mercede thronum a dextris ejus recepit [3]; verum ex quo est, (est autem genitus ex omni æternitate) regiam habet dignitatem; sedens una cum Patre, Deus cum sit, et sapientia et potestas, ut dictum est; una cum Patre regnans, et omnium per Patrem conditor. Nihil porro ei ad Divinitatis dignitatem deest; eumque a quo

[1] 1 Cor. 1, 24. — [2] Ibid. 30. — [3] Hebr. II, 9.

genitus est cognoscit, sicut ipse a Genitore cognoscitur [1]. Et ut compendio dicamus, illud in Evangeliis scriptum recordare : « Nemo novit Filium, nisi Pater ; neque Patrem » quis novit, nisi Filius [2]? »

VIII. Sed neque Filium abalienes a Patre, neque facta coalitione duorum, Filio-paternitatem [seu confusionem utriusque] credas. Verum crede, quod unius Dei unigenitus est Filius, qui est ante omnia sæcula Deus Verbum. Verbum vero non prolatitium atque in aëra dissipatum ; neque sermonibus solida ac propria subsistentia destitutis simile ; sed Verbum filius, eorum qui verbo et ratione utuntur factor ; Verbum quod patrem audit, et ipsum loquitur. Ac de his quidem suo tempore, si Deus concesserit, explanatuis dicemus. Non enim propositi nostri obliviscimur, quod est summa tantum necessariæ ad fidem introductionis nunc capita percensere.

DOGMA III.

DE GENERATIONE EX VIRGINE.

IX. Crede vero quod hic unignitus Filius Dei propter peccata nostra de cœlis ad terram descendit, assumpta humanitate ista, iisdem quibus subjicimur affectibus obnoxia ; natusque est ex sancta Virgine et sancto Spiritu ; facta, non secundum opinionem ac fictam speciem sed secundum veritatem, inhumanatione [seu hominis susceptione.] Neque per Virginem uti per canalem trajectus, sed ex ea vere incarnatus, [et vere ex ea lacte nutritus] ; manducans uti nos vere, et vere uti nos bibens. Si enim humanæ naturæ assumptio phantasma [ac ludibrium oculo-

[1] Joan. x, 14. — [2] Matth. xi, 27.

rum] fuit, phantasma itidem fuerit salus. Duplex erat Christus; homo quidem, quantum ad id quod videbatur; Deus vero, quantum ad illud quod latebat. Ut homo manducans vere sicut et nos, similes enim nobis corporis affectiones habebat; sed ut Deus, hominum quinque millia ex quinque panibus nutriens [1]. Mortuus est vere ut homo, at mortuum quatriduanum ad vitam revocavit ut Deus [2]. Dormivit vere in navigio ut homo [3], et ambulavit super aquas ut Deus [4].

DOGMA IV.

DE CRUCE.

X. Hic crucifixus est pro peccatis nostris vere. Quod si negare volueris, revincet te locus ipse conspicuus, felix iste Golgotha, in quo nunc, propter eum qui ibi cruci affixus est, congregati sumus; ac crucis ligno universus jam orbis in partes secto repletus est. Crucifixus vero est non pro suis ipsius peccatis, sed ut nos a propriis liberaremur. Et despectui quidem tunc ab hominibus habitus est, et colaphis cæsus ut homo [5]; verum a creatura pro Deo agnitus est. Sol enim Dominum ignominia affectum videns, defecit tremebundus [6], neque hoc spectaculum ferre valens.

DE SEPULTURA.

XI. In monumento saxeo vere positus est sicut homo [7]; sed petræ propter ipsum præ formidine scissæ sunt. Des-

[1] Matth. XIV, 17-21. — [2] Joan. XI, 39-44. — [3] Matth. VIII, 24. — [4] Id. XIV, 25. — [5] Id. XXVI, 67. — [6] Luc. XXIII, 45. — [7] Matth. XXVII, 51.

cendit ad subterranea, ut illinc justos redimeret. Velles-ne enim, quæso te, vivos quidem gratia frui, idque cum plurimi ex his sancti non sint; eos vero, qui ab Adamo usque longinquo tempore conclusi fuerant, libertatem tandem non consequi? Hesaïas propheta tam multa de ipso excelsa voce prædicavit; non velles ut rex descendens suum præconem liberaret? Erat illic David, et Samuël, et Prophetæ omnes, ipse quoque Joannes qui per legatos suos dicebat: « Tu es qui venturus es, an alium expectamus [1]? » Non velles ut tales viros descendens liberaret.

DOGMA V.

DE RESURRECTIONE.

XII. Verum qui descenderat ad subterranea, rursus ascendit; et Jesus qui sepultus fuerat, tertio die resurrexit vere. Et si te olim vexaverint Judæi, statim illis occurre in hunc modum sciscitans; Jonas post triduum de ceto exivit [2]; et Christus post triduum de terra excitatus non est? Mortuus ossium Elisæi contactu revixit [3]; et hominum factor non multo facilius virtute Patris suscitabitur? Vere igitur resurrexit; et redivivus iterum Discipulis visus est; et testes resurrectionis ejus duodecim Discipuli [3]; qui non verbis ad gratiam compositis testificati sunt, sed ad supplicia et mortes usque pro vera resurrectione dimicavere. Nimirum « In ore duorum et trium » testium stabit omne verbum [4], » juxta Scripturam; duodecim vero de resurrectione Christi testantur, et adhuc circa resurrectionem incredulus manes?

[1] Matth. XI, 3. — [2] Jon. II, 11. — [3] 4 Reg. XIII, 21. — [4] Act. II, 32, 33. — [5] Matth. XVIII, 16, ex Deut. XIX, 15.

DE ASSUMPTIONE.

XIII. Cum vero Jesus patientiæ cursum absolvisset, et homines a peccatis redemisset, iterum in cœlos susceptus nube conscendit. Et Angeli quidem ascendenti astabant, Apostoli vero contemplabantur [1]. Si quis vero eis, quæ nobis dicuntur diffidat, eorum quæ nunc videntur vi ac potestati credat. Reges omnes dum moriuntur, una cum vita potestatem amittunt; Christus vero crucifixus, a toto orbe adoratur. Crucifixum annuntiamus, et tremunt dæmones. Multi diversis temporibus cruci affixi sunt; verum cujusnam alterius in crucem acti invocatio dæmones usquam effugavit?

XIV. Ne ergo Christi crucem erubescamus. Sed etiam si alter abscondat, tu palam in fronte obsigna, ut dæmones regium signum intuentes, procul fugiant tremebundi. Fac vero hoc signum, dum manducas et bibis, sedes, recubas, exurgis, loqueris, ambulas; verbo dicam, in omni negotio, Qui enim istic crucifixus est, sursum est in cœlis. Nam si crucifixus et sepultus, in sepulcro remansisset, erubescendum fortassis; nunc vero qui in Golgotha isto crucifixus fuit, ex Olivarum posito ad Orientem monte in cœlum ascendit [2]. A terra enim in inferos descendens, atque inde ad nos revectus, a nobis iterum in cœlum abiit; patre ei acclamante ac dicente : « Sede a dextris meis, donec » ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum [3].

[1] Act. I, 9. — [2] Zach. XIV, 4, et Luc. XXIV, 51. — [3] Psal. CIX, 1.

DOGMA VI.

DE FUTURO JUDICIO.

XV. Hic Jesus Christus qui ascendit, de cœlis iterum veniet, non de terra. Dixi autem : « Non de terra, » quia multi hoc tempore de terra venturi sunt antichristi [1]. Jam enim, ut vidisti, multi dicere cœperunt : « Ego sum Christus [2]; » et post hæc ventura est illa « Abominatio desolationis [3] » falsam sibi appellationem Christi usurpans. Tu autem mihi verum Christum, Filium Dei unigenitum, non amplius jam e terra, sed e cœlis venturum expecta; universis supra fulgur omne, et omnem splendorem luminis conspiciendum, Angelorum satellitio stipatum; ut vivos et mortuos judicet, ac regnum obtineat cœleste, sempiternum, et omni fine carens. Nam et in hoc quoque certus et cautus esto, quandoquidem multi sunt qui dicant Christi regno finem esse.

DOGMA VII.

DE SPIRITU SANCTO.

XVI. Crede et in Spiritum sanctum, deque eo idem sentito quod de Patre et Filio accepisti; non autem secundum eos qui contumeliosa de ipso docent. Tu igitur disce unum esse hunc sanctum Spiritum, indivisum, multipotentem; qui cum multa efficiat, ipse tamen non dispertitur; qui mysteria novit, et omnia scrutatur, etiam profunda

[1] I Joan. II, 18. — [2] Matth. XXIV, 5. — [3] Ibid. 15.

Dei [1]; qui super Dominum Jesum Christum in columbæ specie descendit; qui in lege et Prophetis operatus est; qui nunc quoque baptismi tempore animam tuam obsignat; cujus etiam sanctitate opus habet universa intelligibilis natura. In quem si quis blasphemam vocem emittere ausus fuerit, nec in hoc sæculo, nec in futuro remissionem habiturus est [2]; qui cum Patre et Filio Divinitatis gloria condecoratur; quo etiam opus habent Throni, Dominationesque, Principatus et Potestates [3]. Unus est enim Deus, Christi pater; et unus Dominus Jesus Christus, unius Dei unicus Filius [4], et unus Spiritus sanctus, qui omnia sanctificat et deificat; qui in lege et Prophetis, in Veteri et Novo Testamento est locutus.

XVII. Hoc signaculum in mente tua semper habeto; quod quidem nunc tibi summatim per capitum recensionem edictum est; si vero Dominus concesserit, adhibita ex Scripturis demonstratione pro viribus a nobis plenius edisseretur. Oportet enim circa divina et sancta Fidei mysteria ne minimum quidem absque divinis Scripturis tradi; nec temere probabilitatibus, argumentisque in verborum artificio consistentibus abduci. Ne mihi quidem ista proferenti ultro credas, nisi de divinis Scripturis eorum, quæ tibi annuntio demonstrationem acceperis. Hæc enim fides, cui nostram salutem debemus, non ex commentitia disputatione, sed ex divinarum Scripturarum demonstratione vim habet.

[1] 1 Cor. II, 10. — [2] Matth. XII, 32. — [3] Coloss. I, 16. — [4] 1 Cor. VIII, 6.

DOGMA VIII.

DE ANIMA.

XVIII. Post venerandæ hujus gloriosæ et per sanctæ fidei notitiam, te quoque deinceps nosce, quisnam sis? Nimirum duplex tu homo institutus es, ex anima et corpore compositus; et, ut paulo ante dictum est, idem tibi Deus et animæ et corporis auctor est. Id quoque scito quod animam habes liberæ potestatis, opus Dei præstantissimum, juxta imaginem Conditoris factam; immortalem propter Deum immortalitatem ipsi conferentem; animal ratione præditum corruptionis expers, propter eum qui ista largitus est; potestatem habens faciendi quæ velit. Non enim siderum natalitiorum vi peccas; neque fortuna cogente scortaris; neque, uti nonnulli delirant, astrorum conjunctiones te lasciviis invitum incumbere compellunt. Quid tua ipsiusmet mala confiteri detrectans, astris insontibus culpam ascribis? Ne mihi posthac astrologis adverte. De illis enim ait Scriptura divina : « Stent et salvent te astrologi » cœli [1]; « et inferius : « Ecce omnes sicut stipula igni com» burentur, et non liberabunt animam suam de flamma [2]. »

XIX. Hoc quoque addisce, quod priusquam anima in hunc mundum veniret, nihil peccavit : sed cum absque peccato venerimus, nunc ex libera voluntate peccamus. Ne mihi quemquam audias illud male interpretantem : « Si autem quod nolo, illud facio [3]. » Sed recordare ejus, qui dicit : « Si volueritis, et audieritis me, bona terræ co» medetis. Si vero nolueritis, et non audieritis me, gladius » vos consumet [4], etc. » Et rursus : « Sicut exhibuistis » membra vestra serva immunditiæ et iniquitati ad iniqui-

[1] Isaï. XLVII, 13, 14. — [2] Rom. VII, 16. — [3] Isaï. I, 19, 20.

» tatem; ita nunc exhibete membra vestra serva justitiæ » in sanctificationem [1]. » Memento etiam Scripturæ dicentis : « Sicut non probaverunt Deum habere in notitia [2], » et, « Quod de Deo cognosci potest, manifestum est in illis [3], » et iterum : « Oculos suos clauserunt [4]. » Dei quoque rursum [memento] increpantis et dicentis : « Ego autem » plantavi te vineam fructiferam omnem veram : quomodo » conversa es in amaritudinem, vitis aliena [5]?

XX. Immortalis est anima : similesque sunt animæ omnes seu virorum seu mulierum; sola enim corporis membra distinguuntur. Non est ordo animarum natura peccantium, et ordo animarum natura juste agentium : sed utrumque ex voluntate et suo cujusque arbitrio fit, cum animarum substantia uniusmodi sit et similis in omnibus. Novi multa me dicere, et tempus jam multum præteriisse : sed quid ante salutem ponendum? Nolis cum labore aliquo viaticum tibi adversum hæreticos dari? neque vis nosse diverticula viæ, ut ne per imprudentiam in præcipitium feraris? Si doctores non minimum deputant lucri sibi accedere, quod hæc addiscas; tu qui addiscis, non debes libenter multitudinem rerum, quæ dicuntur, excipere.

XXI. Libera est et sui juris anima : diabolusque suggerere quidem potest; ut autem præter voluntatem cogat, potestatem non habet. Subjicit tibi fornicationis cogitationem : si voles, admittis; si nolis, non admittis. Si enim ex necessitate fornicareris, qua igitur causa Deus gehennam præparasset? si natura, non arbitrio, recta faceres, cur Deus ineffabiles coronas apparasset? Mansueta est ovis, at nunquam propter mansuetudinem coronata fuit : quia quod mansueta sit, ei non ex animi voluntate, sed ex natura comparatum est.

[1] Rom. VI, 19. — [2] Id. I, 28. — [3] Ibid. 19. — [4] Matth. XIII, 15. — [5] Jer. II, 21.

DOGMA IX.

DE CORPORE.

XXII. Cognovisti, dilecte, de anima quantum interim satis fuit. Nunc et audi pro viribus de corpore tuo. Ne quemquam feras eorum, qui alienum a Deo corpus istud esse dicunt. Qui enim alienum a Deo quiddam esse corpus, et in hoc tanquam alieno in vasculo inhabitare animam credunt, eo ad scortationes procliviter abutantur. Quid vero est quod in illo admirabili corpore criminantur? quid illi ad decentiam et concinnitatem deest? quid non in ipsa structura artificiosum? nonne eos oportuit considerare tum oculorum conformationem splendidissimam; tum quomodo aures in obliquum flexæ jacent, ut auditum sine impedimento admittant? utque olfactus vapores discernendi, et suaves odores admittendi vi pollet? ut lingua duarum rerum administra est, gustatus et loquendi facultatis? ut in abditis locis positus pulmo, donatus est irrequieta aëris aspiratione? Quisnam perpetuum cordis pulsum indidit? quis in tot venas arteriasque distribuit? quis nervis ossa tam sapienter implicata colligavit? quis alimenti partem ad supplementum naturæ attribuens, partem aliam ad verecundam secretionem discrevit; et pudendas partes verecundioribus abscondit locis [1]? quis defecturam hominum naturam levi atque facili conjunctione perennem effecit?

XXIII. Ne mihi dixeris corpus peccandi causam esse. Si enim corpus peccati causa est, quare mortuus non peccat? gladium admove dextræ hominis nuper mortui, et cædes nulla fiet. Omnia formarum genera coram juvene

[1] 1 Cor. XII, 23.

recens mortuo pertranseant, et nulla oborietur scortandi cupiditas. Quamobrem? quia corpus per se ipsum non peccat, sed anima per corpus. Animæ instrumentum, et veluti indumentum atque amictus corpus est. Et si quidem ab ea ad fornicationem applicetur, immundum fit : si vero animæ conjungatur, fit templum Spiritus sancti. Hæc ego non profero, sed Paulus apostolus dixit : « Nescitis » quod corpora vestra templum sunt Spiritus sancti qui » in vobis est [1] ? » Parce igitur corpori tuo, tanquam templo sancti Spiritus existenti. Ne tuam carnem stupris polluas : ne inquines hanc tuam pulcherrimam vestem. Si autem inquinasti, nunc ablue per pœnitentiam : lavare quandiu tempus patitur.

XXIV. At eum, qui de castitate est, sermonem præcipue quidem auscultet monachorum et virginum ordo, qui vitam in mundo parem Angelis instituunt : [deinde vero reliquus Ecclesiæ populus.] Magna vobis, fratres, reposita est corona. Ne exigua voluptate magnam dignitatem commutetis. Audite Apostolum dicentem : « Ne quis fornicator » aut profanus ut Esaü, qui propter unam escam vendidit » sua primogeniti jura [2]. » In angelicis libris propter puritatis propositum descriptus, vide ne propter stuprum perpetratum posthac ex eisdem delearis.

XXV. Neque vero, si perfectum castitatis officium adimples, efferri te decet adversus illos, qui inferiorem vitæ statum matrimonio copulati sectantur. « Honorabile » enim est connubium, et cubile impollutum [3], » ut ait Apostolus. Et tu qui castitatis integritatem habes, nonne ex hominibus conjugatis natus es? non ergo quod aurum possideas, argentum reprobes? verum spei bonæ pleni sint et ii, qui in conjugio legitime nuptiis utuntur : qui exactum ad leges connubium, non illud ex immoderata licentia

[1] I Cor. VI, 19. — [2] Hebr. XII, 16. — [3] Id. XIII, 4.

procax ac libidinosum instituunt : qui relaxationis tempora norunt, ut vacent orationi [1] : qui una cum vestimentis munda in conventibus ad Ecclesiam offerunt corpora : qui liberorum procreandorum, non fruendæ voluptatis causa, ad nuptias accesserunt.

XXVI. Nec unico matrimonio contenti, eos, qui ad secundas nuptias se ultro dejecere, reprobent. Nam præclara est et admiranda res continentia [2]; verum ignoscendum etiam est, si ad secundas nuptias accedatur, ne scortationi succumbant infirmi. « Bonum est enim eis, si » permanserint, sicut et ego, inquit Apostolus : si vero » non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam » uri [3]. » Reliqua vero omnia procul ablegentur, scortatio, adulterium, et omne lasciviæ genus. Conservetur vero corpus Domino mundum, ut Dominus etiam corpus respectet. Nutriatur autem alimentis ut vivat, et absque impedimento famuletur, at non ut deliciis tradatur.

DE CIBIS.

XXVII. Ac de cibis ista vobis præscribantur decreta; quandoquidem multi circa escas quoque impingunt. Nam alii quidem idolis immolata sine discrimine contingunt : alii vero exercitationis causa secundum asceticæ vitæ institutum [a nonnullis] abstinent, damnant autem eos, qui manducant [4], et ita varie circa cibos quorumdam anima polluitur [5], dum et manducandi et abstinendi utiles causas ignorant. Jejunamus enim vino et carnibus abstinentes, non ea quasi piacula abhorrentes, sed expectatione mercedis; ut dum sensibilia ultro contemnimus, spiritali intelligibilique mensa perfruamur : utque nunc seminantes

[1] 1 Cor. VII, 5.— [2] *Id est* viduitas.— [3] 1 Cor. VII, 8, 9. — [4] Rom. XIV, 3. — [5] 1 Cor. VIII, 7.

in lacrymis, in exultatione metamus in sæculo venturo [1]. Ne igitur aspernare eos, qui manducant, et ob corporum imbecillitatem cibum sumunt [2], neque illos reprehendas qui modico vino utuntur, propter stomachum et frequentes infirmitates [3] : neve eos tanquam peccatores condemnes. Nec vero tanquam alienas oderis carnes : cujusmodi nonnullos noverat Apostolus, cum diceret : « Prohibentium » nuptias; abstinentiam [præcipientium] a cibis, quos » Deus creavit ut a fidelibus cum gratiarum actione perci» piantur [4]. » Qui igitur ab his abstines, non quasi ab abominandis temperato, alioqui mercedem nullam habiturus es; sed tanquam bona prætermitte, propter intelligibilia, quæ tibi proponuntur, multo meliora.

XXVIII. Animæ tuæ cave, ne quid unquam edas eorum, quæ idolis oblata fuere. Nam de hujusmodi cibis, non mihi solum hoc tempore, sed jam ipsis Apostolis, et Jacobo hujus Ecclesiæ olim episcopo studium et cura fuit. Scribunt enim Apostoli et præsbyteri omnibus gentibus universalem epistolam, ut primo ac præcipue ab immolatis abstineant, deinde vero a sanguine et suffocato [5]. Multi enim homines ferina indole, et canum more viventes, sanguinem immanissimarum instar belluarum lambunt, et suffocatis affatim implentur. Tu autem qui Christi servus es, cum manducas hoc observa ut cum pietate ac religione manduces. Ac de cibis quidem satis.

DE VESTITU.

XXIX. Vestitus vero tibi simplex esto, non ad ornatum, sed ad necessarium tegumentum : non ut molliter delicieris, sed ut hyeme calescas, et verecundiam corporis

[1] Psal. cxxv, 5.— [2] Rom. xiv, 3.— [3] 1 Tim. v, 23.— [4] Id. iv, 3. — [5] Act. xv, 23-29.

tegas. Ne vero tegendæ turpitudinis prætextu, superfluo vestium paratu in aliam turpitudinem incurras.

DOGMA X.

DE RESURRECTIONE.

XXX. Moderate, quæso, utere corpore isto, et intellige te cum hoc corpore judicandum, a mortuis excitatum iri. Si vero tibi quædam diffidentiæ cogitatio succurrat, quasi fieri res non possit; ex tuismet ipsius rebus, de iis, quæ non apparent æstima. Tu enim ipse, dic mihi, ante annos centum aut amplius reputa tecum ubinam eras : ex quali, exigua prorsus ac vilissima substantia, ad tantam staturæ magnitudinem, et talem formæ dignitatem perveneris? Anne, qui quod non erat ut esset fecit, id quod jam est ac cecidit, rursum suscitare non poterit? Qui satum propter nos frumentum singulis annis mortuum et putre excitat; an nos ipsos, quorum gratia ipsum surrexit, difficile suscitaturus est? Vides ut arbores nunc tot mensibus sine fructu et sine foliis perstitere : totæ tamen, hyeme exacta, uti ex mortuis iterum reviviscunt. Nonne multo magis nos, multoque facilius ad vitam revocabimur? Virga Mosis in naturam serpentis longe dissimilem, Dei voluntate transmutata est : et homo in mortem delapsus, non ex integro in semetipsum restituetur?

XXXI. Ne attende ad eos, qui dicunt hoc corpus non resurgere; resurget enim. Cujus rei testis habetur Hesaïas, aiens: «Resurgent mortui, et excitabuntur qui in monumen- »tis sunt [1]; »et, « Multi eorum, qui in terræ aggestu dor-

[1] Isaï. xxvi, 19.

» miunt, resurgent, » juxta Danielem ; « Hi quidem in vitam » æternam, illi vero in opprobrium sempiternum [1]. » Cæterum resurgere omnium commune est hominum ; sed non omnibus similis continget resurrectio. Nam omnes quidem æterna accipiemus corpora, non autem omnes similia. Justi siquidem accipient, ut æternum manentes Angelorum choro socientur ; peccatores vero, ut in sæcula peccatorum luant supplicium.

DE LAVACRO.

XXXII. Quamobrem prius sua in homines bonitate Dominus lavacri pœnitentiam concessit, ut ponderis peccatorum plurimam partem, imo pondus omne abjicientes [2], et per Spiritum sanctum sigillum consecuti, æternæ vitæ hæredes efficiamur. Verum cum de lavacro jam ante dixerimus satis, ad ea quæ supersunt rudiorum institutionum capita pergamus.

DOGMA XI.

DE DIVINIS SCRIPTURIS.

XXXIII. Ista vero nos docent divinitus inspiratæ Veteris et Novi Testamenti Scripturæ. Unus est enim utriusque Testamenti Deus, qui Christum in Novo conspicuum factum prænuntiavit in Veteri : qui per legem et Prophetas nos ad Christum pædagogi more perduxit. « Prius quam » enim veniret fides, sub lege custodiebamur : » et, « Lex » pædagogus fuit noster ad Christum [3]. » Ac si quando hæ-

[1] Dan. XII, 2. — [2] Hebr. XII, 1. — [3] Gal. III, 23, 24.

reticorum audieris aliquem infamantem legem aut Prophetas, oppone salutarem illam vocem, aiens : « Non venit » Jesus solvere legem, sed adimplere [1]. » Studiose quoque, et ab Ecclesia disce, quinam sint Veteris Testamenti libri, qui vero Novi : neque mihi quidquam apocryphorum legas. Quid enim ea, quæ ab omnibus agnita et confessa sunt, nescis, quid circa dubia et controversa infelix operam perdis ? Divinas leges Scripturas, hos Veteris Testamenti libros viginti duos : quos septuaginta duo Interpretes transtulerunt.

XXXIV. Alexandro enim Macedonum rege defuncto, regnoque ejus in quatuor principatus diviso, Babyloniam et Macedoniam, Asiam et Ægyptum; unus eorum, qui in Ægypto regnarunt, Ptolemæus cognomine Philadelphus, litterarum studiosissimus princeps, dum libros undecumque colligeret, a Demetrio Phalereo bibliothecæ procuratore, de divinis legis et Prophetarum Scripturis audivit. Ac multo satium judicans, non ab invitis per vim libros parare, sed donis potius et amicitia possessores demereri; cum sciret id, quod vi extorquetur, eo quod præter voluntatem detur, sæpenumero dolo corrumpi; quod vero sponte exhibetur, id cum omni sinceritate donari : missis ad Eleazarum summum tunc temporis pontificem, plurimis ad ornandum Hierosolymorum templum isthic positum donis, senos de singulis duodecim Israëlis tribubus, qui libros interpretarentur, ad se delegari fecit. Deinde autem ut experiretur an libri, necne, divini forent; prospiciens ne inter se missi interpretes convenirent, eorum unicuique in loco, qui dicitur Pharus, secus Alexandriam sito, propriam ædem attribuit, Singulisque universas Scripturas interpretari mandavit. Cum vero illi intra dies septuaginta duos negotium absolvissent, rex omnium simul translationes, quas, sepa-

[1] Matth. v, 17.

ratis domiciliis, ad sese mutuo non accedentes elaboraverant, in unum conferens, non in sententiis solum, sed et ipsis in verbis plane consentientes reperit. Non enim verborum inventio, et humanorum sophismatum artificium erat id opus : sed Spiritus sancti inflatu, divinarum Scripturarum a sancto Spiritu dictatarum confecta interpretatio.

XXXV. Harum lege libros duos et viginti, nihilque cum apocryphis habeto commune. Eos solos studiose meditare et versa, quos etiam in Ecclesia cum certa fiducia legimus. Multo prudentiores et religiosiores te erant Apostoli, et veteres episcopi Ecclesiæ rectores, qui eos tradidere. Tu ergo filius Ecclesiæ cum sis, ne leges positas transverte. Et Veteris quidem Testamenti, ut dictum est, duos supra viginti libros meditare; quos, si discendi studio teneris, nominatim, me recitante, memoriæ infigere stude. Legis enim sunt, primi quinque libri Mosis, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. Inde, Jesus filius Nave : et Judicum liber, qui una cum Ruth septimus numeratur. Cæterorum vero historicorum librorum, Regnorum primus et secundus unus, est apud Hebræos liber; unus item, tertius cum quarto. Similiterque apud eos Paralipomenon primus et secundus, unus est liber : Esdræque primus et secundus pro uno censetur. Esther duodecimus est liber, et hi quidem historici. Versibus scripti sunt quinque : Job, Psalmorum liber, Proverbia, Ecclesiastes, et Canticum Canticorum, qui liber est decimus-septimus. Sequuntur prophetici quinque : duodecim Prophetarum liber unus; Hesaïæ unus; Hieremiæ cum Barucho, Lamentationibus et Epistola [1], unus; deinde, Ezechiel, et Danielis liber, Veteris Testamenti secundus supra vigesimum.

XXXVI. Novi autem Testamenti sunt quatuor duntaxat

[1] Est Baruchi c. VI. in Vulgata.

Evangelia; nam cætera falso inscripta sunt, et noxia. Scripserunt et Manichæi secundum Thomam Evangelium, quod evangelicæ appellationis fragrantia coloratum, simpliciorum animas corrumpit. Suscipe et duodecim Apostolorum Acta : et insuper septem catholicas epistolas, Jacobi et Petri, Joannis et Judæ : deinde, quod omnibus est pro signaculo, et postremum est Discipulorum opus, Pauli quatuordecim Epistolas. Reliqua vero omnia extra in secundo [ac nullo] ordine habeantur : et quæcumque in Ecclesiis non leguntur, illa neque privatim legas, sicut jam audisti. Ac de his quidem hactenus.

XXXVII. Fuge autem omnem diabolicam operationem : neque defectori draconi credas, qui ex bona natura ultro ac sponte mutatus est; qui volentes quidem persuadere potest, neminem autem cogere. Neque astrologorum prædictionibus, neque avium observationibus, neque ominibus attendas, neque fabulosis Græcorum divinationibus. Veneficium, incantationem, et nefandissimas Manium evocationes, ne ad aures quidem admitte. Ab omni intemperantiæ genere recede, nec gulæ deditus, nec voluptatum amans; omni avaritia et fœneratione superior. Neque vero gentilitiis spectaculorum conventibus intersis. Neque ligaturis unquam in morbis utare. Aversare quoque omnem cauponarum frequentandi illuviem ac sordem. Neque in samariticam aut judaïcam delabare religionem, nam te in posterum liberavit Jesus Christus. Ab omni sabbatorum observatione procul esto ; neque ullum indifferentium ciborum communem vel mundum appelles. Præsertim vero oderis omnia transgressorum hæreticorum conventicula. Omnibusque modis tuam ipsius animam muni, jejuniis, precibus, eleemosynis et divinorum oraculorum lectionibus; ut in temperantia et piorum dogmatum observatione, quod tibi

reliquum est in carne tempus vivens [1]; unica, quæ per lavacrum datur, salute perfruaris : sicque cœlestibus a Patre ac Deo ascriptus exercitibus quoque, cœlestibus coronis digneris : in Christo Jesu Domino nostro, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] 1 Petr. IV, 2.

CATECHESIS V.

ILLUMINANDORUM,

Hierosolymis extemporalis dicta, de Fide. *Et lectio ex Epistola ad Hebræos :* Est autem fides speratarum substantia rerum, convictio earum quæ non videntur. In hac enim testimonium consecuti sunt senes [1], etc.

ARGUMENTUM.

I. *Magna dignitas fidelem appellari.* II. *Fidelis difficile invenitur. — Fidelis etiam in paupertate dives.* III. *Fide omnia in rebus humanis transiguntur.* IV. *Ex fide omnis bona actio suspicitur. — Fides nos adversus diabolum munit.* V. *Fides eximia Abrahæ.* VI. *Christiani Abrahæ fidem imitantur.* VII. *Elogia et vis fidei.* VIII. *Fides etiam alterius alios salvat.* IX. *De resurrectione Lazari.* X. *Duplex fides : prima est dogmatum.* XI. *Altera fides, donorum. — Anima fidei lumine perfusa Deum, quantum potest, intuetur.* XII. *Sola est amplectenda et retinenda fides, quæ ab Ecclesia traditur. — Symbolum non scriptis mandandum, sed memoriæ. — Non catechumenis efferendum. — Symbolum ex præcipuis Scripturæ sacræ capitibus concinnatum.* XIII. *Symboli traditio est pecunia ad mensam in depositum data.*

I. Quantam vobis dignitatem conferat Dominus [2], ab ordine catechumenorum ad fidelium ordinem vos transfe-

[1] Hebr. XI, 1, 2. — [2] Vide D. Guillon, tom. VIII, pag. 381-382.

rens, repræsentat apostolus Paulus, aiens : « Fidelis Deus, » per quem vocati estis in societatem filii ejus Jesu Christi [1] : » Cum enim Deus « Fidelis » appelletur, tu quoque eamdem accipis appellationem, magna auctus dignitate. Quemadmodum enim Deus vocatur bonus, et justus, et omnipotens [seu omnium dominator,] et universorum conditor, ita et « fidelis. » Reputa igitur ad quantam proveheris dignitatem, divinæ appellationis particeps futurus.

II. Hic jam quæritur, ut fidelis quis ex vobis, secundum intimam conscientiam, reperiatur [2]. « Virum enim fi» delem reperire magnum opus est [3], » ait [Scriptura.] Non ut mihi tuam conscientiam demonstres; (neque enim ab humano die judicandus es [4]) sed ut Deo fidei sinceritatem ostendas, qui scrutatur renes et corda [5], et qui novit cogitationes hominum [6]. Magnum quiddam est vir fidelis, et quovis divite divitior existit. « Fidelis enim viri est totus » mundus divitiarum [7], » in eo quod ipsas despicit et conculcat. Nam qui exterius divites sunt, etiamsi multa possideant, quantum ad animam inopia cruciantur; quanto enim plura congregant, tanto majori eorum, quæ desunt, desiderio conficiuntur. At fidelis homo, quod maxime admirabile videatur, in paupertate dives est, sciens enim quod indumenta tantum et alimenta habere necesse sit, hisque contentus [8], divitias conculcat.

III. Neque vero apud nos tantum, qui Christi nomine censemur, magna est fidei commendatio; verumetiam universa, quæ in mundo geruntur, et ab eis quoque qui alieni sunt ab Ecclesia, per fidem transiguntur. Per fidem extraneæ personæ nuptialibus legibus conjunguntur; alienusque homo corporum et pecuniarum alienarum, per

[1] I Cor. I, 9. — [2] Id. IV, 2. — [3] Prov. XX, 6. — [4] I Cor. IV. — [5] Psal. VII, 10. — [6] Id. XCIII, 11. — [7] Prov. XVII, 6, secundum LXX. — *Id est* totius mundi divitiæ.— [8] I Tim. VI, 8.

eam quæ in contractibus sponsalitiis est fidem, communicatione donatur. Fide etiam consistit agricultura : non enim suscipit labores, qui proventus recepturum se non credit. Fide decurrunt homines mare, dum exiguo ligno credentes, firmissimum terræ elementum instabili fluctuum agitatione permutant; incertis spebus sese tradentes, omnique anchora tutiorem circumferentes fidem. Per fidem itaque pleraque consistunt hominum negotia. Neque apud nos solos ita persuasum est, verumetiam, ut dictum est, apud eos qui a nobis sunt alieni. Nam etiamsi Scripturas non recipiant, proprias vero quasdam afferant doctrinas, easdem etiam per fidem recipiunt.

IV. Ad fidem veram vos vocat et hodierna lectio, viam vobis designans, per quam vos quoque oportet placere Deo. Ait enim, sine fide impossibile esse placere [1]. Quando enim apud se statuet homo Deo servire, ni illum credat remuneratorem fore? Quando virginitatis propositum arripiet puella, vel castus erit juvenis, nisi esse credat immarcessibilem castitatis coronam [2]; Fides oculus est conscientiam omnem illuminans, et intelligentiam pariens; dicit enim Propheta : « Et si non credideritis, non intelligetis [3]. » Obstruit fides ora leonum [4] juxta Danielem; de ipso enim dicit Scriptura : « Daniel eductus est de lacu, et nulla læsio inventa est in eo, quia credidit in Deo suo [5]. » Est-ne quidpiam diabolo terribilius? atqui nullum aliud adversus illum habemus armorum genus præter fidem [6] : scutum incorporeum, adversus hostem invisibilem. Emittit enim multiplicia tela, et sagittis configit in cæca nocte non vigilantes [7]. Sed, quandoquidem obscurus est, nec conspicuus hostis, firmum habemus integumentum fidem, quemadmodum Apostolus ait : « In omnibus assumentes scu-

[1] Hebr. XI, 6. — [2] 1 Petr. V, 4. — [3] Isaï. VII, 9. — [4] Hebr. XI, 34. — [5] Dan. VI, 23. — [6] 1 Petr. V, 9. — [7] Psal. X, 3. —

» tum fidei, in quo poteritis omnia tela Mali ignita extin-» guere [1]. » Ignitum sæpe fœdæ voluptatis desiderii telum a diabolo emittitur. Sed fides nobis judicium depingens, et mentem refrigerans, telum extinguit.

V. Longa est de fide oratio, neque illi absolvendæ totum diei tempus sufficiat. Interim ex antiquæ legis figuris unus nobis sat erit Abraham, quandoquidem hujus etiam per fidem filii facti sumus [2]. Ille non ex, operibus solum justificatus est [3], verumetiam ex fide. Multa enim recte fecerat; sed nunquam amicus Dei appellatus est [4], nisi post quam credidit [5], sed et omne opus ejus per fidem perfectum est. Fide reliquit parentes : patriam, regionem, et domum per fidem reliquit [6]. Quemadmodum igitur justificatus est ille [7], ita justificeris et tu. Emortuo in posterum ad suscipiendos liberos corpore erat : senex enim ipse, anum habebat uxorem Sarram, nec ulla spes liberorum reliqua erat. Seni Deus prolem futuram pollicetur : at ille non debilitatus est fide [8]; corpusque suum jam emortuum considerans, non ad corporis imbecillitatem, sed ad promittentis potestatem attendit; fidelem existimans eum esse qui promiserat, atque ita ex mortuis quodammodo corporibus præter opinionem filium consecutus est [9]. Deinde obtentum jussus offerre filium [10], quamvis jam audisset illud : « In » Isaac vocabitur tibi semen [11], obtulit filium suum unigenitum Deo credens quod et ex mortuis suscitare potest Deus [12]. Cumque colligarit filium suum et lignis imposuerit, voluntate quidem sacrificavit : verum Dei bonitate, agnum ipsi filii loco substituendum tradentis, filium vivum recepit. Propterea, cum fidelis esset, obsignatus est in jus-

[1] Ephes. VI, 16. — [2] Rom. IV, 11, et Gal. III, 7. — [3] Jacob. II, 21. — [4] Ibid. 23. — [5] Gen. XV, 6. — [6] Hebr. XI, 8, 9 et 10. — [7] Rom. IV, 23.— [8] Ibid. 19.— [9] Hebr. XI, 11, 12.— [10] Gen. XXII, 2. — [11] Id. XXI, 12. — [12] Hebr. XI, 19, et Gen. XXII, 9, 13.

titiam, et circumcisionem accepit signaculum fidei quam habuit in præputio [1], promissione accepta se futurum multarum gentium patrem [2].

VI. Quonammodo igitur multarum gentium Abraham sit pater, videamus. Judæorum quidem secundum carnis successionem esse, in confesso est. Verum si ad carnis [successionem, in explicanda Prophetia] spectaverimus, falsum dicere cogemur oraculum; non enim secundum carnem omnium nostrum pater est. Verum exemplum fidei ejus nos omnes Abrahæ filios facit [3]. Quonam isthuc modo? Incredibile est apud homines quemquam a mortuis resurgere: quemadmodum similiter incredibile, ex emortuis senibus progeniem nasci. Atqui dum annuntiatur Christus, quod in ligno quidem crucifixus sit, mortuus vero resurrexerit, nos id credimus. Igitur per similitudinem fidei in adoptionem devenimus Abrahæ. Tuncque post fidem, similiter ut ille, spiritale signaculum accipimus; Spiritu sancto per lavacrum circumcisi, non corporis præputium, sed cordis, juxta Hieremiam dicentem: « Et circumcidemini Deo præputium cordis vestri [4]; ac juxta Apostolum [cujus hæc voces]: « In circumcisione Christi, » consepulti ei in baptismo [5], » et quæ sequuntur.

VII. Hanc fidem si custodierimus, damnationis expertes, et omnigenis virtutum speciebus ornati erimus. Tantum enim valet fides, ut et homines super mare ambulantes sublevet. Homo nobis similis erat Petrus, ex carne et sanguine compositus, similibusque ex alimentis concretus. At dicenti Jesu: « Veni [6], » credens, super aquas ambulavit, fundamento quovis firmiorem super aquis habens fidem; et gravitas corporis levitate fidei attollebatur. Verum quandiu credidit ille, solidis super aquas deambu-

[1] Rom. IV, 11. — [2] Gen. XVII, 5. — [3] Rom. IV, 11. — [4] Jer. IV, 4. — [5] Coloss. II, 11, 12, — [6] Matth. XIV, 29.

lavit vestigiis : quando vero dubitavit, tunc cœpit submergi. Laxata enim et subsidente sensim fide, una corpus deorsum trahebatur. Cujus perturbationis conscius Jesus, ille qui animorum intimos emendat affectus, ait : « Modicæ » fidei, quare dubitasti [1] ? » Ab eoque dexteram ejus apprehendente corroboratus, ex quo fidem resumpsit; manu ductus a Domino, super aquas ut ante ambulavit. Id enim oblique significat Evangelium, dum ait : « Ascendentibus » autem ipsis in naviculam [2], » non enim dixit enatando Petrum ascendisse; sed hoc nobis insinuat, quod quantum spatium ad Jesum eundo confecit, tantumdem rursus emensus conscendit naviculam.

VIII. Tantum porro virium habet fides, ut non solum ille qui credit salvus efficiatur, verumetiam per aliorum fidem alii salventur. Non erat fidelis paralyticus ille urbis Capharnaüm; sed qui bajulabant illum, et per tegulas demisere, habebant fidem; infirmi namque, una cum corpore, morbo laborabat anima. Nec me putes temere illum accusare. Ipsum Evangelium dixit : « Videns Jesus, » non fidem ejus, sed « fidem illorum, dicit paralytico : Surge [3], » qui portavere, credebant, et ad eum qui paralyticus erat sanatio pervenit.

IX. Vis etiam certius cognoscere, quod per aliorum fides salvantur alii? Obiit Lazarus, præterierat una, et altera, et tertia dies; dissoluti sunt mortuo nervi, et putredo jam corpus depascepatur. Quomodo poterat credere mortuus quatriduanus [4], et pro se ipso liberatorem deprecari? At id quod vita defuncto defuit, germanæ sorores supplevere. Venienti enim Domino procidit ad pedes soror [5]; cumque ille diceret : « Ubi posuistis eum? » respondente illa : « Domine, jam fætet, quatriduanus est enim, » dicit Do-

[1] Matth. XIV, 31. — [2] Ibid. 32. — [3] Matth. IX, 3 et 6, et Marc. II, 9 et 11. — [4] Joan. XI, 14 et 17. — [5] Ibid. 27 et 32.

minus : « Si credideris, videbis gloriam Dei [1]. » Quasi diceret : « Tu mortui, quoad fidem pertinet, vicem adimpleas. » Ac tantum potuit illa sororum fides, ut mortuum ex inferni faucibus revocaverit. Jamvero alteri pro alteris credentes, a mortuis suscitare potuerunt : tu vero si pro te ipso sincere credideris, non multo potius utilitatem consequere? Verumetiam si nullius aut modicæ fueris fidei, benignus est Dominus, seseque ad te pœnitentem propitius demittit. Dic tantum et tu ingenue et ex animo : « Credo, » Domine, adjuva incredulitatem meam [2]. » Si vero te fidelem putes, nondum tamen fidei perfectionem es assecutus; opus habes et tu ut cum Apostolis dicas : « Domine, adauge » nobis fidem [3]. » Nam a te ipso aliquid habes; ab ipso vero aliquid quo multum continetur, accipis.

X. Siquidem fidei nomen appellatione unum est, bifariam vero dividitur. Est enim unum genus fidei quod ad dogmata pertinet, quod assensionem et approbationem animæ de re quadam includit, et ad animæ utilitatem pertinet, sicut ait Dominus : « Qui audit verba mea, et credit » ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non » venit [4], » Et rursus : « Qui credit in Filium, non judi» catur [5]. Sed transiit de morte ad vitam [6]. » O magnam Dei in homines bonitatem. Justi siquidem multorum annorum labore Deo placuerunt. Quod autem illi, per annorum plurimorum acceptum Deo servitium strenue se gerentes, consecuti sunt, id tibi Jesus unius horæ compendio largitur. Si enim credideris quod Dominus est Jesus Christus, et quod Deus suscitavit illum a mortuis [7], salvus eris, et transfereris in paradisum ab eo qui latronem illo introduxit. Neque diffidas, utrum id fieri possit; nam qui latronem post unius horæ fidem in hoc sancto Golgo-

[1] Joan. XI, 34, 39 et 40. — [2] Marc. IX, 23. — [3] Luc. XVII, 5. — [4] Joan. V, 24. — [5] Id. III, 18. — [6] Id. V, 24. — [7] Rom. X, 9.

tha salvum effecit [1], idem te quoque cum credideris salvum efficiet.

XI. Alterum vero genus est fidei, quod gratiæ cujusdam loco a Christo donatur. Alii enim per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum : alteri vero fides in eodem Spiritu : alteri vero curationum dona [2]. Hæc igitur gratiæ loco ab Spiritu collata fides, non solum dogmatica est, verumetiam rerum humanas vires excedentium efficiens. « Qui enim habuerit » fidem hanc, dicet monti huic : Transi hinc illuc : et » transibit [3]. » Quando enim per fidem hoc ipsum dixerit quispiam, credens ita futurum, nec hæsitaverit in corde suo [4], tunc illam accipit gratiam. Et de hac fide dicitur : « Si habueritis fidem sicut granum sinapis [6]. » Quemadmodum enim granum sinapis exiguum quidem est mole, sed ignea præditum efficientia ; et in angusta loci portione seminatum magnos circumfert ramos, quod post quam creverit, potest etiam cœli volucres opacare [6] ; ita et fides in anima velocissimo momento maxima peragit. De Deo namque imaginatur, et Deum intuetur quantum capere potest, fidei lumine perfusa. Mundi extrema circumit ; et ante hujus sæculi consummationem, judicium jam videt, et promissarum mercedum exsolutionem. Habeas itaque eam fidem, quæ a te pendet, et in illum fertur; ut etiam ab illo accipias eam quæ super humanas vires operatur.

XII. Fidem [7] vero in addiscendo atque profitendo, illam solam amplectere et serva, quæ nunc tibi ab Ecclesia traditur, ex omnibus Scripturis vallata. Cum enim non omnes possint Scripturas legere, sed alios quidem imperitia, alios vero occupatio quædam a cognitione impediat ;

[1] Luc. XXIII, 43. — [2] 1 Cor. XII, 8, 9. — [3] Matth. XVII, 20. — [4] Marc. XI, 23. — [5] Matth. XVII, 20. — [6] Id. XIII, 32. — [7] Symbolum *intelligit*.

ne anima per ignorationem intereat, paucis versiculis universum fidei dogma comprehendimus. Quod quidem ipsis verbis meminisse vos volo, et apud vos ipsos cum omni studio recitare; non chartis mandantes, sed in corde insculpentes memoriæ. Dum vero meditando revolvitis, cavete necubi catechumenorum quisquam quæ vobis tradita sunt exaudiat. Hanc vero Fidem tanquam viaticum in omni tempore vitæ habere jubeo, et præter eam nullam aliam amplius suscipere : neque etiam si nos ipsi mutati, his quæ nunc docemus contraria loqueremur, neque etiam si Angelus contrarius in lucis Angelum transfiguratus [1], in errorem te vellet abducere. Nam « Licet nos aut Angelus » de cœlo evangelizet vos, præter id quod nunc acce» pistis, anathema sit vobis [2],» et modo quidem nudis verbis tenus audiens, Fidem memoria retine. Singulorum vero capitum excipe opportuno tempore ex divinis Scripturis assertionem. Non enim ut hominibus libuit, Fidei summa composita est; sed selecta ex omnibus scripturis commendatiora capita, unam Fidei doctrinam perficiunt et complent. Et quemadmodum sinapis semen in modico grano plures ramos circumplectitur, ita et Fides hæc paucis in verbis, omnem tam Veteri quam Novo in Testamento contentam pietatis cognitionem, in sinu velut involvit. Videte itaque, fratres, et tenete traditiones, quas nunc accipitis [3], et inscribite eas in latitudine cordis vestri [4].

XIII. Religiose observate ne quos alicubi deprædetur inimicus inertes ac remissos; ne quis hæreticus, eorum quæ vobis tradita sunt, pervertat quidpiam. Fides enim, est projicere argentum ad mensam [5], quod a nobis præstitum est. Deus vero reposcet a vobis depositi rationem. « Contestor sicut ait Apostolus, coram Deo qui vivifi-

[1] 2 Cor. xi, 14. — [2] Gal. i, 8, 9. — [3] 2 Thess. ii, 14. — [4] Prov. vii, 3. — [5] Luc. xix, 23.

» cat omnia, et Christo Jesu qui testimonio professus est » sub Pontio Pilato bonam confessionem[1]; » ut hanc vobis traditam Fidem immaculatam custodiatis, usque ad apparitionem Domini nostri Jesu Christi. Thesaurus vitæ nunc tibi traditus est; et depositum suum requiret Dominus tempore apparitionis suæ; « Quam propriis temporibus os» tendet beatus et solus princeps, rex regnantium et Domi» nus dominantium : qui solus habet immortalitatem, lucem » habitans inaccessibilem. Quem nullus hominum vidit, » neque videre potest[2]. » Cui gloria, honor et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[1] 1 Tim. v, 21, et vi, 13, 14. — [2] Ibid. 15, 16.

APPENDIX AD CATECHESES V.

SYMBOLUM HIEROSOLYMITANUM.

SANCTA ET APOSTOLICA FIDES, AD PROFITENDUM ILLUMINANDIS TRADITA.

I. Credimus[1] in unum[2] Deum, patrem[3] omnipotentem[4]; factorem cœli et terræ[5], visibiliumque omnium et invisibilium[6].

II. Et in unum dominum Jesum Christum[7], filium Dei unigenitum[8]; qui ex Patre genitus[9] est Deus[10] verus[11] ante omnia sæcula[12] : per quem omnia facta sunt[13].

III. Qui in carne advenit[14], et inhumanatus est[15] [ex Virgine et Spiritu sancto[16].]

IV. Crucifixus et sepultus[17].

V. Resurrexit tertia die.

VI. Et ascendit in cœlos[18], et consedit a dextris Patris.

VII. Et venturus est in gloria[19], judicare vivos et mortuos[20] : cujus regni non erit finis[21].

VIII. Et in unum sanctum Spiritum[22], Paracletum [videlicet :] qui locutus est in Prophetis[23].

[1] Joan. xiv, 1. — [2] Isaï. xlv, 18, et 1 Cor. viii, 6. — [3] Ephes. iii, 14. — [4] Jer. xxxii, 19. — [5] Job. xxxviii, 4. — [6] Coloss. i, 16. — [7] 1 Cor. viii, 6. — [8] Joan. iii, 16. — [9] Psal. ii, 7. — [10] Matth. i, 23. — [11] 1 Joan. v, 20. — [12] Mich. v, 2. — [13] Joan. i, 3, et Coloss. i, 16. — [14] 1 Joan. iv, 2. — [15] Philip. ii, 7. — [16] Luc. i, 35. — [17] 1 Cor. xv, 3, 4. — [18] Marc. xvi, 19. — [19] Matth. xxv, 31. — [20] 1 Thess. iv, 16, 17. — [21] Luc. i, 32. — [22] 1 Cor. xii, 11, et Joan. xiv, 26. — [23] 2 Petr. i, 21.

IX. Et in unum[1] baptisma pœnitentiæ[2], in remissionem peccatorum.

X. Et in unam sanctam catholicam Ecclesiam[3].

XI. Et in carnis resurrectionem[4].

XII. Et in vitam æternam[5].

IDEM SYMBOLUM

CONTRACTIUS, À BAPTIZANDO POST ABRENUNTIATIONES PROFITENDUM.

Credo in Patrem,
Et in Filium,
Et in sanctum Spiritum:
Et in unum baptisma pœnitentiæ.

[1] Ephes. IV, 5. — [2] Act. XI, 38. — [3] Ephes. V, 25. — [4] Joan. V, 29. — [5] Matth. XXV, 46.

CATECHESIS VI.

ILLUMINANDORUM,

Hierosolymis ex tempore dicta, de Monarchia Dei [seu de unius Dei principatu;] in illam sententiam : Credo in unum Deum *et de Hæresibus. Lectio ex Hesaïa :* Innovamini ad me insulæ. Israël salvatur a Domino salute æterna : non confundentur et non erubescent usque in sæculum[1], etc.

ARGUMENTUM.

I. *Indivisa Patris et Filii cum sancto Spiritu gloria.* II. *Lingua tardior mente. — De Deo dicimus, non quæ oportet, sed quæ capere possumus. — Deum pro dignitate laudare, neque omnes simul collecti fideles possunt.* III. *Abrahæ demissa de se opinio. — Cœli tres in Scriptura memorati; sunt tamen plures. — Nec cœli ipsi Deum possunt laudare pro merito.* IV *Hominis divina explicare aggredientis mentis inopia. — Effusæ recens uberiores pluviæ.* V. *Quamvis incomprehensibilis sit Deus, non idcirco de illo silere debemus.* VI. *Angeli Deum vident, non sicuti est, sed quantum ipsi capere possunt. — Et alii aliis excellentius. — Solus Spiritus sanctus cum Filio Deum videt, sicut oportet. — Paternæ Divinitatis cum Spiritu sancto particeps est Filius. — Neminem pudeat suam de divinis rebus ignorantiam confiteri.* VII. *Satis est ad pietatem scire de Deo, eum esse unum, æternum, etc.*

[1] Isaï. XLV, 16, 17.

— *Deus totus oculus, totus auditus, totus mens, etc. — Nulla est Dei forma, nec species.* VIII. *Varii de Deo errores. — Alii septem ei oculos ascripsere. — Deus in omnibus perfectus est.* IX. *Deus incomprehensibilis est, imo et minima opera ejus.* X. *Idololatrarum vecordia.* XI. *Cur venerit Filius Dei.* De hæresibus. XII. *Errores de Deo uno apud hæreticos. — Hæretici duas divinitates, bonam unam, malam alteram asserentes, refelluntur.* XIII. *Hæreticorum cœnum et immundam doctrinam ab refutantibus audire, utile est. Hæreseon multiplex error : una vero rectæ fidei via.* XIV. *Simon magus omnis hæreseos inventor. — Statua Romæ Simoni mago erecta.* XV. *Petrus et Paulus contra Simonem Romæ pugnant. — Simonem suis precibus e sublimi aëre dejiciunt. — Petrus cœli claves circumferens.* XVI. *Cerinthus, Menander, Carpocrates, Ebionæi, Marcion. — Marcion Veteris Testamenti testimonia in Novo allegata resecuit.* XVII. *Basilides impudicitiæ præco. — Valentinus triginta deorum assertor. — Ridicula Valentini argumenta.* XVIII. *Impia Valentini de Sapientia commenta.* XIX. *Quid de Jesu Christo censeant Valentiniani. — Hæretici fugiendi.* XX. *Manes sub Probo imperatore prodiit. — Manichæorum hæresis ex omnium venenis concinnata.* XXI. *Manetis historia.* XXII. *Scythianus Manichæorum auctor. — Scythiani discipulus Terebinthus. — Scythiani mors.* XXIII. *Terebinthus Judæa pulsus in Persidem transit, et Buddas, mutato nomine, dicitur. — Terebinthus divino ictu e tecto præcipitatus interit.* XXIV. *Manes primum dictus Cubricus. Viduæ cujusdam servus, et hæres. — Servitutis nomen in alterum commutat, quo ejus insania, ipso nolente, declaratur.* XXV. *Se Paracletum dicere ausus est Manes. — Persarum regis filium curare pollicitus, necat. — In carcerem conjectus, inde aufugit.* XXVI. *Sex dede-*

cora Manetis : blasphemia, servitus, promissionum vanitas, homicidium, incarceratio, fuga. XXVII. *Archelaüs in Mesopotamia Mäneti resistit. — mborum collatio ethnicis judicibus.* XXVIII. *Quo sensu Deus infidelium mentes excæcare dicatur. — Quia ipsi oculos claudunt veritati, eam ab ipsis avertit.* XXIX *Alio sensu excæcat in bonum, pravas auferens cogitationes. — Aliter etiam, vim veritatis non ferentes, se ipsi excæcant. — Ecclesia catechumenis mysteria sua occultat.* XXX. *Manes in conflictu superatus. — Iterum ab Archelao quæsitus, rursus aufugit. — A satellitibus regis Persarum comprehensus, detracta cute, interficitur.* XXXI. *Manetis discipuli tres. Thomas, pseudo-evangelii auctor. — Jejunia Manichæorum cum aquis palearum. — Manichæorum deliria.* XXXII. *Manichæi desidiosi et gulæ dediti. — Diræ Manichæorum imprecationes in Deum, alimenta ipsis data, et beneficos suos,* XXXIII. *Horrenda Manichæorum mysteria. — Infanda eorum eucharistia.* XXXIV. *Manichæorum contumeliæ in Deum tonantem. — Unde imbres oriri statuant Manichæi. — Cyrillus Manichæorum libros diligenter pervolutaverat.* XXXV. *Quam dispar catholicæ Ecclesiæ, et Manichæorum doctrina atque institutum.* XXXVI. *Manichæi etiam conversi suspecti, nisi longa probati fuerint pœnitentia.*

I. Benedictus Deus[1], et Pater Domini nostri Jesu Christi[2]. Benedictus et ejus unigenitus Filius[3]. Nam simul atque cogitatur « Deus » cogitetur et « Pater ; » ut indivise Patris et Filii [cum sancto Spiritu] glorificatio celebretur. Non enim aliam gloriam Pater, atque aliam Filius habet, sed unam et eamdem, [cum sancto Spiritu] : quandoquidem

[1] Vide D. Guillon, tom. VIII, pag. 382-385. — [2] 2 Cor. I, 3. — [3] Rom. IX, 5.

Patris est unigenitus filius, cumque glorificatur Pater, una cum ipso gloriam communicat Filius. Siquidem filii gloria ex honore patris sui manat[1] : vicissimque dum filius glorificatur, summo honore condecoratur tanti boni pater.

II. Ac mens quidem velocissime intelligit ; lingua vero verbis opus habet, et multa intermediorum sermonum enuntiatione. Oculus quoque numerosum siderum chorum simul complectitur : verum cum quis ad declarandum unumquodque aggreditur ; quidnam sit lucifer, quidnam vero vesper, et quidnam singula, longa opus habet oratione. Sic iterum terram, mare, et mundi fines universos velocissimo momento cogitatio comprehendit : sed id quod puncto temporis cogitat, id nonnisi prolixis sermonibus expromit. Magnum quidem modo positum a nobis exemplum, sed adhuc infirmum imbecillumque. De Deo enim dicimus, non quæ oportet, hæc enim illi uni nota ; sed quantum humana capit natura, et quantum imbecillitas nostra ferre valet. Non enim quid sit Deus, edicimus ; sed quod accurata nobis ejus notitia desit, candide confitemur. Nam in his quæ ad Deum spectant, ignorantiam confiteri, magna scientia est. « Magnificate igitur Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum[2] : » communiter universi, unus enim non sufficit. Imo vero etiamsi universi simul conveniamus ; neque sic, quemadmodum oportet, facturi simus. Neque vos solos, qui hic adestis, dico : sed etiamsi omnes totius universalis Ecclesiæ, tum præsentis, tum futuræ alumni in unum convenirent, haud tamen pastorem pro dignitate laudare suffecerint.

III. Magnus erat Abraham et honorabilis, verum magnus ad homines. At quando appropinquavit ad Deum, tunc ait ingenue vera confessus : « Ego sum terra et cinis[3]. » Non dixit : « Terra, » deinde siluit ; ne se ipsum magnum

[1] Prov. xvii, 6. — [2] Psal. xxxiii, 4. — [3] Gen. xviii, 27.

elementum vocitare videretur : sed adjecit, « Et cinis ; » ut dissolutu facilem, fluxamque sui coagmentationem repræsentaret. Est-ne, ait, quidquam cinere minus atque exilius? Compara enim, inquit, cinerem cum domo, et domum cum urbe, urbemque cum provincia, et provinciam cum Romanorum ditione, et ditionem Romanorum cum orbe toto, et omnibus ejus determinationibus : terram item totam cum cœlo illam sinu suo ambiente ; quæ quidem eam habet ad cœlum proportionem, quam meditullium ad universum ambitum rotæ : (nam hujusmodi est terræ ad cœlum comparatio) et primum hoc quod conspicimus cœlum, intellige minus esse secundo, et secundum tertio : nam eo usque cœlos Scriptura nominavit [1] non quod tot sint duntaxat, sed quod tot solum nosse nobis expediat. Cumque cœlos omnes intelligentia perceperis, necdum cœli, Deum ut est, laudare sufficient ; ne quidem si tonitruo vocalius insonuerint. Quod si tantæ cœlorum capacitates Deum pro merito celebrare non valent ; quandonam « Terra et cinis, » quæ res est omnium minima et exiguissima, dignum Deo hymnum emittere poterit ; aut digne dicere de Deo, qui continet ambitum terræ, et habitatores ejus uti locustas habet [2] ?

IV. Si quis ea, quæ ad Deum attinent effari conatur, is primum terræ limites exponat. Terram inhabitas, et domicilii tui, terræ videlicet, finem nescis : et quo pacto fabricatorem digne animo efformare valebis? Stellas vides, auctorem non vides. Numera primum eas, quæ tibi conspicuæ sunt, et tunc eum, qui inconspicuus est, edicito : « Eum, qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus » eis nomina vocat [3]. » Imbrium largiorum guttæ recens effusæ pene nos perdidere. Numera guttas quæ in hanc urbem influxerunt : sed non dico, urbem ; quæ in tectum

[1] 2 Cor. XII, 2. — [2] Isaï. XL, 22. — [3] Psal. CXLVI, 4.

tuum unius horæ spatio decidere, numera si potes. At non potes : agnosce tuam infirmitatem; hinc Dei potentiam disce. « Numeratæ sunt enim ei pluviæ guttæ[1], » per totum orbem non solum isto, sed et quovis tempore effusæ. Opus Dei est sol; magnum quidem illud, sed totius cœli comparatione minimum. Primum adversus solem intuere, et tum Dominum curiosius exquirito. « Profundiora te ne quæsieris, et fortiora te ne investiges; quæ tibi præcepta sunt, ea mente agita[2]. »

V. At, dicet quispiam, si incomprehensibilis est divina substantia, quid est quod tu de his pronuntias? An vero si totum fluvium ebibere nequeo, ne id quidem quod mihi congruens est cum modo sumam? Num quia solem totum oculorum capacitate complecti non queo, neque ad meum usum quod satis sit, aspicere licebit? aut quoniam in hortum amplum ingressus, omnem fructuum substantiam comedere non possum; vis tu me omnino esurientem abire? Laudo et glorifico illum qui nos fecit : divina enim vox est, quæ ita jubet : « Omnis Spiritus laudet Dominum[3]. » Laude nunc celebrare Dominum, non verbis exponere aggredior : certus nihilominus me ab eo pro rei dignitate glorificando longe abfuturum; pietatis vero esse censens, id quocumque tandem modo conari. Namque imbecillitatem meam consolatur Dominus Jesus, cum dicit : « Deum nemo vidit unquam[4]. »

VI. Quid igitur, inquiet aliquis, nonne scriptum est : « Angeli parvulorum vident semper faciem Patris mei, qui est in cœlis[5]? » Verum Angeli vident, non sicut est Deus; sed quantum ipsi capere possunt. Ipse enim Jesus est qui ait : « Non quod Patrem vidit quisquam, præter eum qui ex Deo est : hic vidit Patrem[6]. » Vident igitur Angeli,

[1] Job. XXVI, 27. — [2] Eccli. III, 22. — [3] Psal. CL, 6. — [4] Joan. I, 18. — [5] Matth. XVIII, 10. — [6] Joan. VI, 46.

quantum capaces sunt; et Archangeli ut possunt; et Throni et Dominationes excellentius quam illi primi, ipsa tamen rei dignitate multo inferius. Unus enim videre potest, sicut oportet, una cum Filio Spiritus sanctus. Ille enim omnia scrutatur, et novit etiam profunda Dei[1]. Ut certe et unigenitus Filius Patrem, quantum oportet, novit una cum Spiritu sancto. « (Neque enim Patrem quis novit, » inquit, nisi Filius, et cui Filius revelaverit[2].) » Deum quantum oportet videt, cumque cum Spiritu sancto et per Spiritum sanctum revelat, quantum quisque capere potis est. Quandoquidem paternæ quoque Divinitatis cum Spiritu sancto particeps est unigenitus Filius. Qui sine passione genitus est ante tempora æterna[3], novit genitorem, et genitor genitum novit. Cum igitur Angeli nesciant, (nam pro suis eorum cuique revelat cum Spiritu, per Spiritum sanctum unigenitus, uti diximus,) neminem hominum pudeat de sua ignorantia confiteri. Loquor nunc ego, et omnes pro tempore loquuntur: quomodo vero id fiat, verbis exprimere non possumus. Quemadmodum igitur eum, qui dedit ut loqueremur, enarrare possim? Ego qui animam habeo, et notas ejus ac characteres edicere non valeo, quî ipsum animæ datorem effari sufficiam?

VII. Sufficit nobis ad pietatem illud solum, ut sciamus nos Deum habere; Deum unum, Deum existentem, ab æternitate existentem, sui semper similem; cujus pater alius non est; quo nemo fortior, quem nullus successor regno depellit: qui multis nominibus insignitur, omnia potest, et uniformis est substantiæ. Non enim quia vocatur bonus, et justus, et omnipotens, et Sabaoth, idcirco varius est et diversus. Sed unus et idem cum sit, innumeras Divinitatis operationes emittit. Non aliqua ex parte plus habens, alia minus; sed in omnibus similis sibi ipsi.

[1] 1 Cor. II, 10. — [2] Matth. XI, 27. — [3] 2 Tim. I, 9.

Non in bonitate solum magnus, et sapientia minor; sed parem ejusdemque potestatis habens sapientiam et bonitatem. Non ex parte videns, et ex parte visione privatus : verum totus oculus, et totus auditus, et totus mens. Non uti nos ex parte intelligens, et ex parte nesciens : blasphemus enim, et divina substantia indignus hic sermo. Præscius est eorum quæ sunt, et sanctus, et in omnia imperium exercens, et omnibus melior, et omnibus major, et omnibus sapientior. Cujus neque principium, neque formam, neque speciem edicere poterimus unquam. « Neque enim » vocem ejus audistis uspiam, neque speciem ejus vidistis [1], » ait divina Scriptura. Quapropter et ad Israëlitas dicit Moses : « Et advertite diligenter animis vestris, quod similitudinem » non vidistis [2]. » Si enim omnino similitudinem ipsius ullis imaginibus mens efformare nequit, ad substantiam-ne aliquando propius accedet?

VIII. Multi multa imaginati sunt, et omnes aberrarunt. Deum nonnulli ignem esse senserunt [3]. Alii alatum velut hominem; eo quod Scriptum sit, recte quidem, sed perverse intellectum, illud : « In tegumento alarum tuarum » proteges me [4]. » Obliti sunt Domini nostri Jesu Christi unigeniti, de se ipso ad eumdem modum dicentis ad Jerusalem : « Quoties volui congregare filios tuos, quemadmo- » dum gallina pullos suos sub alas, et noluisti [5]? » Cum enim potestas ejus, qua protegit, alarum nomine significetur, isti id minus intelligentes in humanam consuetudinem prolapsi, eum, qui impervestigabilis est, hominum more æstimaverunt. Alios non veritum est ei septem oculos affingere, eo quod scriptum sit : « Septem oculi Domini respi- » cientes super omnem terram [6]. » Si enim septem oculi soli distinctim illi circumpositi sunt, ex parte igitur, non ex se

[1] Joan. v, 37. — [2] Deut. iv, 15. — [3] Sap. xiii, 2. — [4] Isal. xvi et viii. — [5] Matth. xxiii, 37. — [6] Zach. iv, 10.

toto videt; quod de Deo dicere blasphemum et conviciosum est. Deum enim in omnibus perfectum esse credendum est, secundum illam Servatoris vocem : « Pater vester » cœlestis perfectus est[1]. » Perfectus in videndo, perfectus in potestate, perfectus in magnitudine, perfectus in prænotione, perfectus in bonitate, perfectus in justitia, perfectus in benignitate. Non determinatus in loco, sed locorum opifex; in omnibus existens [locis,] et a nullo circumscriptus. « Thonus illi cœlum est[2] ; » supereminet tamen qui sedet : et « Terra, scabellum pedum[3]; » pervenit tamen usque ad subterranea potestas ejus.

IX. Unus est ubique præsens, omnia videns, omnia intelligens, omnia per Christum fabricans. « Omnia enim per » ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil[4]. » Fons est omnis boni maximus et indeficiens, beneficiorum fluvius, lumen æternum indesinenter coruscans, insuperabilis potestas ad nostras infirmitates sese demittens : cujus ne nomen quidem sustinemus audire. « An vestigium Domini » reperies, ait Job, aut extrema, quæ Omnipotens fecit, » attigisti[5]? » Si extrema minimaque opera non comprehenduntur, is-ne qui omnia fecit comprehendetur? « Oculus » non vidit, et auris non audivit, et in cor hominis non as» cendit, quanta præparavit Deus diligentibus se[6]. » Si ea, quæ præparavit Deus, cogitationum nostrarum captum exuperant, an ipsum, qui præparavit, possumus animo comprehendere? « O profundum divitiarum et sapientiæ et » scientiæ Dei : quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et » investigabiles viæ ejus[7]! » ait Apostolus. Si judicia et viæ comprehendi non possunt, ipse-ne comprehendetur?

X. Cum igitur Deus tantus sit, et etiam major : (neque enim, vel si totam substantiam meam in linguam transmu-

[1] Matth. v, 48. — [2] Isaï. LXVI, 1. — [3] Act. VII, 49. — [4] Joan. I, 3. — [5] Job. XI, 7. — [6] Isaï. LXIV, 4, et I Cor. II, 9. — [7] Rom. XI, 33.

tavero, quantum rei dignitas postulat, loqui possim; imo ne si omnes quidem Angeli conveniant, quod dignum est eloquantur) tantus igitur cum sit, bonus et magnus Deus; homo sculpto a se lapidi dicere non timuit: « Deus meus » es tu [1]. » O cæcitatem grandem, quæ ex tanta majestate ad tantam indignitatem vilitatemque delapsa est! Lignum quod Deus fecit, et imbribus crescit, et postea combustum per ignem cinis efficitur, hoc, inquam, appellatur Deus: Deus autem verus habetur despectui. Exuberavit idololatriæ perversitas. Etiam felis, et canis et lupus pro Deo adorati: ac leo hominum vorator, in locum Dei hominum amantissimi adoratus. Anguis et draco, ejus qui nos de paradiso pepulit æmuli, adorati fuere; et is, qui paradisum condidit, contemptus. Etiam, (referre pudet, referam tamen) etiam cepe a nonnullis adorata. Vinum, ut lætificet cor hominis [2], datum est: et Bacchus pro Deo est adoratus. Frumentum fecit Deus, dicendo: « Producat » terra herbam fœni, seminantem semen juxta genus suum » et similitudinem [3]; » ut panis cor hominis confirmaret [4]. Undenam igitur Ceres adorata? Ignis ex lapidum collisione in diem usque hodiernum elicitur. Unde igitur Vulcanus ignis effector?

XI. Unde ille Græcorum in Diis pluribus error? Incorporeus Deus est. Unde igitur stupra et adulteria illis, qui apud eos dicuntur Dii, imputantur? Taceo Jovis in cycnum transmutationes: transformationes in taurum erubesco referens. Sunt enim Deo indigni mugitus. Adulter deprehensus est suus Græcorum Deus, nec ipsos pudet. Nam si adulter est, Deus ne vocetur. Suorum quoque quos appellant deorum et mortes et casus, et fulminationes narrant. Vides quanta de majestate quonam devenerint? Numquid igitur sine causa de cœlo descendit Filius Dei, ut

[1] Isaï. XLIV, 17. — [2] Psal. CIII, 15. — [3] Gen. I, 11. — [4] Psal. CIII, 15.

tantum vulnus sanaret? frustra-ne venit Filius, ut Pater agnosceretur? Cognosti quid Unigenitum moverit, ut a dextris sedibus descenderet. Pater despiciebatur : oportuit errorem per filium emendari. Oportuit enim eum, per quem facta sunt omnia, Dominatori omnium omnia offerre. Oportebat vulnus curari. Quid enim hoc morbo deterius erat, ut lapis pro Deo coleretur?

DE HÆRESIBUS.

XII. Nec solum apud Gentiles isthæc pervicit diabolus, verum etiam et multi ex iis, qui Christiani falso dicuntur, suaveolentissimo Christi nomine male appellati, Deum a creaturis suis impie abalienare sunt ausi. Hæreticos dico, infausti nominis, et a Deo alienissimos viros, qui se Christi amatores cum simulent, ipsum tamen penitus odio insequuntur. Nam qui Patrem Christi conviciatur, filii hostis est. Ausi sunt illi duas divinitates dicere, bonam unam, et alteram malam. O multam cæcitatem! Si divinas, profecto bona : si vero bona non est, cur divinitas appellatur? Dei enim propria, bonitas. Quandoquidem enim Dei competit benignitas, beneficentia, omnipotentia : jam e duobus alterum superest : ut aut Deum cum appellant, una cum nomine [proprietatem etiam] et operationem adjungant; aut, si operationibus spolient, ne nudam tribuant nuncupationem.

XIII. Hæreticos veritum non est duos deos dicere, et duos boni et mali fontes, eosdemque ingenitos esse. Si ingeniti ambo [fontes,] profecto et æquales, et ambo potentes : quomodo igitur lux tenebras tollit? Utrum-ne simul aliquando sunt, an sejuncti? simul autem esse non possunt. « Quæ enim societas luci ad tenebras[1]? » ait Apostolus. Si vero longe a se mutuo absunt, suum igitur quisque obtinet locum : at si separatis locis degunt, perspi-

[1] 2 Cor. VI, 14.

cuum nos in unius Dei ditione versari; unum igitur certum est nos adorare. Ita enim concludi oportet, etiamsi illorum insaniæ obtemperemus, unum Deum adorandum esse. Quæramus jam ex ipsis, ecquid de bono Deo dicant. Potens-ne est, an impotens? si potens, quomodo invito ipso exortum est malum : et quomodo prava nolente ipso se inculcat substantia? Si enim resciens prohibere non possit, impotentiæ accusaut : sin possit nec prohibeat, proditionis reum faciunt. Ac vide horum amentiam : nam aliquando dicunt Malum [Deum] nihil cum Bono habere commune in mundi fabricatione; interdum vero, quartam tantum partem habere. Et bonum quidem, Christi patrem esse volunt : Christum vero solem istum appellant. Si ergo mundus, ex ipsorum sententia, a Malo productus est; cum sol in mundo locum habeat, quomodo boni filius in ditione Mali invitus servit? In cœno volutamur ista dicentes. Id vero facimus, ne quis eorum, qui adsunt, ex ignoratione in hæreticorum lutum incidat. Nescium non habeo me, et os meum et auditorum aures commaculare : verum ita expedit. Multo enim satius est aliorum absurdas sententias in refutationibus audire, quam in easdem præ ignorantia præcipitem agi. Multo melius te cœnum cognoscere ut odio habeas, quam nescientem in illud incidere. Hæreseum vero impietatis multiplex est ratio. Cum enim ab unica recta via quis exciderit, tunc multoties labitur in præcipitia.

XIV. Ac omnis quidem hæreseos inventor Simon magus fuit. Ille, inquam, Simon qui in Actibus Apostolorum, gratuitam et nullo pretio venalem Spiritus sancti gratiam, pecunia emere speravit [1]; illudque audiit : « Non est tibi » pars neque sors in sermone isto [2], » et quæ sequuntur. De quo scriptum est : « Ex nobis exierunt, sed non erant ex

[1] Act. VIII, 18, 19. — [2] Ibid. 21.

»nobis. Si enim fuissent ex nobis, permansissent utique »nobiscum [1]. » Hic, postquam ab Apostolis ejectus fuit, Romam veniens, et Helenam quamdam meretricem adjungens sibi; primus ore nefando se ipsum dicere ausus est, qui tanquam Pater in monte Sina visus esset : apud Judæos vero postea, non in carne, sed opinione ac specie, tanquam Jesus Christus apparuisset : et post hæc ut Spiritus sanctus, quem Christus tanquam Paracletum (seu consolatorem) mittendum promiserat. Ac Romanorum civitatem usque adeo decepit, ut Claudius ejus statuam erigeret cum hac subscriptione litteris latinis : SIMONI DEO SANCTO.

XV. Cum vero error se latius spargeret, vitium illud correxit egregium par virorum, Petrus et Paulus Ecclesiæ præsules illuc appulsi; Simonemque, illum videlicet opinione Deum, superbe se ostentantem subita morte perculerunt. Nam cum pollicitus esset Simon se sublimem in cœlos elatum iri, ac dæmonum vehiculo sublatus per aëra ferretur; genibus provoluti servi Dei, concordiamque illam demonstrantes, de qua Jesus dixerat : « Si duo ex vobis » concordarint, de omni re quamcumque petierint, fiet » eis [2] : » concordiæ telo per precationem adversus magum immisso, præcipitem ad terram dejecerunt. Neque tibi res illa mira videatur, tametsi alioqui admiranda : Petrus namque erat, is qui cœli claves circumferebat [3]. Nihil quoque miri : Paulus enim erat, is qui in tertium cœlum atque in paradisum raptus erat, audieratque arcana verba quæ non licet homini loqui [4]. Ex sublimi aëre illum existimatum Deum ad terram dejecerunt, ad subterranea deprimendum. Hic primus malitiæ draco. Uno autem abscisso capite, multiceps denuo pravitatis deprehensa est radix.

[1] 1 Joan. II, 19.— [2] Matth. XVIII, 19. — [3] Id. XVI, 19.— [4] 2 Cor. XII, 2-4.

XVI. Ecclesiam enim devastavit Cerinthus, et Menander, et Carpocrates, Ebionæi, et Marcion, os illud impietatis in Deum. Qui enim deos diversos prædicat, unum bonum, et alterum justum, contradicit Filio aienti : « Pater juste [1]. » Rursus, qui alium dicit, Patrem; aliumque, opificem mundi, repugnat Filio dicenti : « Si autem fœnum agri » quod hodie est, et cras in clibanum ignis mittitur, Deus » sic vestit [2], » et, « Qui solem suum oriri facit super malos » et bonos, et pluit super justos et injustos [3]. » Hic rursum alterius improbitatis inventor secundo Marcion fuit. Qui cum ex allegatis in Novo Testamento Veteris testimoniis coargueretur, primus ausus est ea testimonia resecare; atque ita annuntiatum fidei sermonem testimonio despoliare, derelicto prius Deo : et quasi sublatis præconibus, infirmam atque caducam voluit Ecclesiæ fidem efficere.

XVII. Hunc alius iterum excepit, Basilides, inauspicati nominis, moribus vaferrimus, impudicitiæ præco. Accessit alius malitiæ adjutor Valentinus, triginta deorum assertor. Gentiles pauciores numerant : hic vero qui dicebatur, seu potius non erat Christianus, errorem usque ad triginta provexit. Ejusque sententia est, quod Bythus, [seu profunditas,] (decebat vero eum qui malitiæ profundum erat, ut a profundo initium doctrinæ suspenderet) Bythus, inquam, genuerit Sigen, [sive silentium;] et ex Sige procreaverit Logon, [seu Verbum.] Deterior ille Jove Gentilium, qui cum sorore mixtus est; nam Sige Bythi filia dicebatur. Vides absurditatem specie christianismi obductam? Parumper expecta, et impietatem odio prosequere. Ait enim octo Æonas (sive sæcula) ex eo genitos esse; exque illis decem; et ex illis alios duodecim, masculos et fœminas. Undenam vero horum approbatio? nugacitatem ex argumentis considera. Undenam Æonum triginta de-

[1] Joan. XVII, 25. — [2] Luc. XII, 28. — [3] Matth. V, 45.

monstrationem petis? Quia scriptum est, inquiunt, quod baptizatus est « Jesus, cum esset annorum triginta [1]. » Quodnam autem illud ex triginta annis argumentum, etiamsi verum sit quod tricesimo anno baptizatus est? Igitur et quia quinque panes in quinque millia hominum fregit [2], idcirco et quinque dii erunt? aut quia duodecim Discipulos habuit, duodecim quoque dii esse debuerunt?

XVIII. Sed hæc adhuc parva, si cum cæteris ejus impietatibus conferantur. Ait enim postremam inter Deos, quæ, ut dicere non veretur, masculo-fœmina est, ipsam esse Sapientiam. O impietatem! Christus enim est Dei sapientia [3], unigenitus Filius. At ille ad fœmineam conditionem, et ad tricesimi elementi, postremique opificii locum, Dei sapientiam suo sermone dejecit. Subjungitque Sapientiam, primum Deum intueri conatam, cum vim fulgoris ferre non posset, cecidisse de cœlis, deque tricesimo numero abjectam esse, deinde ingemuisse, suisque gemitibus diabolum procreasse; casumque suum deflendo ex lacrymis mare effecisse. Vides impietatem? quo enim modo ex sapientia diabolus generatur; et de prudentia, malitia, aut de lumine tenebræ? Addit diabolum alios genuisse, ex quibus nonnulli mundum sint fabricati; Christumque descendisse, ut homines a mundi auctore avocaret.

XIX. Audi vero quem Jesum Christum esse dicant, ut eos majore odio prosequare. Docent enim, postquam Sapientia excidisset, ne numerus triginta imperfectus remaneret, viginti novem Æonas, singulis minimum quidpiam conferentibus, ita Christum fabricatos esse; eumque rursus masculo-fœminam esse. Est-ne quidquam istis impium magis? est quidquam deploratius? Ego tibi errorem expono, ut majus in eos odium concipias. Fuge igitur impietatem: neque hujusmodi viro salutem optes [4], ne infructuosis tene-

[1] Luc. III, 23.— [2] Matth. XIV, 19, 21.— [3] 1 Cor. I, 24.— [4] 2 Joan. II.

brarum operibus communices [1] : neque curiosius anquiras, neque cum illis sermonem miscere velis.

XX. Et omnes quidem hæreticos oderis; potissimum vero eum, qui a mania et furore nomen habet : qui non ita pridem sub Probo imperatore initium habuit. Nam ante annos omnino septuaginta error ille prodivit [2] : et huc usque supersunt homines qui eum suis oculis viderunt. Sed non illum, quia paulo ante fuit, idcirco aversare; sed propter impia dogmata oderis malitiæ effectorem, omnis immunditiæ receptaculum, qui omnium hæreseon in se uno cœnum expressit. Cupiens namque in malis excellere, omnium vitia colligens, unamque blasphemiis et omni iniquitate refertam hæresim conflans; Ecclesiam, seu potius eos, qui extra Ecclesiam sunt, tanquam leo circumiens ac devorans [3], cædit perditque. Ne eorum blandiloquentiæ, fictæque modestiæ dejectionique attendite; serpentes enim sunt viperarum progenies [4]. Dicebat et Judas : « Ave Rabbi [5], » et prodebat. Ne osculis attende, sed cave a veneno.

XXI. Et ne hunc temere accusare videamur, quis sit iste Manes, et partem quamdam doctrinæ ejus, obiter exponamus. Nam totum ejus cœnum, ne universum quidem ævum pro dignitate recenseret. Ea porro memoriæ infige, ut tibi opportuno tempore subsidio sint. Quæ quidem et iis qui ante id temporis fuere, commemorata sunt; et his, qui nunc audiunt, edicentur : ut et qui nesciunt addiscant. et qui noverunt recordentur. Non est ex Christianis Manes, absit : neque, ut Simon magus, ab Ecclesia ejectus est; neque ipse, neque ii qui illum præcessere magistri. Fur enim est alienorum malorum, quæ sibi proprio vindicavit. Quo autem modo et qua ratione, jam audi.

XXII. Scythianus quidam erat in Ægypto, genere

[1] Ephes. v, 11. — [2] Anno 277. — [3] 1 Petr. v, 8. — [4] Matth. iii, 7. — [5] Id. xxvi, 49.

Saracenus, nihil commune habens sive cum christianismo, sive cum judaïsmo. Hic cum Alexandriæ degeret, et vitam imitaretur aristotelicam, quatuor libros composuit : unum quem « Evangelium » vocavit, non Christi facta continentem, sed nudum nomen ; alterum quem « Capitulorum » appellavit ; tertium, « Mysteriorum ; » et quartum quem nunc circumferunt, « Thesaurum. » Hujus discipulus erat Terebinthus nomine. Cum vero memoratus Scythianus in Judæam appulisset, regionemque inficeret, Deus, immissa homini per morbum nece, gliscentem labem compressit.

XXIII. Terebinthus autem perversitatis discipulus, auri, librorum, et hæresis hæres, cum adesset in Palæstina, atque in Judæa cognitus, et damnatus esset, in Persidem transire decrevit. Ne autem ibi etiam ex nomine agnosceretur, Buddam se, mutato nomine, dixit. Verum illic etiam adversarios habuit, Mithræ [ministros.] Multisque sermonibus ac disputationibus agitatis, convictus, et ad extremum pulsus, ad viduam quamdam confugit. Deinde ad superiorem domus partem ascendit ; et invocatis aëriis dæmonibus, quos huc usque Manichæi super abominanda sua invocant ficu ; divinitus ictus ac de tecto dejectus, animam efflavit, et ad hunc modum altera fera excisa est.

XXXIV. Verum remansere impietatis commentaria, et librorum pecuniarumque hæres vidua fuit. Quæ cum neque cognatum, neque alium quemquam haberet, statuit pecuniis emere puerum Cubricum nomine ; eumque adoptatum, Persarum disciplinis uti filium instituit ; atque in hominum perniciem exitiale telum exacuit. Ita Cubricus improbus servus inter philosophos adolevit ; ac post obitum viduæ, et pecunias, et libros hæreditatis jure possedit. Deinde vero ne probrosum ipsi foret servitutis nomen, pro Cubrico

Manem se cognominavit, quod nomen Persarum lingua dissertationem sonat. Quia enim Dialecticus sibi alicujus nominis esse videbatur, Manem se uti probum quemdam sermonum serendorum magistrum appellavit. At ille quidem eo nomine sibi juxta Persarum linguam existimationem comparare nitebatur : Dei vero providentia factum est, ut suus ipse nolens accusator evaderet; qui, dum sibi in Perside honorem conciliare putat, apud Græcos se ab insania et furore cognominet.

XXV. Dicere ausus est se ipsum esse Paracletum. Atqui scriptum est : « Quisquis blasphemaverit in Spiritum » sanctum, remissionem non habet [1]. » Blasphemavit igitur, se affirmans Spiritum sanctum. Qui cum ipsis societatem init, videat cum quibus se adjungat. Orbem totum concitavit famulus. Nam, « Per tria commovetur terra, et quar» tum sustinere non potest, si famulus regnaverit [2]. » In medium progressus, jam viribus humanis superiora pollicebatur. Æger erat filius regis Persarum, et medicorum astabat frequentia. Manes vero se per orationem, quasi pius, rem perfecturum recepit. Recessere medici, unaque abscessit pueri vita. Deprehensa hominis impietas est, ac vinculis onustus egregius ille philosophus erat ; in carcerem, non quia regem veritatis gratia reprehendisset, trusus; non quia idola confregisset; sed quia, pollicitus salutem, fefellisset : vel potius, si verum loqui volumus, quia occidisset. Hic enim, dum abigit medicos, eum, qui medicorum ope servari poterat, prætermittenda curatione leto dedit.

XXVI. Cum vero plura de homine enarrem mala, memineris primo blasphemiæ : secundo servitutis : (non quod servire dedecus sit, sed quod servo libertatem fingere pravum.) Tertio inanis et falsi promissi : quarto cædis

[1] Marc. III, 29. — [2] Prov. XXI, 21, 22.

pueri : quinto infamiæ carceris : neque ipsi tantum probro carcer fuit, verumetiam e carcere fuga. Nam aufugit ille, qui se Paracletum et veritatis propugnatorem jactabat. Non erat successor Jesu, qui prompto et alacri animo ad crucem accessit : iste ei contrarius fuga se proripuit. Tum rex Persarum, carceris custodes ad supplicium duci jussit. Per jactantiam Manes puero mortis causa fuit : idem per fugam carceris custodibus. Ergo ne adorari debet is, qui mortis causam attulit? Nonne ipsum oportuerat Jesum imitari ac dicere : « Si me quæritis, sinite hos abire [1]? » nonne oportuerat juxta Jonam dicere : « Tollite me, et » projicite in mare; propter me enim hæc orsa tempestas » est [2]? »

XXVII. Fugit e carcere, et in Mesopotamiam venit. Verum occurrit ei scutum justitiæ, Archelaüs episcopus : eumque coram philosophis judicibus arguens, collecto Gentilium auditorio, ne si Christiani judices fuissent gratificati fuisse viderentur; « Age, profer, inquit Archelaüs ad Manem, id quod prædicas. » Ille vero, cui os quasi sepulcrum patens [3], primum occœpit a blasphemia in Creatorem omnium dicens : « Veteris Testamenti Deus malorum inventor est, de se ipse aiens : « Ego ignis consumens [4]. » Tum sapiens Archelaüs blasphemiam hanc dissolvit his verbis : « Si Veteris Testamenti Deus, ut ais, ignem se appellat, cujusnam filius est qui ait : « Ignem veni mittere » in terram [5]? » Si accusas eum qui dicit : « Dominus mor- » tificat et vivificat [6]; » cur honoras Petrum, qui Tabitham excitavit e morte [7], et Sapphiram morte mulctavit [8]? Si vitio vertis, quod ignem præparavit [9], cur etiam non hunc reprehendis qui dicit : « Discedite a me in ignem

[1] Joan. xviii, 8. — [2] Jon. i, 12. — [3] Psal. v, 11. — [4] Deut. iv, 24. — [5] Luc. xii, 49. — [6] I Reg. ii, 6. — [7] Act. ix, 40. — [8] Id. v, 10. — [9] Deut. xxxii, 22.

» æternum [1]? » Si culpas eum qui ait : « Ego Deus faciens » pacem et creans mala [2], » expone quomodo Jesus dicat : « Non veni pacem mittere, sed gladium [3]. » Cum ambo paria dicant, e duobus alterum : aut uterque bonus propter similem loquendi rationem ; aut si Jesus hæc dicens a reprehensione abest, cur eum vituperas, qui in Veteri Testamento similia loquitur ? »

XXVIII. Manes hæc contra : « Et qualisnam Deus excæcat ? Pauli enim verba sunt : « In quibus Deus sæculi hujus » excæcavit cogitationes infidelium, ut non fulgeat illis illu» minatio Evangelii [4]. » Archelaüs vero præclare subjiciens : « Quæ paululum antecedunt, inquit, lege. « Quod si oper» tum est Evangelium nostrum, in iis, qui pereunt, est » opertum [5]. » Cernis in pereuntibus opertum esse. Non enim danda sunt sancta canibus [6]. Præterea, solus-ne Antiqui Testamenti Deus excæcavit cogitationes infidelium ? nonne Jesus ipse dixit : « Ideo ipsis in parabolis loquor, ut » videntes non videant [7] ? » Num ex odio volebat ut non viderent ? an potius, propter eorum indignitatem, quandoquidem oculos ipsi suos occluserant [8] ? Ubi enim voluntaria pravitas adest, ibi et gratiæ subductio. « Habenti enim da» bitur : ab eo autem, qui non habet, etiam quod habere se » putat, auferetur [9]. »

XXIX. (Si autem, quemadmodum nonnulli quoque interpretantur, illud dicendum est ; (horum enim non est illaudabilis oratio :) quamvis infidelium cogitationes excæcaverit, in bonum excæcavit, ut ad bona respiciant. Non enim dixit : « Excæcavit eorum animam ; » sed, « Infi» delium cogitationes. » Cujus dicti sensus iste est : « Excæca scortatoris scortandi cogitationes, et servatus est homo.

[1] Matth. xxv, 41.— [2] Isaï. xlv, 7.— [3] Matth. x, 34. — [4] 2 Cor. iv, 4. — [5] Ibid. 3. — [6] Matth. vii, 6. — [7] Id. xiii, 13. — [8] Luc. viii, 10, et Marc. iv, 12. — [9] Matth. xiii, 15. — [10] Id. xxv, 29.

Excæca furis rapiendi et latrocinandi ingenium, et salutem consecutus est homo. » Verum ita non vis intelligere? Est et alia interpretatio. Excæcat sol habentes obtusam oculorum aciem; et ii, qui oculorum imbecillitate laborant, vi luminis offensi excæcantur : non quod sua sponte atque natura sol inferat cæcitatem, sed quod oculorum substantia a videndo impediatur. Ad eum modum infideles, cum ægritudinem in sordibus patiantur, in Divinitatis radios inspicere non possunt. Nec dixit : « Excæcavit cogitatio» nes, ut ne audiant Evangelium : » sed « Ut non fulgeat » illis illuminatio gloriæ Evangelii Domini nostri Jesu » Christi [1]. » Nam Evangelium audire, omnibus permittitur : Evangelii vero « Gloria » solis Christi germanis sincerisque [Discipulis] reservata est. Illis quidem, qui audire non poterant [2], Dominus in parabolis loquebatur; Discipulis vero privatim parabolas edisserebat [3]. Gloriæ enim fulgor eorum est, qui sunt illuminati; excæcatio, infidelium. Hæc mysteria quæ nunc tibi patefacit Ecclesia ex catechumenorum sorte transgresso, Gentilibus exponere mos non est. Non enim gentili, quæ Patrem, Filium, et Spiritum sanctum spectant mysteria, declaramus; neque catechumenis coram de mysteriis palam loquimur : sed multa sæpe tecte dicimus, ut qui norunt fideles, intelligant; qui vero nesciunt, non lædantur.)

XXX. His, et aliis pluribus evertebatur draco : talibus Archelaüs conflictationibus Manem prostravit. Iterum inde fugit, qui et de carcere aufugerat : elapsusque adversario, venit ad vilissimum quemdam pagum; ad instar serpentis, qui in paradiso, Adamum omittens, ad Evam accessit. Sed optimus pastor Archelaüs ovibus prospiciens, audita hominis fuga, citato cursu ad lupum requirendum festinavit. Manes vero adversarium confestim conspiciens, exiliit

[1] 2 Cor. IV, 4. — [2] Matth. XIII, 13. — [3] Marc. IV, 34.

inde et aufugit; aufugit vero postremam fugam. Nam Persarum regis satellites omnibus locis perquirentes, fugitivum comprehendunt, quamque debebat coram Archelao subire sententiam, hanc ipsi inferunt regii satellites. Capitur Manes, ille quem sui adorant discipuli, et ad regem adducitur. Exprobravit ipsi rex mendacium et fugam: irrisit servitutem; ultus est pueri interemptionem: damnavit et propter carceris custodum necem. Mani jubet persico more detrahi cutem: et reliquum quidem corpus ferarum pastui traditum est; illud vero pessimæ mentis conceptaculum cutis, pro foribus in sacci modum suspensa fuit. Qui se Paracletum dicebat, et futurorum scientiam profitebatur, suam ipsius fugam comprehensionemque nescivit.

XXXI. Hujus discipuli tres fuere, Thomas, Baddas, et Hermas. Nullus, quæso, legat Evangelium secundum Thomam. Non enim est unius e duodecim Apostolis, sed unius de tribus pravis Manis discipulis. Nemo se ad corruptores animarum Manichæos applicet, qui palearum aquis jejunii austeritatem simulant. Qui ciborum conditorem calumniantur, cum se ipsi lautissimis quibusque cibis ingurgitent. Qui docent eum, qui hanc vel illam herbam evellit, in eam transmutari. Nam si is, qui herbas excindit aut aliquod olus, in hoc transformatur; agricolæ et olitores in quot mutabuntur formas? In tam multa falcem intulit olitor, ut videmus, herbarum genera; in quodnam ergo convertitur? Ridicula plane documenta, sceleris opprobriique plena. Idem homo cum opilio sit, et mactavit ovem et lupum interfecit: in quodnam horum commutatur? Multi hominum, et pisces reti, et aves glutino ceperunt; in quod igitur genus transferuntur?

XXXII. Respondeant filii desidiæ Manichæi, qui et ipsi nihil agunt, et laborantium opes comedunt. Qui afferentes

sibi cibaria, hilari arridentique vultu excipiunt; et faustarum precationum loco imprecationes rependunt. Cum enim stolidus quispiam eis obtulerit aliquid, « Paululum, inquiunt, foris consiste, et tibi benedicam. » Deinde sumpto in manus pane, (ut qui ex eis resipuere, confessi sunt) Ego te non feci, ait Manichæus pani; » et in Altissimum contumelias fundit, et imprecatur Conditori, et sic re condita vescitur. Si alimenta odisti, quare festivo vultu eum, qui tibi attulit, intuitus es? si afferenti habes gratiam, quare auctori ac conditori Deo convicium rependis? Iterumque ait : « Ego te non sevi; seratur ille qui te sevit. Ego te non messui falce; demetatur qui te messuit. Ego te igne non assavi; assetur qui te assavit. » Præclara sane meritorum remuneratio.

XXXIII. Magna illa quidem vitia, sed aliorum comparatione exigua. Lavacrum ipsorum coram viris et mulieribus enarrare non audeo. Vereor dicere, cuinam rei caricam intingentes, miseris porrigunt. Signis duntaxat detegatur. Viri, quæ in somniis illudunt cogitent; et mulieres, quæ in menstruis. Os revera polluimus ista proferentes, Numquid Gentiles istis detestabiliores? an Samaritani sceleratiores, aut impii magis Judæi? num scortatores magis impuri? Qui enim corpus stupro polluit, per unam horam libidinem explet. Mox factum condemnans se uti inquinatum balneo egere novit, commissique sui scelus et fœditatem cognoscit. Manichæus vero in medium, ut ei quidem videtur, altare isthæc imponit; linguamque et os commaculat. Ab ejuscemodi ore, o homo, doctrinam recipias? huic obviam factus omnino osculum porrigas? Annon, omissa interim reliqua impietate, vel impuritatem fugias, hominesque nebulonibus deteriores, et quovis prostibulo conscelerationes?

XXXIV. Hæc Ecclesia denuntiat, et docet, et cœnum

attingit, ne tu eodem inficiaris. Edicit vulnera, ut tu ne saucieris. Sufficiat porro tibi ista solummodo scire; experiri autem abstineto. Tonat Deus, et contremiscimus omnes; isti autem in blasphemas voces erumpunt. Fulgurat Deus, omnesque nos in terram procumbimus : illi autem de cœlis convicia jactant. Jesus ait de Patre suo : « Qui » solem suum exoriri facit super justos et injustos, et pluit » super malos et bonos [1]. » Illi autem imbres ex amatorio æstu oriri statuunt : audentque dicere esse quamdam in cœlo speciosam virginem cum juvene formoso : eos quo tempore cameli aut lupi, sua fœdæ cupidinis tempora habere. Itaque hiberno tempore hunc in virginem insano furore incurrere : illam vero fugere aiunt, istum persequi; atque inde sudorem emittere, quo ex sudore imbrem existere. Hæc in Manichæorum libris scripta sunt. Ea nos legimus, dum narrantibus nolumus fidem adhibere. Nam securitatis protectionisque vestræ causa, in illorum perniciem sollicitius inquisivimus.

XXXV. Verum nos Dominus ab tali defendat errore : eaque vobis adversus draconem inimicitia tribuatur, ut quomodo ipsi calcaneum observant, ita et vos illorum caput conculcetis [2]. Memores estote eorum, quæ vobis dicuntur. Qui concentus nostrarum rerum cum rebus illorum? quid lux cum tenebris comparata [3]? quid Ecclesiæ gravitas et sanctitas, cum Manichæorum execrandis institutis? Hic ordo, hic disciplina : hic gravitas, hic castimonia; hic vel fœminam ad libidinem aspicere piaculum est [5]. Hic connubium sanctissimum; hic continentiæ [id est, viduitatis] tolerantia; hic virginitatis cum Angelis certans dignitas. Hic ciborum cum gratiarum actione perceptio : hic gratus in universarum rerum opificem animus. Hic Pater Christi

[1] Matth. v, 45. — [2] Gen. III, 15. — [3] 2 Cor. VI, 14. — [4] Matth. v, 28.

adoratur : hic ejus, qui pluviam fundit, metus ac tremor docetur. Hic tonanti et fulguranti gloriam et honorem referimus.

XXXVI. Tu ovibus aggregare : fuge lupos; ab Ecclesia non recede. Odio habe eos etiam, qui harum aliquando rerum suspicione laboraverunt : quorum nisi pœnitentiam temporis diuturnitate compertam habueris, ne ipsis temere et inconsiderate te ipsum credas. Tradita est ibi Monarchiæ [seu unici Dei principatus] veritas. Internosce documentorum quasi herbas. « Esto bonus nummularius : » quod bonum est, retinens, et ab omni specie mala te abs» tinens [1]. » Quod si quando talis fuisti, agnitum errorem odio habe. Est enim via salutis, si vomitum evomas : si ex animo oderis; si ab iis te subtraxeris, non labiis solum, sed et anima : si adoraveris Patrem Christi, Deum legis et Prophetarum : si agnoveris bonum et justum, unum eumdemque esse Deum. Qui vos omnes conservet, ab omni casu, offendiculoque protegens, stabiles in fide : in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] 1 Thes. v, 21, 22.

CATECHESIS VII.

ILLUMINANDORUM,

Extemporalis Hierosolymæ habita de hac [Symboli] voce, PATREM. *Et lectio ex Epistola ad Ephesios :* Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur [1], etc,

ARGUMENTUM.

I. *Christiani Dei Patris fide, judæis sublimiora sentiunt.* II. *Deum Patrem esse probatur ex Veteri Testamento. — Non possumus gratiam inire cum Patre, sine Filii cultu.* IV. *Patris nomen una Filii notionem involvit, et vicissim.* V. *Deus multorum abusive pater; unius vero filii, natura.— Ab æterno pater est.—Sine sui demutatione. —Perfectus perfectum genuit.* VI. *Deus conditor cœli et terræ idem Christi Pater. — Templum hierosolymitanum, Deo Christi patri consecratum.* VII. *Ne quis Christum ejusdem cum justis hominibus dignitatis putet. — Patris nomen diversorum sensuum capax. — Deus, pater Filii per naturam, nostri per adoptionem. — A servitute in adoptionem, per Patrem, Filium et Spiritum sanctum translati sumus.* VIII. *Deus hominum pater, propter creationem.* IX. *Patris nomen in Scripturis sæpe usurpatum alieno a patre naturali sensu. — Maria Joannis mater propter amorem; et Joseph Christi pater propter ejus infantiæ curam.* X. *Deus Pater orphanorum*

[1] Ephes, III, 14.

propter protectionem.— Deus hominum pater in tempore, Filii ante tempora. XI. *Angeli Dei faciem continuo vident, sed pro ratione ordinum suorum alii aliis excellentius.* XIII. *Diabolus hominum pater per deceptionem. — Non sunt homines natura salvi, et alii natura pereuntes.* XVI. *Digna adoptione Dei opera efficienda sunt.* XV. *Honorandi quoque patres carnis nostræ.* XVI. *Christianorum prima pietas, parentum honor.*

I. De monarchia quidem [1] [seu unico principatu] Dei, sufficienter vobis diximus hesterna die. Sufficienter autem dico, non id quod argumenti dignitas postulabat; (eo enim attingere mortali naturæ prorsus impossibile) sed quantum infirmitati nostræ concessum fuit. Ac multifidi atheorum hæreticorum erroris diverticula persecutus sum. Quorum excussa colluvie, perniciali que animabus veneno; ac retentis in memoria illorum rebus, non uti lædamur, sed majus in ipsos odium concipiamus : jam ad nos ipsos revertamur, et salutifera veræ Fidei dogmata suscipiamus, monarchiæ dignitati paternam prærogativam copulantes; et credentes IN UNUM DEUM PATREM. Non enim oportet solum IN UNUM DEUM credere : verumetiam hunc Ingeniti, Domini scilicet nostri Jesu Christi, PATREM esse religiose suscipiamus.

II. Hæc enim ratione Judæis sublimiora sensuri sumus : Qui UNUM quidem DEUM esse doctrinis suis recipiunt; (quid enim, si illud quoque per idolorum cultum sæpius abnegarint?) PATREM vero illum Domini nostri Jesu Christi, non admittunt. In quo suis ipsorum Prophetis contraria sentiunt, qui in Scripturis divinis aiunt : « Dominus dixit a me : Fi» lius meus es tu, ego hodie genui te [2]. » Fremunt vero illi usque in præsentem diem, et conveniunt adversus Domi-

[1] Vide D. Guillon, tom. VIII, pag. 385-386. — [2] Psal. II, 7.

num et adversus Christum ejus [1] : existimantes amicitiam Patris citra pietatem in Filium posse se consequi. Dum ignorant, quod « Nemo venit ad Patrem, nisi per Filium [2] » dicentem : « Ego sum ostium [3]; » et « Ego sum via [4]. » Qui ergo rejicit viam quæ ducit ad Patrem, et qui ostium negat, is quomodo ingressus ad Deum honore dignabitur? Contradicunt vero iis, quæ in octogesimo-octavo Psalmo scripta sunt : « Ipse invocabit me, Pater meus es tu; Deus » meus, et susceptor salutis meæ. Et ego primogenitum po- » nam illum, excelsum præ regibus terræ [5]. » Si enim hæc in Davidem, vel Salomonem, aut successorum quempiam pronuntiata contenderint; ostendant quomodo « Thronus » ejus, » qui eorum opinione per prophetiam designatur, sit « Velut dies cœli, [6] » et « Sicut sol in conspectu Dei, et » sicut luna perfecta in æternum [7]. » Quomodo et illud non verentur quod scriptum est : « Ex utero ante luciferum » genui te [8]. » et illud : « Permanebit cum sole et ante lu- » nam generationes generationum [9]? » Quæ quidem ad hominem referre, ingratitudinis extremæ plenum atque refertum est.

III. Verum Judæi sueto incredulitatis suæ, tum in his, tum in similibus Scripturæ sententiis, quando ita volunt, morbo teneantur. Nos vero, quam docet Fides, pietatem recipiamus, Deum unum, Patrem Christi adorantes. Qui enim omnibus gignendi vim impartitur [10], illum ejusmodi dignitate fraudare impium sane fuerit. Et credamus IN UNUM DEUM PATREM; ut etiam ante disputationem a nobis, quæ de Christo plenius doceat, instituendam, Unigeniti fides audientium in anima defigatur; ne tantillum quidem ob interpositos de Patre sermones separata.

[1] Psal. I, 2. — [2] Joan. XIV, 6. — [3] Id. X, 9. — [4] Id. XIV, 6. — [5] Psal. LXXXVIII, 27, 28.— [6] Ibid. 30.— [7] Ibid. 38.— [8] Id. CIV, 3.— [9] Id. LXXI, 5. — [10] Isaï. LXVI, 9.

IV. Patris enim nomen sua ipsius appellatione, filii notitiam simul subjicit animo : quemadmodum similiter qui filium nominavit, statim quoque patrem cogitatione complexus est. Si enim pater, omnino filii pater est : et si filius, omnino patris filius. Ut ne igitur, ex eo quod dicimus : IN UNUM DEUM, PATREM OMNIPOTENTEM ; FACTOREM COELI ET TERRÆ, VISIBILIUM OMNIUM ET INVISIBILIUM : posteaque subjungimus : ET IN UNUM DOMINUM JESUM CHRISTUM ; suspicetur quispiam minus sancte Unigenitum loco et ordine posteriorem esse cœlo et terra : idcirco, priusquam utrumque nominaremus, Deum appellavimus PATREM ; ut simul ac Pater cogitatur, eodem actu Filium cogitemus : Filium enim ac Patrem nihil prorsus eorum, quæ sunt, medium interest.

V. Est igitur Deus, multorum quidem abusive pater ; unius vero solius, Unigeniti filii dominique nostri Jesu Christi, natura et veritate pater. Non temporum successu adeptus ut pater sit, sed Unigeniti pater sempiterno existens. Non enim, cum esset antea sine prole, postea mutata sententia factus est pater : verum ante omnem substantiam et ante sensum omnem, ante tempora et sæcula omnia, paternam dignitatem habet Deus : qua magis quam reliquis omnibus titulis gaudet. Non ex passione [ac demutatione sui] factus est pater ; non ex complexu ; non per ignorantiam, non fluxionem passus, non diminutus, non alteratus. « Omne enim donum perfectum desursum est, descendens » a patre luminum ; apud quem non est transmutatio vel » conversionis obumbratio [1]. » Pater perfectus perfectum genuit filium. Omnia contradens ei quam genuit : « Omnia » enim mihi tradita sunt, inquit, a Patre meo [2]. » Et ab Unigenito honoratur pater : « Ego enim, inquit Filius, ho» noro Patrem [3]. » et rursus : « Sicut ego præcepta Patris

[1] Jacob. I, 17. — [2] Matth. XI, 27. — [3] Joan. VIII, 49.

» mei servavi, et maneo in ejus dilectione [1]. » Dicimus igitur et nos simul cum Apostolo : « Benedictus Deus, et pater » Domini nostri Jesu Christi; pater misericordiarum, et » Deus totius consolationis [2]. » et « Flectimus genua ad Pa» trem, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nomi» natur [3] : » glorificantes ipsum una cum Unigenito. « Qui » enim negat Patrem, et Filium negat [4]. » Rursus vero : « Qui » confitetur Filium, et Patrem habet [5]. » Cognoscentes, « Quod Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris [6]. »

IV. Adoramus igitur Patrem Christi, cœli et terræ conditorem, Deum Abraham, Isaac et Jacob [7]; cujus in honorem prius illud, hic nobis ex adverso oppositum templum constructum fuit. Non enim feremus hæreticos, qui Vetus Testamentum abscindunt a Novo; sed Christo auscultabimus dicenti de templo : « Nesciebatis quod in his, » quæ patris mei sunt, oportet me esse [8]? » et rursus : « Auferte ista hinc, et ne faciatis domum Patris mei, do» mum negotiationis [9] » Quibus verbis prius illud in Hierosolymis templum, patris sui domum esse evidentissime confessus est. Quod si quis præ infidelitate plures adhuc, quod Christi pater idem sit ac mundi Conditor, demonstrationes accipere avet; audiat iterum dicentem ipsum : « Nonne duo passeres asse væneunt? et unus ex illis non » cadet super terram, sine Patre meo qui est in cœlis [10]. » Et : « Respicite ad volatilia cœli; quia non seminant, neque » metunt, neque congregant in horrea; et Pater vester » cœlestis alit illa [11]. « Et illud : « Pater meus usque modo » operatur, et ego operor [12]. »

VII. Sed ne quis ex simplicitate aut versuta improbitate,

[1] Joan. xv, 10.— [2] 2 Cor. I, 3.— [3] Ephes. III, 14, 15.— [4] 1 Joan. II, 22. — [5] Ibid. 23. — [6] Philip. II, 11. — [7] Exod. III, 6.— [8] Luc. II, 49. — [9] Joan. II, 16. — [10] Matth. x, 29. — [11] Id. VI, 26. — [12] Joan. v, 17.

Christum ejusdem cum hominibus justis dignitatis esse suspicetur, ex eo quod dicat : « Ascendo ad Patrem meum, » et Patrem vestrum [1] : » Optimum fuerit illud præmunire, quod « Patris » quidem unum est nomen, significationis vero vis multiplex. Quam ille rem notam habens, caute dixit : « Vado ad Patrem meum, et Patrem vestrum. » Non dixit : « ad Patrem nostrum. » Sed divisione adhibita, primum edixit quod sibi proprium est, « Ad Patrem meum, » id quod nimirum natura erat ; tum subjunxit, « Et Patrem » vestrum, » quod erat per adoptionem. Tametsi enim concessum nobis est in precibus præcipue dicere : « Pater » noster, qui es in cœlis [2] ; » id tamen ex benignitate munus est. Neque enim, uti ex Patre qui in cœlis est naturaliter geniti, patrem ipsum vocamus ; sed a servitute in adoptionem, Patris gratia, per Filium et Spiritum sanctum, translatis, ineffabili bonitate ita dicere nobis conceditur.

VIII. Quod si quis discere voluerit, quomodo nos Deum appellamus Patrem ; audiat ille optimum pædadogum Mosen, aientem : « Nonne ille ipse pater tuus possedit te, » et fecit te, et creavit te [3] ? » Et Hesaïam prophetam : « Et » nunc, Domine, pater noster tu ; nos autem lutum, opera » manuum tuarum omnes [4]. » Manifestissime declaravit prophetica gratia, [seu gratia per Prophetam loquens] quod non natura, sed Dei gratia et adoptione, patrem eum vocamus.

IX. Et ut accuratius cognoscas, quod non ubique in divinis Scripturis pater naturalis solum, appellatur pater ; audi Paulum dicentem : « Si enim decem millia pædago» gorum habeatis in Christo, sed non multos patres ; in » Christo enim Jesu per Evangelium ego vos genui [5]. » Non eo quod secundum carnem genuisset, sed quod docuisset et

[1] Joan. xx, 17. — [2] Matth. vi, 9. — [3] Deut. xxxii, 6. — [4] Isaï. xxiv, 8. — [5] 1 Cor. iv, 15.

secundum Spiritum regenerasset, Paulus Corinthiorum pater erat. Audi quoque et Job dicentem : « Pater eram » imbecillium [1]. » Patrem enim se ipsum appellavit, non quia omnes genuisset, sed quod curam suscepisset. Quin ipse unigenitus Filius Dei, quo tempore cruci secundum carnem affixus erat, Mariam videns sui ipsius ratione carnis matrem, et Joannem Discipulorum charissimum; ad ipsum quidem ait : « Ecce mater tua [2]; » ad Mariam vero : « Ecce filius tuus [3]; » quam deberet [illa in posterum Joanni exhibere] charitatem docens. Quibus verbis oblique expedivit illud quod a Luca dictum est : « Et erat pater » ejus et mater ejus admirantes [4]. » Quam vocem arripiunt hæretici ipsum ex viro ac muliere natum prædicantes. Quemadmodum enim Maria Joannis mater dicitur propter charitatem, non vero quod genuisset; ita Joseph pater Christi dictus est, non ratione generationis : « (Non enim » cognovit eam, juxta Evangelium, donec peperit filium » suum primogenitum [5]), » sed ratione curæ in alendo educandoque collatæ.

X. Hoc itaque vobis nunc obiter velut admonitionis gratia dictum sit. Adjiciamus autem et aliud testimonium, ad demonstrandum Deum hominum patrem abusive dici. Cum enim in Hesaïa ad Deum dicatur : « Tu enim es pater » noster, quoniam Abraham non novit eos, et Sara non » parturivit nos [6]; » est-ne quidquam de hoc quærendum præterea? Quod si Psaltes dicat : « Turbentur a facie ejus, » patris orphanorum et judicis viduarum [7]; » numquid non omnibus manifestum est, quod cum orphanorum, qui recens patres proprios amiserunt, pater dicitur Deus, non idcirco quod ex se genuerit, sed quod curam et defensionem eorumdem suscipiat, ita appellatus sit. Hominum itaque,

[1] Job. XXIX, 16. — [2] Joan. XIX, 27. — [3] Ibid. 26. — [4] Luc. II, 33. — [5] Matth. I, 25. — [6] Isaï. LXIII, 16. — [7] Psal. LXVII, 6.

ut dictum est, abusive pater est; solius vero Christi Deus pater est secundum naturam, non autem secundum adoptionem. Et hominum quidem in tempore pater est; Christi vero ante tempora, quemadmodum ipse ait : « Et nunc » glorifica me tu, Pater, apud temetipsum, gloria quam » habui, priusquam mundus esset, apud te [1]. »

XI. Credimus igitur IN UNUM DEUM PATREM, investigabilem et inenarrabilem; quem nemo quidem hominum vidit, Unigenitus vero solus enarravit [2]. « Qui enim est » ex Deo, hic vidit Deum [3]. » Cujus faciem Angeli continuo vident in cœlis [4]. Vident autem, unusquisque secundum proprii ordinis et loci mensuram. Purus vero paterni splendoris contuitus, proprie ac sincere Filio una cum Spiritu sancto reservatus est.

XII. Cum ad hunc locum devenerit oratio, eorum, quæ paulo ante dicebamus, quod Deus hominum pater appellaretur, recordatione pulsatus, magnopere hominum ingratitudinem obstupesco. Deus enimvero ineffabili bonitate hominum pater dici voluit; qui in cœlis est, degentium in terra; sæculorum effector, horum qui in temporibus existunt; qui terram in pugillo continet [5], eorum qui super terram instar locustarum sunt [6]. Homo vero, cœlesti patre derelicto, ligno dixit : « Pater meus es tu; » et lapidi : « Tu me genuisti [7]. » Et propterea, ut mihi quidem videtur, humanam naturam sic alloquitur Psaltes : « Et obli- » viscere populum tuum, et domum patris tui [8]; » quem elegisti patrem, quem ad interitum tibi accivisti.

XIII. Nec solum ligna et lapides, verumetiam ipsum Satanam animarum perditorem, in patrem elegerunt nonnulli; quos increpans Dominus aiebat : « Vos opera patris

[1] Joan. XVII, 5. — [2] Id. I, 18. — [3] Id. VI, 46. — [4] Matth. XVIII, 10. — [5] Isaï. XL, 12. — [6] Ibid. 22. — [7] Jer. II, 27. — [8] Psal. XLIV, 11.

» vestri facitis [1]. » Diaboli scilicet, qui hominum non natura, sed deceptione pater est. Quemadmodum enim, propter institutionem piam Paulus Corinthiorum dicebatur pater [2]; sic et diabolus eorum, qui ex voluntate cum illo currunt, pater appellatur [3]. Haud enim patiemur illos, qui prave interpretantur eam sententiam : « Ex hoc cognos- » cimus filios Dei, et filios diaboli [4]; » quasi existant inter homines nonnulli, qui natura aut salvi sint aut pereant. Non enim ex necessitate, sed ex libero animi decreto ad sanctam hujusmodi adoptionem provehimur. Neque ex natura proditor Judas [5], diaboli et perditionis filius fuit [6]; alioqui nullatenus ab initio in nomine Christi dæmonas ejecisset, Satanas enim Satanam non ejicit [7]; neque vicissim Paulus, ex persecutore in præconem mutatus fuisset. Sed voluntaria plane est adoptio, velut ait Joannes : « Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem » filios Dei fieri, his qui credunt in nomen ejus [8]. » Non enim prius quam crederent, sed ex fide, filii Dei fieri libero plane arbitrio digni habiti sunt.

XIV. Hoc itaque cognoscentes spiritaliter conversemur, ut adoptione divina digni efficiamur. « Quicumque enim » Spiritu Dei aguntur, isti sunt filii Dei [9]. » Nihil enim proderit nobis Christianorum appellationem adeptos esse, nisi et opera consequantur. Ne forte et nobis illud dicatur : « Si filii Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis [10]. » Si enim patrem invocamus eum, qui sine ullo ad personas respectu judicat secundum uniuscujusque opus [11], in timore incolatus nostri tempore conversemur; non diligentes mundum, neque ea quæ in mundo sunt [12]. Si quis enim

[1] Joan. VIII, 41. — [2] 1 Cor. IV, 15. — [3] Psal. XLIX, 18. — [4] Joan. III, 10. — [5] Luc. VI, 16. — [6] Joan. XVII, 12. — [7] Marc. III, 23. — [8] Joan. I, 12. — [9] Rom. VIII, 14. — [10] Joan. VIII, 39. — [11] 1 Petr. I, 17. — [12] 1 Joan. II, 15.

diligit mundum, non est dilectio Patris in illo [1]. Itaque, dilecti filii, gloriam Patri, qui in cœlis est, per opera afferamus : « Ut videant opera nostra bona, et glorificent Pa-» trem nostrum qui in cœlis est [2]. » Omnem sollicitudinem nostram in illum projiciamus [3]; scit enim Pater noster, quibus rebus indigemus [4].

XV. Honorantes vero cœlestem Patrem, carnis quoque nostræ patres honore prosequamur [5]; quandoquidem aperte in lege et Prophetis Dominus ipse definivit, aiens : « Ho-» nora patrem tuum et matrem tuam, ut bene sit tibi, et » longævus eris super terram [6]. » Ac mandatum istud audiant præsertim ex astantibus ii qui patres et matres habent. « Filii, obedite parentibus vestris in omnibus : hoc » enim beneplacitum est Domino [7]. » Non enim dixit Dominus : « Qui amat patrem aut matrem, non est me di-» gnus [8]; » ne id quod scriptum esset bene, tu ex ignorantia interpretareris prave; verum addidit : « Super me [9]. » Quando enim Patri, qui in cœlis est, versantes in terra patres contraria senserint, tunc est huic dicto obsequendum; quando vero illis nullum nobis ad pietatem impedimentum afferentibus, nos ingrati animi furore abrepti, collatorumque ab ipsis in nos benefactorum immemores, eosdem habemus despectui; tunc locus est illi sententiæ : « Qui maledixerit » patri vel matri, morte moriatur [10]. »

XVI. Christianorum prima est in virtutis loco pietas, honorare parentes; eorum, qui vitam nobis dederunt, labores remunerare; atque omni studio, quæcumque ad illos sublevandos pertinent conferre. Nam etiamsi illis multa refuderimus, nunquam tamen illos, uti nos genuere, vi-

[1] Joan. II, 15. — [2] Matth. v, 16. — [3] I Petr. v, 7. — [4] Matth. VI, 8. — [5] Hebr. XII, 9. — [6] Exod. XX, 12. — [7] Ephes. VI, 1. — [8] Matth. X, 37. — [9] Ibid. — [10] Exod. XXI, 17. Levit. XX, 9, et Matth. XV, 4.

cissim generare poterimus. Scilicet ut ipsi procurato per nos solatio fruentes [1], nos illis stabiliant benedictionibus, quas supplantator Jacob prudenter præripuit [2] : bonam vero voluntatem nostram cœlestis Pater gratam habens, dignos nos efficiat, qui tanquam sol splendeamus cum justis in regno Patris nostri [3] : cui gloria, cum Unigenito et Servatore Jesu Christo, et cum sancto vivificoque Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Eccli. III, 6 et 9.— [2] Gen. XXVII, 37.— [3] Matth. XIII, 43.

CATECHESIS VIII [1].

ILLUMINANDORUM,

Hierosolymæ ex tempore dicta, in illud OMNIPOTENTEM, [*id est, omnia sub imperio tenentem.*] *Et lectio ex Jeremia* : Deus magnus, et fortis Dominus; magnus consilio, et potens operibus, omnipotens, magni nominis Dominus [2], etc.

ARGUMENTUM.

I. *Omnia sub imperio continet Deus.* II. *Gentiles, qui Deum animam mundi dixere. — Qui providentiam cælo conclusere.* III. *Hæretici, qui alterum corporis, alterum animæ Dominum dicunt, Dei omnipotentiam negant.* IV. *Omnibus Deus dominatur, sed multa tolerat volens. — Diabolo Deus vivere concessit, ut et ipse ab hominibus victus verecundia afficiatur, et homines vincentes coronentur. — Joseph rex Ægypti. — Diabolus olim Archangelus.* V. *Solus Filius et Spiritus sanctus extra Dei servitutem positi : imo per eos cætera Domino serviunt. — Reges non regnant nisi ex arbitrio Dei.* VI. *Divitiæ diaboli non sunt. — Divitiæ non sunt vituperandæ, si recte utaris.* VII. *Divitiarum neque servum esse oportet, nec inimicum.* VIII. *Hæreticorum Deo conviciantium scelus.*

I. Per id [3], quod credimus IN UNUM DEUM, omnem plu-

[1] Habita est die subsequenti post præcedentem. — [2] Jer. XXXII, juxta Vulg. et XXXIX, juxta LXX, edit. Rom. 18, 19. — [3] Vide D. Guillon, tom. VIII, pag. 386-387.

rium deorum errorem excindimus, his armis adversus Gentiles, et omnem ex adverso oppositam vim hæreticorum, utentes. Per illud vero quod adjungimus, IN UNUM DEUM PATREM, adversus eos, qui ex circumcisione sunt, qui negant unigenitum Filium Dei, pugnamus. Nam, ut dictum est hesterna die, ante etiam quam explanaverimus ea quæ ad Dominum nostrum Jesum Christum respiciunt; eo solo quod diximus, PATER, jam quod filii sit pater significavimus : ut sicut intelligimus quod Deus sit, ita et quod filium habeat recogitemus. His vero illud quoque adjungimus quod OMNIPOTENS sit, [seu omnia sub imperio contineat,] quod quidem et propter Gentiles simul, et Judæos, et omnes hæreticos affirmamus.

II. Nam Gentilium nonnulli animam mundi Deum esse dixerunt. Alii quoque, potestatem ejus in cœlum tantum, non autem ad terram usque pertendere. Aliqui etiam simili cum illis errore abducti, pronuntiato hoc abutentes : « Et » veritas tua usque ad nubes [1], » ausi sunt Dei providentiam nubibus ac cœlo circumscribere, quæque in terra sunt a Deo abalienare. Immemores scilicet Psalmi aientis ; « Si » ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in in» fernum, ades [2]. » Nam si cœlo sublimius nihil est, cum infernus terra profundior sit, profecto qui inferiora occupat, terram quoque ipsam attingit.

III. Hæretici rursum, sicut anterius dictum est, unum Deum omnipotentem non novere. Omnipotens siquidem est qui omnibus dominatur, suæque habet subjecta potestati, Illi vero, qui unum quidem animæ dominum, alium vero quempiam corporis dicunt; neutrum eorum perfectum affirmant, quod eorum uterque altera re deficiatur. Qui enim habet animæ potestatem, corporis non habet, qua ratione omnipotens? qui vero in corpora dominatur, in spi-

[1] Psal. XXXV, 5, LVI, 11, et CVII, 5. — [2] Psal. CXXXVIII, 8.

ritus vero nequaquam, quomodo omnipotens? Atqui illos Dominus convincit, dum e contrario ait : « Timete potius » eum, qui potest et animam et corpus perdere in ge» henna [1]. » Si enim utrorumque potestatem non habet, quomodo utraque supplicio subjicit Domini nostri Jesu Christi pater? nam quî poterit alienum a suo jure corpus invadens, in gehennam tradere, nisi primum ligaverit fortem, et vasa ejus diripuerit [2]?

IV. At divina Scriptura, et veritatis dogmata unum Deum norunt, qui omnia quidem potestatis imperio subjecta tenet, multa vero perfert quia vult. Nam et in idolorum cultores imperium exercet, verum sustinet propter patientiam. Hæreticos quoque, qui eum abjiciunt, habet sub potestate; sed longanimitate tolerat. Diabolum quoque habet subjectum, sed ex tolerantia patitur : nec enim per impotentiam quasi superatus patitur. Principium enim est formationis Domini, factus ut illudatur [3], non ab ipso, indignus est enim, sed ab Angelis, qui ab ipso sunt facti. Vivere vero ei indulsit duabus de causis : ut et ipse majori verecundia afficiatur superatus, et homines coronis illustrentur. O sapientiæ plenam providentiam Dei! quæ pravam illam voluntatem ad fidelium salutis instrumentum assumit. Ut enim inimica fratrum Josephi voluntate, ad executionem consiliorum suorum usus est; fratremque ab eis ex odio vænumdari sinens, inde occasionem cepit eum, quem volebat, regem constituendi : sic diabolo luctari concessit, ut coronarentur ii, qui vincerent; et ut, adepta victoria, ille quidem uti ab inferioribus devictus majori dedecore cooperiretur; homines vero insigniter nobilitarentur, eo, qui Archangelus olim fuisset, triumphato.

V. Nihil ergo Dei potestati subtractum est. De illo enim

[1] Matth. x, 28. — [2] Id. xii, 29. — [3] Job. xl, 14.

ait Scriptura : « Quoniam omnia serva sunt tua [1]. » Omnia quidem serva sunt illi : unus porro ac solus ejus Filius, et unus sanctus ejus Spiritus extra hæc « Omnia » sunt positi. Et « Omnia illa quæ serva sunt, » per unum Filium in sancto Spiritu serviunt Domino. Omnibus ergo dominatur Deus; perfertque et homicidas, et fures, et scortatores per patientiam; præstituto tempore, quo unicuique pro meritis reddet : ut acceptis diuturni temporis induciis, cor tamen ad pœnitentiam non flectentes, gravius condemnentur. Hominum reges sunt, ii qui in terris regnant : haud tamen absque supernæ potestatis arbitrio. Id olim experimento cognovit Nabuchodonosor, cum dixit : « Quoniam regnum ejus, regnum æternum ; et potestas ejus in » omnem generationem ac generationem [2]. »

VI. Divitiæ, aurum, et argentum diaboli non sunt, ut existimatur a nonnullis. Fidelis enim viri totus mundus » divitiarum est ; infidelis vero ne obolus quidem [3] : » atqui diabolo nihil infidelius; et diserte per Prophetam dicit Deus : « Meum est aurum et meum argentum [4], et cui volo » ipsum dono [5]. » Fac solum utaris bene; nec amplius vituperandum argentum est. Quando vero tu re bona uteris male, tum nolens ipse administrationem tuam criminari, impie in Conditorem querimoniam confers. Potest quis etiam per pecunias justitiam adipisci. « Esurivi, et dedistis » mihi manducare [6] : » non dubium quin ex pecuniis. « Nudus eram, et cooperuistis me [7] : » nimirum pecuniarum interventu. Et vis nosse quod cœlestis regni janua fieri possint pecuniæ? « Vende, inquit, quæ habes, et da » pauperibus, et habebis thesaurum in cœlis [8]. »

VII. Hæc vero a me sunt dicta propter hæreticos, qui

[1] Psal. CXVIII, 91. — [2] Dan. IV, 32, juxta Vulg. — [3] Prov. XVII, 6. — [4] Agg. II, 8, sec. LXX, et 9 in Vulg. — [5] Luc. IV, 6. — [6] Matth. XXV, 35. — [7] Ibid. 36. — [8] Id. XIX, 21.

anathemate damnant et possessiones, et pecunias, et corpora. Nam neque te divitiarum servum esse volo; neque iterum quasi inimicas spectare, quæ tibi in adjumentum a Deo sunt datæ. Ne quando igitur dicas diaboli esse pecunias; tametsi enim dicat: « Hæc omnia tibi dabo [1], quia » mihi tradita sunt [2]; » potest tamen quis vel orationem ejus refutare, quoniam mendaci credendum non sit. Fortassis vero, ejus qui aderat potestate coactus, verum dixit. Non enim ait: « Hæc omnia tibi dabo, » quoniam mea sunt, sed, « Quoniam mihi sunt tradita. » Non enim dominium usurpavit; sed commissa, et administratione tenus sibi concredita, professus est. Quærant vero opportune explanatores, mentiatur-ne, an vera dicat.

VIII. Est itaque unus Deus, pater, omnipotens; quem hæretici conviciis appetere ausi sunt. Non enim veriti sunt conviciari Domino Sabaoth, sedenti super Cherubim [3]. Ausi sunt blasphemiis infamare « Adonaï » Dominum. Non timuerunt blasphemiis onerare eum, qui Prophetarum vocibus celebratur, omnipotentem Deum. Tu vero unum adora omnipotentem Deum, patrem Domini nostri Jesu Christi [4]. Fuge plurium deorum errorem; fuge et hæresim omnem, et dic juxta Jobum: « Dominum autem omnipo» tentem invocabo, qui facit magna et investigabilia, glo» riosa et excellentia, quorum non est numerus [5]; » et « Propter hæc omnia, honor ab Omnipotente [6]. » Cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. IV, 5. — [2] Luc. IV, 6. — [3] Isaï. VI, 3. Psal. LXXIX, 2, 3. — [4] Rom. XV, 6. — [5] Job. V, 8, 9. — [6] Id. XXXVII, 22.

CATECHESIS IX.

ILLUMINANDORUM,

Hierosolymis ex tempore pronuntiata, in illud : FACTOREM CŒLI ET TERRÆ, VISIBILIUM OMNIUM ET INVISIBILIUM. *Et lectio ex Job* : Quis est iste qui me celat consilium, et continet verba in corde; mihi vero se abscondere putat [1]?

ARGUMENTUM.

I. *Carnis oculis Deum videre impossibile.* II. *Potestatem Dei ex ejus operibus æstimare possumus. — Tanto major apparet Deus, quanto perfectior habetur creaturarum notitia.* III. *Deus incomprehensus. — Cherubim ab Ezechiele conspecta, licet ab eo descripta, cogitatione informare non possumus.* IV. *Deus pater Christi, creator cœli et terræ.* V. *Admirabilis hujus mundi structura. — Cœlum ex aqua. — Cœlum apte ad terras irrigandas compositum.* VI. *Solis fabrica, et cursus.— Dies et noctes alternis crescunt et decrescunt.* VII. *Non alius lucis, et alius tenebrarum conditor. — Noctium utilitas. — Noctibus divina meditamur, vel legimus; canimus Psalmos, et fundimus preces.* VIII. *Stellarum fabricatio, et ordinati cursus. — Stellarum varii ad vitam usus. — Solis crepusculum.* IX. *Imbrium et nubium admirabilitas. — Ventorum, glacici, nivis et nebularum productiones.— Aquæ pluvialis in omnium plantarum genera transmu-*

[1] Job. XXXVIII, 2.

tatio. X. *Piscium et volucrum origo, una, et similitudo.* XI. *Maris magnitudo, profunditas, et stati limites.* XII. *Volucrum diversitates.* XIII. *Animalium proprietates humanorum affectuum symbola.* XIV. *Non inutilia ea, quorum vim et proprietates ignoramus. — Ex ipsis viperis antidota conficiuntur. — Diversæ animalium vires.* XV. *Ex humani corporis fabrica Deus auctor agnoscitur.* XVI. *Conclusio ad laudem Dei invitans.*

I. Carnis quidem oculis [1] Deum cernere impossibile est; quod enim incorporeum est, sub carnis oculos cadere non potest. Quod et ipse testificatus est unigenitus Filius Dei, aiens : « Deum nemo vidit unquam [2]. » Nam etiamsi quis illud quod in Ezechiele scriptum est, ita interpretetur quasi viderit Ezechiel; verum [audiat] quid dicit Scriptura. Vidit « Similitudinem gloriæ Domini [3]; » non ipsum Dominum, sed « Similitudinem gloriæ, » neque ipsam gloriam, ut revera est. At vero intuitus similitudinem gloriæ solum, non autem gloriam ipsam, procidit in terram præ metu [4]. Quod si similitudo gloriæ conspecta, timorem æstuationemque Prophetis injiciebat; Deum sane ipsum si quis intueri conaretur, vitam amitteret, juxta illud : « Nemo » videbit faciem meam, et vivet [5]. » Hujus rei gratia, Deus ex bonitate sua maxima cœlum Divinitati suæ pro velo prætendit, ne periremus. Non est meus hic sermo, sed Prophetæ inquientis : « Si aperueris cœlos, tremor ex te » apprehendet montes, et liquefient [6]. » Quid vero miraris si Ezechiel similitudinem gloriæ conspicatus procubuit? quandoquidem Danieli visus est Gabriel servus Dei, ac statim consternatus est animo, et in faciem procidit; nec respondere ausus est Propheta, donec sese Angelus in simi-

[1] Vide D. Guillon, tom. VIII, pag. 388-391. — [2] Joan. I, 18. — [3] Ezech. II, 1. — [4] Ibid. — [5] Exod. XXXIII, 20. — [6] Isaï. LXIV, 1.

litudinem Filii hominis coactus transformasset [1]. Si Gabrielis conspectus tremorem incutiebat Prophetis, Deus ipse, si, ut erat, conspicuum se præbuisset, nonne omnes interissent?

II. Divinam itaque naturam corporeis oculis conspici non datur; ex operibus vero divinis possumus potestatis ejus cogitationem assequi, juxta Salomonem, qui ait : « Nam » ex magnitudine et pulchritudine creaturarum, propor- » tione servata procreator earum conspicitur [2]. » Non enim ait ex creaturis procreatorem cerni, sed addidit : « propor- » tione servata. » Tanto namque major unicuique apparet Deus, quanto sublimiorem homo creaturarum contemplationem fuerit assecutus. Cumque animum majori contemplatione subvexerit, majorem quoque de Deo sibi notitiam ac speciem informat.

III. Vis tu cognoscere quod naturam Dei comprehendere possibile non sit? Tres illi in camino ignis pueri, Deum laudibus celebrantes dicunt : « Benedictus es, qui intueris » abyssos, sedens super Cherubim [3]. » Dic mihi, quæso, quæ sit Cherubim natura; tuncque eum, qui super illos sedet, considerato. Atqui Ezechiel propheta horùm descriptionem, quatenus fieri poterat, expressit, dicens : « Quatuor vultus uni [4]; primus quidem hominis [5], alter leonis, aquilæ tertius, postremus vituli; et sex pennæ uni [6]; et oculi eis undique [7]; et sub unoquoque rota quadripartita subjecta [8]. Nihilominus post eam descriptionem Prophetæ, nondum etiam legendo possumus cogitatione complecti. Quod si solium, quod explanavit ille, comprehendere non possumus; cum, qui illi insidet, invisibilem ineffabilemque Deum quomodo comprehendere poterimus? Naturam quidem

[1] Dan. VIII, 17, X, 15-16. — [2] Sap. XIII, 5. — [3] Dan. III, 55. — [4] Ezech. I, 6. — [5] Ibid. 10. — [6] Isaï. VI, 2, et Apoc. VII, 8. — [7] Ezech. X, 12. — [8] Id. I, 15, 17, et X, 2, 9.

Dei intime scrutari impossibile est. At eum ex iis, quæ conspicimus, ejus operibus, glorificationibus et honore prosequi possibile.

IV. Hæc autem vobis propter Fidei [1] consequentiam ordinemque dicuntur: et quia ita dicimus : « CREDIMUS IN UNUM DEUM, PATREM OMNIPOTENTEM; FACTOREM CŒLI ET TERRÆ, VISIBILIUM OMNIUM ET INVISIBILIUM : ut meminerimus eumdem esse patrem Domini nostri Jesu Christi, et eumdem esse qui fecit cœlum et terram. Utque nosmetipsos præmuniamus, propter alienorum Deo hæreticorum deflexiones, qui sapientissimo totius hujusce mundi conditori obloqui sunt ausi; qui carnis quidem oculis vident, mentis vero oculis destituuntur.

V. Quid enim habent, quod in hoc maximo Dei opificio criminentur? quos oportebat conspectis cœlorum convexitatibus stupore percelli; eum adorare, qui cœlum statuit quasi fornicem [2]; qui de fluxa aquarum natura, ruere nesciam cœli substantiam efformavit. Dixit enim Deus : « Fiat firmamentum in medio aquæ [3]. » Dixit Deus semel; et stat, nec cadit. Cœlum, aqua est; flammeæ vero naturæ, quæ in ipso infixa sunt, sol, et luna, et sidera. Et quonam modo in aqua discurrunt igneæ species? Si quis vero propter contrarias ignis et aquæ naturas in dubitationem adducatur, meminerit ignis illius qui Mosis tempore in Ægypto ardebat in grandine [4]. Sapientissimam quoque Dei in condendo dispositionem consideret. Nam cum aquis opus esset terræ in posterum exercendæ, aquosum in sublimi comparavit cœlum; ut cum imbrium irrigatione telluris regio indigeret, ad id ex natura sua promptum paratumque cœlum esset.

VI. Quid vero? nonne admirari oportet eum, qui in solis

[1] *Id est* Symboli. — [2] Isaï. XL, 22. — [3] Gen. I, 6. — [4] Exod. IX, 23.

fabricam inspexerit? nam modici instar vasis apparens [1], vim ingentem complectitur; ab Oriente apparens, et in Occidentem usque lumen emittens. Cujus matutinos exortus describens Psalmidicus aiebat : « Et ipse tanquam » sponsus procedens de thalamo suo [2]. » Blande enim splendentem ac temperatum prioris ejus, qua lucere incipit hominibus, formæ modum describebàt. Meridianas quippe perequitantem illum plagas, propter nimium fervorem persæpe fugimus. In exortu vero suo recreat omnes, quando « Uti sponsus » apparet. Ipsius porro aptam dispositionem considera; (quanquam non ipsius, sed illius magis qui illi cursum suo mandato definivit.) Quomodo æstate sublimior factus, longiores efficit dies, opportunitatem tribuens hominibus ad opera; hyeme vero cursum contrahit, ut, non equidem frigoris tempus longius producatur; sed uti noctes longiores factæ cum hominibus ad levamentum, tum vero telluri ad fructuum proventus ferendos, adjumento sint. Vide etiam quomodo dies sibi invicem concedant ordine apto; æstate crescunt, hyeme vero contrahuntur, vere autem atque autumno parem intervallorum mensuram sibi mutuo gratificantur; item noctes similia faciunt. Ita ut de illis Psalmista dicat : « Dies diei eructat verbum, et nox » nocti indicat scientiam [3]. » Aures enim non habentibus hæreticis velut inclamant, ac per concinnum suum ordinem dicunt non alium quempiam esse Deum præter conditorem ac finitorem, qui universa coordinavit.

VII. Nemo autem ferat quosdam qui dicunt alium esse lucis conditorem, alium tenebrarum. Meminerit enim Esaïæ dicentis : « Ego Deus qui feci lumen, et tenebras » creavi [4]. » Quid illis succenses, o homo? quare fers graviter tempus tibi ad requietem datum? Nullam famulus ab

[1] Eccli. XLIII, 2. — [2] Psal. XVIII, 6. — [3] Ibid. 3. — [4] Id. XLV, 7.

heris consequeretur levationem laborum, nisi tenebræ necessario inducias afferrent. Quomodo persæpe diurno labore fatigati, noctibus renovamur; quique hesterno die in laboribus fuit, mane robustus et alacer propter noctis relaxationem efficitur? Quid vero nocte ad sapientiam conducibilius? in ipsa enim persæpe quæ ad Deum spectant cogitatione volvimus. In ea divinorum oraculorum lectioni contemplationique vacamus. Quandonam ad Psalmos canendos, aut fundendam precem majori contentione enititur mens nostra? annon noctu? Quando autem sæpius in mentem venit peccatorum nostrorum? nonne in nocte? Ne igitur alium tenebrarum auctorem esse, perverse admittamus. Eas enim quoque et bonas et utilissimas esse experientia demonstrat.

VIII. Oportebat vero ipsos, non solis, et lunæ tantum fabricam stupere atque mirari; sed etiam stellarum ordinatas choreas, liberosque nullo interturbante cursus, ac tempestivos singularum exortus. Et quonam modo aliæ æstatis, aliæ hyemis signa sunt; aliæ serendi tempora indicant, aliæ navigandi initium significant; atque homo in navigio sedens, inque immensum extensis fluctibus navigans, in stellas inspiciens navem dirigit. De his enim rebus præclare ait Scriptura : « Et sint in signa, et in tempora, » et in annos [1]; » non in astrologiæ et genituræ fabulas. Porro adverte quam pulchre nobis [Deus] diurnam lucem per incrementa gratificatus est. Haud enim simul ac repente solem oriri videmus; sed præcurrit exiguum quoddam lumen, ut præparata per expectationem pupilla majorem radii vim possit intueri. Illud quoque considera, quomodo noctis tenebras lunarium splendorum solatio mitigarit.

IX. Quis est pluviæ pater? quis stillas peperit roris [2]? quis aërem in nubes concretum coëgit, et imbrium aquas

[1] Gen. I, 14. — [2] Job. XXXVIII, 28.

sustinere jussit? et nonnunquam ab aquilone nubes aureo splendore fulgentes advehit [1]; interdum vero in unam speciem formamque transmutans, iterum in varias orbium, alteriusque generis figuras transfert? Quis est qui possit numerare nubes sapientia? qua de re apud Jobum dicitur: « Novit vero discrimina nubium [2]. Cœlum autem in ter» ram inclinavit [3]; » et, « Qui numerat nubes sapientia. » Et, « Non est effracta nubes sub eo [4]. » Tot enim aquarum mensuræ nubibus incumbunt, nec rumpuntur; sed composito prorsus ordine in terram defluunt. Quis est qui educit ventos de thesauris illorum [5]? quis, inquam, est, ut ante diximus, qui roris guttas peperit? Cujusnam vero ex utero glacies emergit [6]? aquosa enim ejus substantia est, lapidea vero ejus proprietas. Et interdum quidem aqua efficitur nix sicut lana; alias vero subservit ei qui nebulam sicut cinerem spargit [7]; aliquando autem in lapidosam substantiam convertitur; quandoquidem aquam subigit et gubernat quomodo libuerit. Uniusmodi ejus natura est; et multiplici potestate prædita, ejus efficientia. Aqua, in vitibus vinum est, quod lætificat cor hominis; oleum est in oleis, quod faciem hominis nitentem reddit; in panem quoque convertitur, qui cor hominis confirmat [8]; et in omnigena fructuum opificia.

X. Ob hæc quid præstandum fuit? conviciandus rerum Opifex, annon potius adorandus? necdum interim sapientiæ ejus arcana loquor. Ver mihi contempleris, velim, et omnigenos flores in similitudine discrimina sua retinentes; rosæ ruborem, et lilii candorem maximum. Ex uno enim imbre, et una humo isthæc prodeuntia, quis discriminat, quis construit? Consideres, velim, accuratam solertiam. Ex una

[1] Job. XXXVII, 22.— [2] Ibid. 16.— [3] Id. XXXVIII, 37.— [4] Id. XXVI, 8 — [5] Psal. CXXXIV, 8. — [6] Job. XXXVIII, 28. — [7] Psal. CXLVII, 16, vel potius 5. — [8] Id. CIII, 15.

arboris substantia, aliud quidem in umbraculum, aliud vero in diversos fructus dispertitum est, et unus est artifex. Unius vitis alia pars in combustionem abit, alia in propagines, alia in frondium sylvam, alia in capreolos, alia denique in uvam. Arundinis quoque obstupesce densissimum internodiorum ambitum quem effecit artifex. Ex una tellure serpentes prodeunt, feræ, jumenta, ligna, esculenta, aurum, argentum, æs, ferrum, lapis. Una est aquarum substantia; et ex ea natantium animalium, et volucrum, et avium genus existit; ita ut, quemadmodum illa in aquis natant, sic et aves in aëre volitent.

XI. Hoc mare magnum et spatiosum, illic reptilia quorum non est numerus [1]. » Quis degentium in ipso piscium pulchritudinem exponere valeat? quis cetorum magnitudinem, et amphibiorum animantium naturam, quomodo et in arida tellure, et in aquis degunt? Quis exponat maris profunditatem et latitudinem, aut fluctuum immensum se efferentium impetus? Illud tamen intra defixos sibi limites consistit propter eum qui ipsi dixit : « Huc usque venies, » nec prætergrediere; sed in te ipso conterentur fluctus » tui [2]. » Quod quidem [elementum] impositum sibi mandatum perspicue declarat; dum excurrens descriptam fluctibus suis conspicuam quamdam in littoribus relinquit lineam; videntibus quasi significans se constitutos limites prætergressum non esse.

XII. Quis potest aëriarum volucrum naturam speculari? quomodo aliæ quidem linguam circumferunt canendi peritam; aliæ in pennis omni picturarum genere variegatæ sunt; aliæ supervolantes in medium aëra stant immobiles, uti accipiter; nam Dei mandato « Accipiter expansis alis » immotus stat, australes mundi partes conspiciens [3]. » Quis hominum potest aquilam cernere in sublime elatam [4]?

[1] Psal. CIII, 25. — [2] Job. XXXVIII, 11. — [3] Id. XXXIX, 26. — [4] Ibid. 27.

Quod si avium eam, quæ abest a ratione longissime, in sublime raptam cogitatione assequi non potes; quonam modo rerum omnium factorem vis mente comprehendere?

XIII. Quis ex hominibus ferarum omnium vel nuda scivit nomina; aut quis singularum naturam et vim potest perspectam habere? Quod si ferarum ne quidem duntaxat nomina novimus, quomodo auctorem ipsarum comprehendemus? Unum Dei præceptum fuit, quo dixit : « Producat » terra feras, et jumenta, et reptilia secundum genus » suum [1]. » Diversæque animalium naturæ, uno mandato, ex uno fonte prodierunt; ovis mansuetissima, leo carnivorus; et diversi irrationabilium animantium motus, qui humanorum affectuum diversitates imitantur. Ita ut vulpes dolosam hominum vafritiem exprimat; serpens, amicos virulentis jaculis ferientes; equus adhinniens [2], libidinosos adolescentes. Formica vero actuosissima [ad hoc comparata est,] ut desidem et pigrum extimulet. Quando enim quis inertem et otiosam agit juventutem, tum ab animantibus ratione destitutis eruditur, increpitus a Scriptura dicente : « Vade ad formicam, o piger, et æmulare videns » vias ejus, estoque illa sapientior [3]. » Cum enim videris illam sibi opportuno tempore cibos recondentem, imitare; et bonorum operum fructus tibi ipse in futura sæcula, velut in thesaurum colligito. Et iterum : « Perge ad apem, et » disce quam operosa sit [4]; » quomodo omnium generum flores circumcursans, mel tibi ad utilitatem conficit; ut et tu divinas Scripturas circumiens, tuam ipsius salutem prehenses; et illis exsatiatus dicas : « Quam dulcia faucibus » meis eloquia tua! super mel et favum ori meo [5]. »

XIV. Numquid ergo non glorificatione potius opifex dignus? Quid enim, etiamsi tu naturam non noris omnium,

[1] Gen. I, 24, 25. — [2] Jer. V, 8. — [3] Prov. VI, 6. — [4] Ibid. 8, secundum LXX. — [5] Psal. CXVIII, 103.

idcirco-ne otiosa sunt quæ quidem creata fuere? Potes-ne herbarum omnium vires animo complecti? aut potes omnem, quæ ex quovis animali prodit, utilitatem addiscere? Jamvero ex ipsis venenatis viperis profecta sunt mortalibus ad salutem antidota. Dices vero mihi: « At horrendus est anguis. » Time Dominum, et tibi nocere non poterit. » Scorpius pungendo valet; » Dominum verere, teque ille non punget. « Leo sanguinis vorax; Dominum time, et ut olim Danieli sic tibi assidebit [1]. Vere autem admirandæ animalium ipsorum vires. Quomodo alia, sicut scorpius in aculeis acumen habeant; aliorum vis posita sit in dentibus, alia unguibus depugnent; basilico demum in aspectu sit [nocendi] potestas. Ex diversa igitur opificii ratione, efficaciam Opificis intellige.

XV. At hæc tibi fortasse nota non sunt. Nihil tibi cum animalibus, quæ extra te sunt posita, commune, in te ipsum superest ut ingrediare, et ex tua ipsius natura artificem nosce. Quidnam in tuo corpore reprehensione dignum conditum est? Te ipsum contine, nihilque pravum ex omnibus membris existet. Ab initio nudus erat Adam cum Eva in paradiso; nec propter membra opprobrio ac rejectione dignus erat. Non igitur membra peccati sunt causa, sed ii qui membris male utuntur; sapiens vero, artifex membrorum. Quis est qui ad liberorum procreationem uteri cava præparavit? quis inanimatum fœtum in ipso animavit? quis nervis et ossibus nos connexuit, pellemque et carnem circumduxit [2]; et simul atque natus est infans, ex uberibus lactis fontes expromit? Quomodo infans in puerum crescit, ex puero in juvenem, deinde in virum, et idem rursus in senem mutatur; nemine quid quaque die mutationis præcise fiat, deprehendente? Quomodo alimentum partim quidem in sanguinem convertitur, partim vero in

[1] Dan. VI, 18. — [2] Job. X, 11.

excrementum secernitur, partim in carnem transmutatur? Quis est qui indeficienti cor agitat motu? qui oculorum teneritudinem palpebrarum amplexu tam sapienter munivit? Nam de varia et admirabili oculorum structura, vix grandes medicorum sufficienter edisserunt libri. Quis unicam respirationem in totum corpus distribuit? Vides homo artificem, vides sapientem conditorem.

XVI. Hæc nunc tibi sermo noster fusius explanavit; prætermissis multis, et aliis innumerabilibus rebus, maxime incorporeis et invisibilibus; ut eos odio prosequaris qui sapientem bonumque artificem conviciis proscindunt : et ex his quæ dicta lectaque sunt, quæque ipse reperire aut cogitare poteris, ex magnitudine et pulchritudine creaturarum [1], proportione servata, auctorem ipsarum conspicias : pieque flectens genu coram universorum factore, sensibilium dico et intelligibilium, visibilium et invisibilium; grata memorique, ac benedicenti lingua, labiis non deficientibus et corde laudes Deum, dicens : « Quam admirabilia sunt » opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti [2]. » Te enim decet honor, gloria et magnificentia, et nunc, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Sap. XIII, 5. — [2] Psal. CIII, 24.

CATECHESIS X.

ILLUMINANDORUM,

In illud : Et in unum Dominum Jesum Christum. *Et lectio ex prima ad Corinthios Epistola :* Nam etsi sunt qui dicantur Dii, sive in cœlo : sive super terram : nobis tamen unus est Deus, Pater, ex quo omnia et nos in ipsum; et unus Dominus, Jesus Christus, per quem omnia et nos per ipsum [1]; *et quæ sequuntur.*

ARGUMENTUM.

I. *Non est Patris notitia, nec ad eum accessus nisi per Filium.* II. *Cultum Deus non admittit separatum a Filii cultu.* III. *Unum dicimus Christum, quare? —Multa Filii nomina, non idcirco diversus.* IV. *De nomine Filii et de ejus appellationibus.* V. *Salvator sese ad varias hominum necessitates attemperat. — Christus est Dominus, sed longe excellentiori modo quam homines.* VI. *Filius est etiam ante incarnationem Christus Dominus. — Filius Divinitatis dignitatem una cum Patre obtinet. — Homo non Dei solius, sed etiam Christi opus est. — Christus visus est Moysi.* VII. *Prophetæ Christum videbant quantum quisque capere poterat. — Divinitatis faciem nemo vivus videre potest.* VIII. *Apud Patrem erat Dominus Jesus Christus.* IX. *Alia ejusdem veritatis demonstratio.* X. *Omnia prorsus Filii dominationi subjecta.* XI. *Duo nomina Domini,* Jesus *et* Christus; *primum, quia salvat :*

[1] 1 Cor. VIII, 5, 6.

secundum, quia sacerdos est. — Duo Christi typi Aaron et Josuë. — Josuë Christi typus in multis. XII *De nomine Jesu.* XIII. *Jesus hebraïce servatorem, græce sanantem sonat. — Corpore ægros ad se confugientes sanat Christus.* — XIV. *De nomine Christi. — Christi sacerdotium nec incœpit, nec unquam desiturum est.—Christus sacerdos ante sæcula.* XV. *Christus de nomine appellatus a Prophetis.—Agnitus ab ipsis dæmonibus.* XVI. *Christus nomen suum nobis communicavit. — Christianorum nomen novum quidem, sed prænuntiatum et benedictum.* XVII. *Christi nomen prædicarunt Apostoli.—Ipse etiam, qui persecutor extiterat, Paulus.* XVIII. *Cur plura Pauli quam cæterum Apostolorum scripta?* XIX. *Conglobata de Christo testimonia. — Lignum crucis Hierosolymis conspiciebatur. — Persæ et Gothi conversi, et pro Christo morientes. — Exhortatio ad fidem, et bona odera.*

I. Qui [1] IN UNUM DEUM PATREM OMNIPOTENTEM credere edocti sunt, IN UNIGENITUM quoque FILIUM credere debent. Qui enim negat Filium, neque Patrem habet. « Ego » sum ostium [2], » ait Jesus. « Nemo venit ad Patrem, nisi » per me [3]. » Si ostium negaveris, præclusa tibi est ad Patrem [ducens] cognitio. « Nemo novit Patrem, nisi Filius, » et cui Filius revelarit [4], » nam si eum, qui revelat, negaveris, mansurus es in ignorantia. Sententia est in Evangeliis aiens : « Qui non credit in Filium, non videbit vitam; sed » ira Dei manet super eum [5]. » Indignatur enim Pater, dum Filius ejus unigenitus honore privatur. Grave quidem regi est, si quis vel militem solummodo contumeliose habuerit : cum vero aliquis ex honoratioribus, sive satellitibus, sive amicis, indecore habitus fuerit, ira major accenditur : at si

[1] Vide D. Guillon, tom. VIII, pag. 391-397. — [2] 1 Joan. II, 23. — [3] Joan. x, 9. — [4] Id. XIV, 6. — [5] Matth. XI, 27. — [6] Joan. III, 36.

quis ipsum unicum regis filium contumelia affecerit, ecquis patrem unigeniti filii causa commotum leniet atque exorabit?

II. Si quis igitur pius in Deum esse velit, Filium adoret; alioqui cultum ejus non est admissurus Pater. Pater e cœlo acclamavit dicens : « Hic est Filius meus dilectus in quo » mihi bene complacui [1]. » In Filio complacitum est Patri, nisi tibi quoque complaceat, vitam non es habiturus. Ne te una cum Judæis pessum abripi patiare, qui improbe vafreque aiunt : « Unus est Deus solus. Sed una cum ea cognitione, quod unus est Deus, agnosce simul esse unigenitum Filium Dei. Non ego primus hoc dixi, sed Psaltes ex persona Filii ait : « Dominus dixit ad me : Filius meus es tu [2]. » Ne itaque ad id quod Judæi dicunt, sed ad id Prophetæ loquuntur, attende. Miraris si despiciunt Prophetarum voces, qui ipsos Prophetas lapidarunt, et neci dederunt?

III. Tu crede IN UNUM DOMINUM JESUM CHRISTUM, FILIUM DEI UNIGENITUM. « Unum » vero dicimus Dominum Jesum Christum, ut unica sit filietas. Unum dicimus, ne alium suspicere. Unum dicimus, ne enuntiatam multis nominibus illius efficientiam, multos in filios impie diffundas. Dicitur enim janua [3]; verum ne ligneam, ex hac appellatione, januam esse putes; sed rationabilem, viventem, et ingredientium discrimen facientem. Via vocatur [4]; non quæ pedibus conculcetur, sed quæ ad cœlestem Patrem ducat. Ovis vocatur [5]; non irrationabilis, sed quæ per pretiosum sanguinem suum orbem a peccatis mundat; quæ coram tondente ducitur [6], et cognoscit quandonam silere præstet. Ovis illa rursum pastor appellatur, qui ait : « Ego sum » pastor bonus [7]; » ovis propter humanam naturam, pastor propter Divinitatis benignitatem. Vis autem nosse quod ra-

[1] Matth. III, 17. — [2] Psal. II, 7. — [3] Joan. X, 7. — [4] Id, XIV, 6. — [5] Act. VIII, 32. — [6] Isaï. LIII, 7. — [7] Joan. X, 11.

tionales sint oves? Dicit Apostolis Servator : « Ecce ego » mitto vos sicut oves in medio luporum [1]. » Leo iterum nominatur [2]; non vorator hominum : sed ea appellatione naturæ propriæ regiam dignitatem, firmumque ac confidentiæ plenum robur veluti commonstrans. Leo quoque dicitur, ut opponatur leoni adversario rugenti [3], et errore deceptos devoranti. Venit enim Salvator, non suæ naturæ mansuetudinem demutans, sed tanquam leo potens de tribu Juda [4], credentibus quidem salutem afferens, adversarium vero proculcans. Lapis appellatur [5], non inanimus; et humanis manibus excisus [6]; sed lapis angularis [7], in quem si quis crediderit, non confundetur.

IV. Christus vocatur [8]; non humanis linitus manibus, sed æternum a Patre in sacerdotium humanis rebus superius perunctus [9]. Mortuus nominatur [10], non permanens inter mortuos, ut [reliqui] omnes in inferno; sed solus in mortuis liber [11]. Filius hominis dicitur [12] : non ut nostrum unusquisque nativitatem consecutus e terra, sed venturus in nubibus judicare vivos et mortuos [13]. Dominus vocatur [14]; non abusive, ut ii qui in hominibus sunt : sed tamquam naturalem et æternum habens dominatum. Jesus nominatur [15] congruo sibi nomine, ab salutari medicina appellationem habens. Filius vocitatur [16]; non per adoptionem promotus, sed naturaliter genitus. Et multæ sunt sane nostri Servatoris appellationes. Ut ne igitur appellationum multitudo multorum tibi filiorum opinionem efficiat; et propter errores hæreticorum, qui alium esse Christum di-

[1] Matth. x, 16.— [2] Apoc. v, 5, ex Gen XLIX, 9.— [3] 1 Petr. v, 8. — [4] Apoc. v, 5. — [5] Psal. CXVII, 22, et 1 Petr. II, 4. — [6] Dan. II, 34.— [7] Isaï. XXVIII, 16. — [8] Matth. I, 16. — [9] Act. IV, 27, et Hebr. V, 5. — [10] Apoc. I, 18. — [11] Psal. LXXXVII, 5. — [12] Matth. XVI, 13. — [13] Id. XXIV, 30. — [14] Luc. II, 11. — [15] Matth. I, 21. — [16] Id. III, 17, et Psal. II, 7.

cunt, alium Jesum, alium ostium, et sic de reliquis : præmunit te Fides recte habens; IN UNUM DOMINUM JESUM CHRISTUM. Quamvis enim nuncupationes sint numero multæ, una tamen iis omnibus subjecta res est.

V. Unicuique vero secundum quod ipsi conducit, varius Salvator efficitur. Quibus lætitia opus est, illis vinea fit : iis qui ingredi opus habent, ostium : iis qui preces offerendas habent, constitutus est mediator summus sacerdos [1]. Rursus habentibus peccata fit ovis, ut pro ipsis mactetur. Omnibus efficitur omnia [2], manens ipse secundum naturam id quod est. Manens enim, et vere nulli obnoxiam conversioni filii dignitatem obtinens, optimus tanquam medicus compatiensque magister, ad nostras sese demittit infirmitates. Cum sit Dominus secundum veritatem : non ex profectu adeptus id quod dominus est, sed ex natura dominatus dignitatem habens. Non abusive instar nostri Dominus appellatus, sed veritate dominus existens; quandoquidem nutu Patris propriis dominatur opificiis. Nos quidem jus dominii exercemus in homines nobis honore pares, et iisdem affectionibus obnoxios; sæpe etiam in majores natu; ac juvenis non raro herus famulis imperat senioribus. At in Domino nostro Jesu Christo non est hujusmodi dominii ratio; primum enim factor [ac auctor est,] postea Dominus; prius voluntate Patris fecit omnia, deinde in res a se factas dominatur.

VI. « Christus Dominus est ille, qui natus est in civi» tate David [3]. » Vis vero addiscere quod cum Patre etiam ante inhumanationem est Christus Dominus; ut non solum fide recipias id quod dicitur, verumetiam demonstrationem habeas ex Veteri Testamento? Accede ad primum librum, qui Genesis est. Ait Deus : « Faciamus hominem, » non, ad

[1] Joan. XV, 1. 1 Tim. II, 5, et Hebr. VII, 26. — [2] 1 Cor. IX, 22. — [3] Luc. II, 11.

imaginem meam; sed, « Ad imaginem nostram. » Et postquam factus esset Adam, dicit : « Et fecit Deus hominem, » ad imaginem Dei fecit illum [1]. » Nec enim ad Patrem solum Divinitatis dignitatem restrinxit, verum una etiam Filium comprehendit : ut declararetur hominem non solius Dei opus esse, sed domini quoque nostri Jesu Christi, qui et ipse verus est Deus. Hic ipse Dominus, qui cum Patre cooperatur, cooperatus est et circa Sodoma, juxta Scripturam aientem : « Et Dominus pluit super Sodoma et Gomorrha, » ignem et sulphur, a Domino de cœlo [2]. Iste rursus Dominus Moysi visus est [3], quantum hic videre potuit. Benignus enim est Dominus, semper ad nostras infirmitates sese indulgenter demittens.

VII. Et ut noveris ipsum esse qui Moysi apparuit, accipe testimonium Pauli dicentis : « Bibebant enim de spiritali » consequente petra : petra autem erat Christus [4], » et iterum : « Fide Moyses reliquit Ægyptum [5], » et post pauca dicit : « Majores divitias arbitratus probrum Christi quam » Ægypti thesauros [6]. » Iste Moyses ad eum dicit : « Ostende » mihi te ipsum. » Vides-ne quod et tunc Prophetæ Christum videbant, verum quantum quisque capiebant. « Ostende » mihi te ipsum, scienter videam te [7]. » Ille autem ait : « Nemo videbit faciem meam, et vivet [8]. » Propterea sane, quod Divinitatis faciem vivens nullus videre poterat, humanitatis faciem assumpsit, ut hanc videntes viveremus. Imo et quando eam ipsam cum modica quadam dignitate ostendere voluit, cum scilicet vultus ejus resplenduit ut sol, Discipuli procumbunt timore conterriti [9]. Si igitur corporis facies splendescens non quantum poterat qui id operabatur, sed quantum ferre poterant Discipuli, ipsos nihilo-

[1] Gen. 1, 26, 27. — [2] Id. XIX, 24. — [3] Exod. III, 2, 6, et XXXIV, 5, 6. — [4] 1 Cor. X, 4. — [5] Hebr. XI, 27. — [6] Ibid. 26. — [7] Exod. XXXIII, 13. — [8] Ibid. 20. — [9] Matth. XVII, 2 et 6.

minus conterruit, nec sustinere potuerunt : quomodo in ipsam quis Deitatis majestatem posset inspicere ? Magnum quiddam, inquit Dominus, concupisces, o Moyses; inexpletum tamen desiderium tuum approbo, « Et hoc verbum » tibi faciam [1]; » verum ita ut tu capere potes. « Ecce pono » te in foramen petræ [2], » ut enim parvus es, in modica circumscriptione manebis.

VIII. Hic jam mihi propter Judæos, quod dicendum est tuto observa. Propositum namque nobis erat demonstrare quod apud Patrem erat Dominus Jesus Christus. Ait igitur Dominus ad Moysen : « Ego præteribo prior te gloria mea, » et vocabo in nomine Domini coram te [3]. » Qui ipse Dominus est, qualem vocat Dominum ? Cernis, quomodo obscure docuit piam de Patre et Filio doctrinam. Et rursus in consequentibus ipsis verbis scriptum habetur : « Et descendit Dominus in nube, et præsens ibi fuit illi, et vocavit » nomine Domini; et præterivit Dominus ante faciem ejus, » et vocavit : Dominus, Dominus misericors et clemens, » longanimis et multæ misericordiæ et verus; et justitiam » custodiens, et faciens misericordiam in millia, auferens » iniquitates et injustitias et peccata [4]. » Deinde in consequentibus procumbens Moyses et adorans coram Domino qui vocabat Patrem, dicit : « Una autem gradiaris, Domine, » nobiscum. »

IX. Habes primam hanc demonstrationem; aliam evidentem accipe. « Dixit Dominus Domino meo ; Sede a dex» tris meis [5]. Dominus hæc dicit « Domino, » non servo ; sed Domino quidem omnium sui autem Filio, cui « Omnia sub» jecit. Quando autem dicit, quod omnia subjecta sunt ei, » sine dubio præter eum qui subjecit ei omnia : » et quæ sequuntur; « Ut sit Deus omnia in omnibus [6]. » Omnium Do-

[1] Exod. XXXIII, 17.— [2] Ibid. 22.— [3] Ibid. 19.— [4] Id. XXXIV, 5-9. — [5] Psal. CIX, 1. — [6] 1 Cor. XV, 27, 28.

minus est unigenitus Filius : Filius vero est Patris, ipsi morem gerens; qui dominatum non usurpavit, sed a spontaneo ac volente naturaliter accepit; neque enim Filius rapuit, neque Pater Filio dominii traditionem invidit. Ipse est qui ait : « Omnia mihi tradita sunt a Patre meo [1], » tradita vero non quasi prius carenti mihi : et pulchre custodio, non privans largitorem.

X. Dominus est igitur Filius Dei; Dominus natus in Bethlehem Judææ, juxta Angeli ad pastores verba : « Evangelizo vobis gaudium magnum, quod natus est vobis » Christus Dominus hodie in civitate David [2]. » De quo alibi dicit quidam Apostolorum : « Sermonem quem misit filiis » Israël, evangelizans pacem per Jesum Christum : Is est » omnium Dominus [3]. » Quando autem dicit, « Omnium, » nihil prorsus ejus dominio subtrahe. Sive enim Angeli, sive Archangeli, « Sive Principatus, sive Potestates [4]; » sive aliud quidpiam e rebus factis quod ab Apostolis nominetur; omnia sunt Filii dominationi subjecta. Angelorum est dominus, sicut habes in Evangeliis : « Tunc recessit » diabolus ab eo, et Angeli accesserunt et ministrabant » ei [5], » non enim ait : « Opitulabantur ei; » sed, « Ministrabant ei, » quod servilis officii est. Cum esset ille ex virgine nasciturus, subservivit tunc Gabriel [6], propria sibi dignitate functus ut ei subserviret. Ipso in Ægyptum profecturo, ut manufacta Ægypti [numina] dirueret [7]; iterum Angelus in somnis apparet Josepho [8]. Crucifixus cum resurrexisset, Angelus annuntiavit, et seduli instar famuli dixit mulieribus ; « Profectæ, dicite Discipulis ejus quod » resurrexit, et præcedit vos in Galilæam; ecce dixi vobis [9]. » Quasi diceret : « Non præterivi mandatum : hoc

[1] Matth. XI, 27. — [2] Luc. II, 10. — [3] Act. X, 36. — [4] Coloss. I, 16. Ephes. I, 21.— [5] Matth. IV, 11.— [6] Luc. I, 26.— [7] Isaï. XIX, 1. — [8] Matth. II, 13. — [9] Id. XXVIII, 7.

testificor [me] dixisse vobis; ut, si neglexeritis, nulla mei, sed eorum qui neglexerit, sit culpa. » Iste igitur est, unus ille Dominus Jesus Christus, de quo etiam modo audita lectio hæc verba continet : « Nam etsi sunt qui di- » cantur dii multi, sive in cœlo, sive super terram, » et cætera, « Nobis tamen unus est Deus, Pater, ex quo omnia et » nos in ipsum : et unus Dominus, Jesus Christus, per » quem omnia et nos per ipsum [1]. »

XI. Jesus autem Christus duplici vocabulo nuncupatur : « Jesus, » quia salutem dat; « Christus, » quia sacerdotio fungitur. Quod apprime sciens divinus propheta Moyses, duobus viris omnium selectissimis duas illas appellationes largitus est : alterum quidem, Ausen sui principatus successorem [2], mutato nomine « Jesum » appellans; proprio vero fratri Aaroni, « Christi » nomen adjungens [3]; ut per duos eximios homines, conjunctas in futuro uno Jesu Christo regiam et pontificiam potestatem repræsentaret. Christus enim instar Aaronis summus est pontifex : siquidem « Non sibimet sumpsit ut pontifex fieret, sed qui locutus » est ad eum : Tu es sacerdos in æternum, secundum or- » dinem Melchisedech [4]. » Typum vero gessit illius in multis Jesus Nave filius; sui enim in populum principatus exordium fecit a Jordane [5], unde et Christus baptismo suscepto evangelizare cœpit [6]. Duodecim Nave filius hæreditatis divisores constituit [7] : et duodecim Apostolos veritatis præcones in totum orbem mittit Jesus [8]. Rahab meretricem quæ crediderat typicus ille servavit [9] : verus autem dicit : « Ecce publicani et meretrices præcedunt vos in regnum » Dei [10]. » Jubilo solum adhibito prostrata sunt sub illo ty-

[1] I Cor. VIII, 5, 6.— [2] Num. XIII, 17.— [3] Levit. IV, 5.— [4] Hebr. V, 5. — [5] Jos. III, 1. — [6] Matth. III, 13. — [7] Jos. XIV, 1, 2, et Num. XXXIV, 17 et seq. — [8] Matth. XXVIII, 16 et seq. — [9] Jos. VI, 5, et Hebr. XI, 31. — [10] Matth. XXI, 31.

pico Hierichuntinæ urbis mœnia [1] : et propter hunc Jesu sermonem, « Non relinquetur hic lapis super lapidem [2]; cecidit hoc quod nobis ex adverso est, Judæorum templum; non quod ea sententia fuerit ei cadendi causa; sed eam ruinam peccatum impiorum attraxit.

XII. Unus est Dominus Jesus Christus, nomen admirabile a Prophetis oblique prænuntiatum. Ait enim Hesaïas propheta : « Ecce Salvator tibi advenit, habens mercedem » suam [3]. » « Jesus » autem apud Hebræos interpretatur « Salvator. » At Judæorum in Domini cædem furentem animum prævidens prophetica gratia, appellationem ejus obtexit; ne si palam prius cognita fuisset, paratius insidiarentur. Jesus vero manifeste vocatus est, non ab hominibus, sed ab Angelo, qui non sua auctoritate veniens, sed divina potestate missus ait Josepho : « Ne timeas assumere » Mariam conjugem tuam. Quod enim in ea natum est, de » Spiritu sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen » ejus Jesum [4]. » Cujus appellationis causam reddens, illico subjicit : « Ipse enim salvum faciet populum suum a pec» catis eorum [5]. » Qui nondum natus est, quomodo populum habeat, concipe; nisi esset antequam nasceretur. Et hoc est quod ex ejus persona dicit Propheta : « De ventre » matris meæ vocavit nomen meum [6]; quia nempe prædixit Angelus ipsum vocatum iri Jesum. Iterumque de Herodis insidiis ait : « Sub tegumento manus suæ abscondit » me [7]. »

XIII. Jesus itaque juxta Hebræos « Salvatorem » sonat, in lingua vero græca, « Eum qui sanat. » Quandoquidem animarum est et corporum medicus, et spirituum curator : eos quidem qui sensibilibus oculis cæci sunt sanans, mentibus vero etiam lumen inducens : claudorum visibilium

[1] Jos. VI, 20. — [2] Matth. XXIV, 2. — [3] Isaï. LXII, 11. — [4] Matth. I, 20, 21. — [5] Ibid. — [6] Isaï. XLIX, 1. — [7] Ibid. 2.

medicus, peccatorumque pedes ad pœnitentiam dirigens. Qui dicit paralytico : « Ne amplius pecces; » et, « Tolle » grabatum tuum, et ambula [1]. » Quoniam enim propter animæ peccatum, paralysi traditum corpus fuerat; prius curavit animam, ut deinde corpori quoque afferret medicinam. Si cujus igitur mens peccatorum ægritudine teneatur, medicum habet. Si quis hic est modicæ fidei, dicat illi : « Adjuva incredulitatem meam.[2] » Si quis etiam corporeis occupatus est morbis, ne diffidat, sed accedat (his enim etiam medetur) et noverit quod Jesus est Christus.

XIV. Judæi enim illum Jesum esse ultro concedunt, Christum vero etiam esse inficiantur. Propterea dicit Apostolus : « Quis est mendax, nisi qui negat quod Jesus sit » Christus [3]? » Christus autem est summus sacerdos, non transferendum habens sacerdotium : qui neque in tempore sacerdos esse cœpit, neque alterum habet pontificatus sui successorem : quemadmodum nos Dominica die in synaxi disserentes audivistis [4], in illud : « Secundum ordinem Mel» chisedech [5]. » Non ex corporea successione adeptus pontificium, neque factitio oleo unctus; sed ante sæcula a Patre : et tanto excellentior aliis, quod cum jurejurando sacerdos est. « Alii enim sine jurejurando sunt sacerdotes, » hic autem cum jurejurando, per eum qui dicit : Juravit » Dominus, et non pœnitebit eum [6]. » Sufficiebat quidem ad rei securitatem sola Patris voluntas : duplicata vero securitatis ratio est, juramenti ad voluntatem accessio : « Ut per » duas res immutabiles, in quibus impossibile est mentiri » Deum, firmam fidei consolationem habeamus [7], » nos qui Christum Jesum Dei filium recipimus.

[1] Joan. v, 8 et 14. — [2] Marc. ix, 23. — [3] Joan. ii, 22. — [4] Hæc homilia non extat. Forte nunquam scripta. — [5] Psal. cix, 4, et Hebr. v, 6. — [6] Hebr. vii, 20, 21, et Psal. cix, 4. — [7] Hebr. vi, 18.

XV. Hunc Christum quando advenit negavere Judæi [1], dæmones vero confessi sunt [2]. Sed non ignorabat illum patriarcha David, cum diceret : « Paravi lucernam Christo »meo [3]. » Alii quidem lucernam interpretati sunt de prophetiæ splendore. Alii vero per lucernam, assumptam ex virgine carnem intellexere, juxta illud quod apud Apostolum est : « Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus [4]. » Non ignorabat hunc Propheta qui aiebat : « Et »annuntians hominibus Christum suum [5]. » Noverat illum et Moyses; noverat Esaïas; noverat et Hieremias. Nemo illum ex Prophetis ignoravit. Agnoverunt eum ipsi quoque dæmones. « Increpabat enim ipsos; » et additur, « Quia »noverant ipsum esse Christum [6] ». Principes sacerdotum ignoravere, et confessi sunt dæmones. Principes sacerdotum ignorabant, et Samaritana mulier prædicabat dicens : « Venite, videte hominem qui dixit mihi omnia quæ»cumque feci. Nonne hic est Christus [7] ? »

XVI. Hic Jesus Christus est qui advenit pontifex futurorum bonorum [8], qui propter Deitatis suæ munificentiam, nobiscum omnibus suam appellationem communicavit. Reges homines, non communicatam cæteris habent regiæ dignitatis appellationem. Jesus vero Christus Dei Filius cum sit, Christianorum nos appellari dignatus est nomine. Verum, inquiet aliquis, novum est Christianorum nomen, et ante hæc inauditum. Novis autem rebus sæpe propter ipsam novitatem contradicitur. Præoccupavit hoc Propheta inquiens : « Servientibus mihi imponetur nomen novum, » quod benedicetur super terram [9]. » Quæramus ex Judæis : Servitis Domino, necne? ostendite igitur mihi nomen vestrum novum. Judæi enim et Israëlitæ vocabamini tum

[1] Job. XIX, 15. — [2] Luc. IV, 41. — [3] Psal. CXXXI, 17. — [4] 2 Cor. IV, 7. — [5] Amos. IV, 13. — [6] Luc. IV, 41. — [7] Joan. IV, 29. — [8] Hebr. IX, 11. — [9] Isaï. LXV, 15, 16.

Mosis et aliorum Prophetarum tempore, tum post reditum e Babylone, et ad hæc usque tempora. Ubinam igitur novum nomen? Nos autem, quandoquidem Domino servimus, novum habemus nomen. « Novum » illud quidem : novum tamen nomen, « Quod benedicetur super terram ; » terram universam corripuit hoc nomen. Judæi siquidem unius regionis finibus determinati : Christiani vero ad fines terræ propagati : quod enim annuntiatur, unigeniti filii Dei est nomen.

XVII. Vis autem cognoscere Apostolos novisse Christi et prædicasse nomen ; imo potius Christum ipsum in semetipsis habuisse? Paulus auditoribus suis ait : « An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur, Christi [1] ? » Paulus Christum annuntiat, dicens : « Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Christum Jesum Dominum : nos autem servos vestros propter Jesum [2]. » Quinam vero ille est? is qui antea persequebatur. O miraculum ingens! qui prius persecutor extitit, ipse Christum annuntiat. Et quam ob causam? an pecunia persuasus? at nullus erat qui eum hoc modo perliceret. An quia præsentem [in terris] videret, reverentia et pudore permovebatur? Jam fuerat in cœlum receptus. Egressus est ad persequendum ; et post triduum Damasci præco est [3], qui ante persecutor. Qua virtute? Alii domesticos pro familiaribus citant testes ; ego tibi testem produxi qui prius hostis extiterat. Et adhuc dubitas? Magna quidem Petri ac Joannis testificatio. Verum suspecta quodammodo videri queat : familiares enim [Christi] erant. Cum vero is, qui prius inimicus erat, pro eadem causa postea mortem oppetit, quis adhuc superest de veritate dubitandi locus?

XVIII. In his dum versatur oratio, mirari merito subit prudens sancti Spiritus consilium. Quomodo cæterorum

[1] 2 Cor. XIII, 3. — [2] Id. IV, 5. — [3] Act. IX, 9-20.

quidem epistolas angusto numero definivit, Paulo vero prius persecutori quatuordecim scribere dedit. Non enim, quasi minor esset Petrus et Joannes, gratiam in eis restrinxit : absit. Sed ut indubitabilem doctrinæ assereret auctoritatem, ei qui prius hostis et insectator fuerat plura scribere concessit; ut ea ratione certam omnes fidem conciperemus. Stupebant siquidem omnes de Paulo, et dicebant : « Nonne » hic est qui prius persequebatur? nonne huc venit, ut li- » gatos nos abduceret in Jerusalem [1]? » Ne miremini, inquit Paulus. Ego scio, quod « Durum est mihi contra sti- » mulos calcitrare [2]. » Scio quod « Non sum dignus vocari » Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei [3]; sed » ignorans [4]. » Existimabam enim prædicationem Christi legis eversionem esse. Nesciebam vero ipsum « Venisse » adimplere legem, non solvere [5]. Superabundavit autem » gratia Dei in me [6]. »

XIX. Multa extant, dilecti, vera de Christo testimonia. Testatur Pater e cœlo de Filio [7]. Testatur Spiritus sanctus, descendens corporaliter in specie columbæ [8]. Testatur Gabriel archangelus Mariæ evangelizans [9]. Testificatur virgo Deipara. Testatur beatus præsepii locus [10]. Ægyptus testis est [11], quæ Dominum corpore adhuc novellum infantem recepit. Testis Simeon qui eum recepit in ulnis suis, et dixit : « Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum » tuum, in pace. Quia viderunt oculi mei Salutare tuum, » quod parasti ante faciem omnium populorum [12]. » Et Anna prophetissa, continens [seu vidua] religiosissima, et asceticam vitam agens, de ipso testimonium reddit [13]. Testificatur Joannes Baptista [14], Prophetarum quidem maximus,

[1] Act. IX, 21. — [2] Ibid. 5. — [3] 1 Cor. XV, 9. — [4] 1 Tim. I, 13. — [5] Matth. V, 17. — [6] 1 Tim. I, 14, et Gal. I, 16. — [7] Matth. III, 17, et XVII, 5. — [8] Luc. III, 22. — [9] Id. I, 27, 28. — [10] Id. II, 7. — [11] Matth. II, 14. — [12] Luc. II, 28-31. — [13] Ibid. 36-38. — [14] Joan. I, 15.

Novi vero Testamenti princeps; atque in se quodammodo connectens ambo Testamenta, Vetus et Novum. Inter flumina testis est Jordanis [1] : inter maria, Tiberiadis mare [2]. Testantur cæci, testantur claudi, testantur mortui ad vitam revocati [3]. Testimonium ferunt dæmones aientes : « Quid » nobis et tibi, Jesu? Novimus te qui sis; Sanctus Dei [4]. » Testificantur venti, ejus imperio pressi et refrenati [5]. Testantur quinque panes in quinque virorum millia multiplicati [6]. Sanctum crucis lignum testatur, quod ad hodiernum usque diem apud nos conspicitur; ac per eos, qui, fide impellente, ex eo frusta decerpunt, orbem fere totum hinc jam opplevit. Testatur palma in valle sita quæ ramos pueris, Christum olim encomio celebrantibus ministravit [7]. Gethsemane testatur [8], Judam adhuc quasi demonstrans iis qui intelligunt. Sanctus iste [mons] Golgotha super cætera editus testatur [9], se conspicuum ostentans. Testatur monumentum [10] persanctum, et qui in hunc usque diem jacet, lapis. Sol nunc lucens testis est, qui tum Salvatoris nostri passionis tempore passus est deliquium [11]. Testes tenebræ, quæ in tempore illo factæ sunt ab hora sexta usque ad horam nonam [12]. Lux testis, quæ ab hora nona ad vesperam illuxit. Testis mons Olivarum sanctus ex quo ad Patrem ascendit [13] : testes quoque imbriferæ nubes quæ Dominum susceperunt [14]. Cœlestes quoque quæ Dominum recepere portæ testantur : de quibus ait Psalmicen : « Tollite portas, » principes, vestras, et elevamini portæ sempiternæ, et in» troibit Rex gloriæ [15]. » Qui ante inimici fuerant, testantur; quorum unus est beatus Paulus, qui modico quidem tem-

[1] Matth. III, 13. — [2] Joan. VI, 1-24. — [3] Matth. XI, 6. — [4] Marc. I, 24. — [5] Matth. VIII, 26, 27. — [6] Id. XIV, 16-21. — [7] Joan. XII, 13. — [8] Matth. XXVI, 36. — [9] Id. XXVII, 33. — [10] Ibid. 60. — [11] Luc. XXIII, 45. — [12] Matth. XXVII, 45. — [13] Act. I, 12. — [14] Ibid. 9. — [15] Psal. XXIII, 7.

pore inimicitias gessit, diuturno vero servitium exhibuit. Testificantur Apostoli duodecim, qui non verbis solum, sed et tormentis et mortibus propriis veritatem prædicavere. Testatur umbra Petri, quæ in Christi nomine ægros sanabat [1]. Testantur sudaria et semicinctia, quæ olim per Paulum Christi virtute similiter curationes edebant [2]. Testantur Persæ, Gothi, et omnes e Gentilibus [conversi ;] qui pro eo mortem oppetere non dubitant, quem carnis oculis non conspexere. Testificantur dæmones, qui fidelium ministerio in hunc usque diem expelluntur.

XX. Tam multi, et differentes, et adhuc plures sunt testes. Jam-ne igitur Christo [tot] testificationibus comprobato denegabitur fides? Si quis igitur est qui prius non crediderit, credat nunc : si vero ante fidelis fuit, majus fidei incrementum accipiat, credens in Dominum nostrum Jesum Christum. Cognoscat etiam cujusnam habeat appellationem. Christianus vocatus es : parce huic nomini. Ne propter te blasphemetur Dominus noster Jesus Christus filius Dei. Verum luceant potius bona opera tua coram hominibus, ut qui ea viderint homines, glorificent in Christo Jesu Domino nostro Patrem qui in cœlis est [3]. Cui gloria et nunc, et in sæcula sæcularum. Amen.

[1] Act. v, 15. — [2] Id. xix, 12. — [3] Matth. v, 16.

CATECHESIS XI.

ILLUMINANDORUM,

Hierosolymis ex tempore prolata in illud : FILIUM DEI UNIGENITUM, QUI EX PATRE NATUS EST DEUS VERUS ANTE OMNIA SÆCULA : PER QUEM OMNIA FACTA SUNT. *Et lectio ex Epistola ad Hebræos :* Multifariam multisque modis olim Deus locutus patribus in Prophetis, novissimis diebus istis locutus est nobis in Filio [1], etc.

ARGUMENTUM.

I. *Multi abusive Christi dicti : unus Christus vere. — Christus ab æterno sacerdos.—De verbo Symboli*, Filium. II. *Christus non adoptivus sed naturalis Filius.* III. *Petrus Apostolorum princeps, et supremus Ecclesiæ præco.* IV. *Filius sempiterne genitus, et inscrutabili modo primogenitus non humano more. — Filius factus non est, sed ab æterno est; similis in omnibus Patri.* V. *Filius sine initio. — Christus duos patres habet : alterum David secundum carnem, alterum Deum secundum deitatem. — Deus cum sit Spiritus, spiritaliter genuit.* — Hodie *in generatione Filii non recens, sed sempiternum.* VI. *De verbo Symboli*, Unigenitum. *Christus filius Dei unigenitus.* VII. *De verbis Symboli*, Ex Patre genitum. — *Generatio divina humanæ defectuum expers. — Nulla temporis mora in filii generatione : nulla imperfectio.* — VIII. *Nulla in divina generatione ignorantia, nec consultatio.* IX. *Filius*

[1] Hebr. 1, 1.

Deus verus. — X. Verbi divini et humani differentia. — Christus non est verbum prolatitium, sed solida subsistentia præditum. XI. *Incomprehensa et soli Deo nota divini Verbi generatio. — Angeli diversis in cœlis, juxta cujusque eorum ordinis perfectionem constituti.* XII. *Temeraria curiositas in impietatem trahit. — Spiritus sanctus nihil de modo generationis Filii in Scripturis reliquit.* XIII. *Hujus rei ignorantiam confiteri nos pudere non debet. — Divinæ generationis excellentia.* XIV. *De verbis Symboli,* Deum verum. *Filius non transivit a non esse ad esse. — Non sunt duo principia, sed unum, Deus Pater.* XV. *Probatur Christum esse Deum.* XVI. *Una Patris et Filii divinitas. — Idem regnum. — Eadem voluntas. — Eadem utriusque opificia.* XVII. *Non Pater hominem induit, sed Filius. — Filius nec Pater est, nec una ex creaturis.* XVIII. *Filius in omnibus Patri similis. — Non differentes in Filio et in Patre deitatis characteres. — Deus generans Filium nec se ipse privavit, nec Filium idcirco minus perfectum edidit. —* XIX. *Non est scrutandus, modus quo filium habuit Deus.* XX. *De verbis Symboli.* Ante omnia sæcula. — *Non est temporale Filii principium. — Christum æternum esse probatur.* XXI. *De verbis Symboli;* Per quem omnia facta sunt. — *Per Christum omnia sunt facta. — Regnat Filius in propria opera.* XXII. *Exempla humana, divinis rebus accommodata, infirma sunt. — Deus Filio rerum faciendarum exemplar et voluntatem suam commonstravit.* XXIII. *Qui in infernum descendit, ipse est qui initio ex luto hominem construxit.* XXIV. *Christus rerum visibilium et invisibilium conditor.*

I. Quod quidem in Jesum Christum speramus [1], satis pro nostra virili parte, per ea, quæ vobis heri tradita sunt,

[1] Vide D. Guillon, tom. VIII, pag. 397-399.

diximus. Non est autem nude ac vulgariter in Jesum Christum credendum, neque sic accipiendum est quasi in unum quempiam e multis, qui abusive Christi appellati sunt. Illi enim erant typici [et figura tenus] Christi : hic autem Christus est verus; qui non ex hominum numero, profectu quodam ad sacerdotium evectus est, sed acceptam a Patre sempiterno habet sacerdotii dignitatem. Atque idcirco præcavens Fides ne unum quempiam ex vulgaribus Christis suspicemur, ad fidei confessionem addit quod credimus IN UNUM DOMINUM JESUM CHRISTUM, FILIUM DEI UNIGENITUM.

II. Filium porro cum audis, ne adoptivum existimes; sed naturalem filium, filium unigenitum, qui alterum fratrem non habeat. Propterea enim « Unigenitus » appellatur, quod, in Deitatis dignitate et nativitate ex Patre, fratrem habeat nullum. Filium vero Dei ipsum vocamus non ex nobis ipsis, sed quoniam Pater ipse Christum ipsum Filii nomine compellavit. Vera namque appellatio est, quæ a patribus filiis imponitur.

III. Humanam olim naturam induit Dominus noster Jesus Christus : verum a multis ignorabatur. Quod autem ignotum erat, cum docere vellet, congregatis Discipulis sciscitabatur : « Quem me dicunt esse filium hominis [1] ? » Non inanem gloriolam aucupans, sed veritatem ipsis declarare cupiens : ut ne cum Deo Dei unigenito simul habitantes, eum tanquam nudum hominem despicerent. Illis autem aientibus : « Alii quidem Eliam, alii vero Hieremiam [2], » dicit ad illos : « Illi quidem qui nesciunt, venia digni; vos autem Apostoli, qui in nomine meo leprosos mundatis, et dæmonia ejicitis, mortuosque ad vitam revocatis, illum non debetis ignorare, per quem mirabilia patratis. » Omnibus autem reticentibus (humanas enim vires excedebat

[1] Matth. XVI, 13. — [2] Ibid. 14.

hujusmodi documentum) Petrus Apostolorum princeps et supremus Ecclesiæ præco, non adinvento sermone usus, neque humano persuasus ratiocinio; sed immissa menti a Patre luce perfusus dicit ad ipsum : « Tu es Christus; » neque id sempliciter, sed, « Filius Dei viventis[1]. » Et statim adjungitur huic verbo beatitatis denuntiatio (vere enim humano captu superius erat;) et signaculi loco declaratio hæc, quod Pater esset qui revelaverat. Dicit enim Salvator : « Beatus es Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est[2]. » Quisquis itaque agnoscit Dominum nostrum Jesum Christum filium Dei, particeps fit beatitudinis : qui vero negat Filium Dei, infelix et miserandus est.

IV. Filium iterum cum audis, ne abusive solummodo dictum puta; sed filium vere, filium naturalem, initii expertem : non ex servitute ad gradum adoptionis evectum : sed filium ab omni æternitate genitum, imperscrutabili nec usquam comprehendenda generatione. Similiter, dum primogenitum audis[3], ne id ex humano more concipias. Apud homines namque primogeniti alios fratres habent; et alicubi dicitur : « Filius primogenitus meus Israël[4]. » Sed quemadmodum Ruben, primogenitus honore suo dejectus fuit Israël. Ille enim in Patris cubile ascendit[5] : Israël vero Patris Filium e vinea ejectum crucifixit[6]. Et ad alios quidem dicit Scriptura : « Filii estis Domini Dei » vestri[7]. » Et alibi : « Ego dixi : Dii estis, et filii Altissimi » omnes[8]. Dixi, » non genui. Illi ex Dei voce et dicto adoptionem quam non habebant acceperunt. Hic vero, non cum aliud quidpiam esset, aliud [factus et] genitus est : sed Filius Patris ab exordio natus est, superior quovis initio

[1] Matth. XVI, 16.— [2] Ibid. 17.— [3] Hebr. I, 6. — [4] Exod. IV, 22. — [5] Gen. XLIX, 4. — [6] Matth. XXI, 39. — [7] Deut. XIV, 1.— [8] Psal. LXXXI, 6.

et sæculis existens; Filius Patris in omnibus similis genitori; æternus ex æterno Patre, vita ex vita genitus, et lumen ex lumine, et veritas ex veritate, et sapientia ex sapientia, et rex ex rege, et Deus ex Deo, et potestas ex potestate.

V. Si igitur audieris Evangelium aiens : « Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham[1]; » quantum ad carnem intellige. Filius enim revera Davidis est in consummatione sæculorum, Dei vero Filius ante omnia sæcula, sine initio. Et illud quidem assumpsit quod non habebat : hoc autem quod habet, sempiterno habet ex Patre genitus. Duos patres habet : unum David secundum carnem, alterum vero Deum Patrem secundum Deitatem. Atque illud quidem quod secundum Davidem est et tempori subjicitur, et contrectatur, et prosapiam habet quæ recenseatur : quod vero est secundum Deitatem, neque tempori obnoxium est neque loco, neque genus habet quod recenseri possit. « Generationem enim ejus quis enarrabit[2]? » Deus spiritus est[3]. » Qui spiritus est, spiritaliter genuit uti incorporalis, investigabili et incomprehensa generatione. Filius ipse de Patre dicit : « Dominus dixit ad me : Filius » meus es tu, ego hodie genui te[4]. » Illud, « Hodie, » non recens, sed sempiternum : « Hodie » temporis expers, ante omnia sæcula. « Ex utero ante luciferum genui te[5]. »

VI. Crede itaque in JESUM CHRISTUM FILIUM DEI viventis, filium vero UNIGENITUM, juxta Evangelium quod dicit : « Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum dederit; ut qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam[6]. » Et rursus : « Qui credit in filium, » non judicatur[7]; sed translatus est a morte in vitam[8]. Qui

[1] Matth. I, 1. — [2] Isaï. LIII, 8. — [3] Joan. IV, 24. — [4] Psal. II, 7. — [5] Id. CIX, 3. — [6] Joan. III, 16. — [7] Ibid. 18, 19. — [8] Joan. V, 24.

» autem non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei » manet super eum [1], quia non credidit in Filium Dei uni- » genitum [2]. » De quo testimonium ferens Joannes dicebat : « Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre : » plenus gratiæ et veritatis [3]. » Quem trementes dæmones dicebant : « Sine, quid nobis et tibi, Jesu fili Dei viventis [4]? »

VII. Filius igitur Dei est natura et non adoptione, genitus ex Patre. Et ille quidem qui diligit eum qui genuit, diligit et eum qui ex eo genitus est [5]. » Qui autem genitum contemnit, contumeliam suam in Genitorem transfert. Quando vero generantem Deum audieris, ne in corpora opinione devolvaris; neque participem corruptionis generationem suspicere, ut non in impietatem cadas. « Spiritus » est Deus [6], » spiritalis ejus generatio. Corpora namque gignunt corpora, et in gignendis corporibus necesse est moram temporis intercedere. Nullum vero in generatione Filii ex Patre intermedium reperitur tempus. Et hic quidem quod generatur, imperfectum generatur : Filius autem Dei perfectus est genitus. Quod enim nunc est, id et a principio est, natus absque initio. Nascimur nos ita, ut ex infantili ignorantia ad rationis usum transeamus. Imperfecta est, o homo, nativitas tua ; processu siquidem, incrementorum fit accessio. Hic autem nihil simile cogites, neque ullam generantis infirmitatem accuses. Nam si ille imperfectum generavit, quod accedente tempore perfectionem assecutum sit, infirmitatis arguis Genitorem, si id quod tempus postea largitum est, hoc juxta te genitor ab initio non dedit.

VIII. Ne igitur humanam existimes hanc generationem ; neque illi similem, qua Abraham genuit Isaac. Abraham enim Isaacum genuit, non quem volebat, sed quem alius

[1] Joan. III, 36. — [2] Joan. III, 18. — [3] Id. I, 14. — [4] Luc. IV, 34, et Marc. V, 7. — [5] Joan. V, 1. — [6] Id. IV, 24.

illi concessit. Cum vero Deus et Pater generat, neque ignorantia, neque consultatio in medio. Dicere enim quod ignoravit id quod genuit, impietas maxima. Dicere etiam quod cum temporibus deliberasset, Pater deinceps effectus sit, ejusdem impietatis est. Non enim prius Deus absque liberis existens, postea in tempore Pater est effectus : verum semper filium habet; quem genuit, non sicut homines generant homines, sed sicut novit ipse solus qui eum genuit ante omnia sæcula Deum verum.

IX. Cum enim verus Deus sit Pater, similem sibi Filium genuit Deum verum. Non sicut magistri discipulos generant; non quemadmodum Paulus quibusdam dicit : « In » Christo enim Jesu per Evangelium ego vos genui[1]. » Hic enim, qui secundum naturam filius non erat, per disciplinam filius est factus : illic vero naturalis filius, verus filius. Non sicut vos, o illuminandi, nunc filii Dei efficimini. Vos enim etiam filii efficimini, sed adoptione per gratiam, sicut scriptum est : « Quotquot autem receperunt eum, dedit eis » potestatem filios Dei fieri; his qui credunt in nomen ejus. » Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque » ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt[2]. » Et nos quidem nascimur ex aqua et spiritu[3] : non autem ita natus est Christus ex Patre. Namque in baptismatis tempore inclamans et aiens : « Hic est Filius meus[4]; » non dixit : « Hic nunc factus est filius meus : » verum : « Hic est Filius meus, » ut declararet quod etiam ante baptismatis efficientiam filius erat.

X. Genuit Pater Filium, non sicut in hominibus mens generat verbum. In nobis enim mens subsistens quidem est : verbum vero enuntiatum et in aëra diffusum disperditur. Nos autem novimus Christum natum esse Verbum,

[1] 1 Cor. IV, 15. — [2] Joan. I, 12, 13. — [3] Id. III, 5. — [4] Matth. III, 17.

non prolatitium; sed Verbum subsistens et vivens, non labiis prolatum et diffusum, sed ex Patre sempiterno et ineffabiliter, et in solida hypostasi genitum. « In principio enim » erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat » Verbum illud[1] » in dextera sedens[2]. Verbum intelligens Patris voluntatem, et ejus nutu omnia moliens. Verbum quod descendit et ascendit[3] : verbum enim prolatitium dum loquendo profertur, non descendit nec ascendit. Verbum quod loquitur et dicit : « Quæ vidi apud Patrem meum, » hæc loquor[4]. » Verbum potestate plenum, et in omnia regnum exercens : omnia enim Filio tradidit Pater[5].

XI. Genuit igitur ipsum Pater, non ita ut aliquis inter homines intellexerit, sed ut novit ipse solus. Non enim, quemadmodum genuerit edicere pollicemur : tantum, quod non ita genuerit affirmamus. Neque nos duntaxat Filii ex Patre nativitatem ignoramus; sed et omnis generata [seu creata] natura. « Enarra terræ, si tibi dixerit[6]? » At etiamsi omnia, quæ super terram sunt percontatus fueris, dicere non poterunt. Tellus namque proprii tui figuli et fictoris substantiam edicere non valet. Neque tantum tellus ignorat, sed neque sol novit. Quarta enim die sol creatus est, quæ tribus ante ipsum facta sunt diebus non cognoscens. Qui vero tribus ante se diebus facta non novit, ipsum sane effectorem edicere non poterit. Id cœlum non enuntiabit. Ab Christo enim, Patris nutu cœlum quoque tanquam fumus constabilitum est[7]. Nec cœli cœlorum, nec aquæ, quæ super cœlos sunt[8], hoc enarraverint. Quid igitur doles te nescire, o homo, quod ipsi quoque cœli ignorant? Nec cœli solum eam generationem nesciunt, sed et universa angelica natura. Si quis enim, esto ut id possibile sit, in primum

[1] Joan. I, I. — [2] Psal. CIX, I. — [3] Ephes. IV, 10. — [4] Joan. VIII, 38. — [5] Id. XIII, 3, et Matth. XI, 27. — [6] Job. III, 8. — [7] Isaï. LI, 6. — [8] Psal. CXLVIII, 4.

cœlum conscendens, et Angelorum hujus loci incolarum conspecta statione, accedens interrogaverit quomodo Deus suum Filium genuerit; respondebunt fortassis : « Habemus superius majores et sublimiores nobis, illos percontare. » Assurge in secundum et tertium cœlum : pertinge, si potes, ad Thronos et Dominationes, Principatus quoque et Potestates[1]; ac si quis etiam, quod impossibile est, ad illos usque pervenerit, ipsi quoque hujus rei enuntiationem detrectaturi sunt; neque enim exploratum habent.

XII. Atque ego semper admiratus sum temerariorum illorum curiositatem, qui per opinionem religionis in impietatem præcipitantur. Thronos enim et Dominationes, quæ Christi effecta sunt, Principatus et Potestates incompertos habentes; ipsum Creatorem curiosius inquirere aggrediuntur. Dicito mihi primum, o audacissime, quid Thronum inter Dominationemque intersit; tumque ea, quæ Christum contingunt inquire. Dic mihi, quid sit Principatus, quid Potestas, quid Virtus, quid Angelus; et tum Conditorem curiosius indagato : « Omnia enim per ipsum » facta sunt[2]. » Atqui interrogare non vis Thronos Dominationesve, aut potius non potes. Ecquid aliud est quod cognoscat profunda Dei[3], nisi solus Spiritus sanctus qui divinas Scripturas elocutus est[4]? At neque ipse Spiritus sanctus de Filii generatione ex Patre in Scripturis est locutus. Quid igitur operose inquiris, quæ neque Spiritus sanctus in Scripturis exaravit? Qui ea, quæ Scripta sunt non nosti, non Scripta percontaris? Multæ sunt in divinis Scripturis quæstiones : quod scriptum est non comprehendimus; quid de eo, quod scriptum non est animum fatigamus? Sufficit nobis scire, quod Deus unum solum Filium genuit.

[1] Coloss. I, 16. — [2] Joan. I, 3. — [3] I Cor. II, 10. — [4] 2 Petr. I, 21.

XIII. Non te pudeat ignorantiam confiteri, quandoquidem tibi cum Angelis communis sit. Qui genuit, solus novit eum quem genuit; et qui ab ipso genitus est, novit genitorem : qui genuit, novit quid genuerit. Et sanctus Dei Spiritus in Scripturis testatur Deum esse eum qui genitus sit absque initio. « Quis enim hominum novit quæ hominis » sunt, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Sic vero ea quæ » Dei sunt, nemo novit nisi Spiritus Dei [1]. Sicut enim Pa» ter habet vitam in semetipso, sic autem filio dedit vitam » habere in semetipso [2]. » Et, « Ut omnes honorent Filium, » sicut honorant Patrem [3]. » Et, « Sicut Pater quos vult » vivificat [4]. » Neque generans ulla re deminutus est, neque deest genito quidquam. (Novi ea me sæpe dixisse : verum eadem sæpe vestræ securitatis gratia repetita sunt.) Neque is, qui genuit patrem habet, neque is qui genitus est fratrem. Nec genitor mutatus in filium est, nec genitus effectus est pater. Ex uno solo patre, unus unigenitus filius. Nec duo ingeniti, nec unigeniti duo. Verum unus est pater ingenitus : (ingenitus namque est qui patrem non habet) et unus est filius, æternum ex patre genitus : non in temporibus genitus : non in temporibus genitus, sed ante sæcula genitus : non ex profectu auctus, sed hoc ipsum genitus quod nunc est.

XIV. Creditum igitur IN FILIUM DEI UNIGENITUM, EX PATRE GENITUM DEUM VERUM. Verus enim Deus non generat falsum, sicut dictum est. Nec secum deliberans, postea genuit : verum sempiterno generavit; et sermonibus cogitationibusque nostris multo celerius, ut sane consentaneum est, generavit. Nos namque cum in tempore loquamur, tempus insumimus : cum autem de divina potestate sermo est, temporis expers est generatio. Et sicut persæpe dictum fuit, nequaquam ex non ente ad esse filium transduxit,

[1] 1 Cor. II, 11. — [2] Joan. V, 26. — [3] Ibid. 23. — [4] Ibid. 21.

neque eum, qui non erat in adoptionem ascivit : verum æternus existens Pater, æternum genuit et inenarrabiliter unum solum filium, qui fratrem non habeat. Neque duo sunt principia : sed caput filii Pater, unum est principium [1]. Pater enim Filium genuit Deum verum, « Emmanüel » appellatum [2]. Porro Emmanüel interpretatum redditur « No- » biscum Deus [3]. »

XV. Vis autem cognoscere Deum esse eum, qui ex Patre natus est, posteaque homo factus? audi Prophetam dicentem : « Hic est Deus noster, non reputabitur alius adversus » eum. Invenit omnem viam scientiæ, et dedit eam Jacob » puero suo, et Israël dilecto a se. Post hæc in terra visus » est, et cum hominibus conversatus est [4]. » Cernis Deum post legem per Moysen latam inhumanatum? Accipe et alterum Divinitatis Christi testimonium quod modo lectum est. « Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi [5]. » Nam ut ne ex occasione ejus in carne adventus ad hæc loca, crederetur eum ex profectu ad Deitatis culmen postea pervenisse, dicit aperte : « Propterea unxit te Deus tuus oleo exulta- » tionis ultra consortes tuos [6]. » Vides-ne Christum Deum a Patre Deo unctum?

XVI. Vis et tertium tibi Dari divinitatis Christi testimonium? audi Hesaïam dicentem : « Laboravit Ægyptus et » negotiatio Æthiopum. » Et post pauca : « Et in te suppli- » cabunt, quoniam in te Deus est, et non est Deus præter » te. Tu enim es Deus et nesciebamus, Deus Israëlis Salva- » tor [7]. » Vides Deum filium, habentem in semetipso Deum patrem : tantum non hoc ipsum dicentem, quod in Evangeliis dixit : « Pater in me, et ego in Patre [8]. » Non ait : « Pater sum ego ; » sed, « Pater in me, et ego in Patre. »

[1] 1 Cor. XI, 3. — [2] Isaï. VII, 14. — [3] Matth. I, 23. — [4] Baruch. III, 36-38. — [5] Hebr. I, 8, ex Psal. XLIV, 6. — [6] Ibid. 7, et Hebr. I, 9. — [7] Isaï. XLV, 14, 15. — [8] Joan. XIV, 11.

Rursum, non dixit; « Ego et Pater unum sum; » sed, « Ego » et Pater unum sumus [1]; » ut neque abalienemus, neque filio-paternitatis confusionem faciamus. « Unum, » propter Divinitatis dignitatem: siquidem Deus Deum genuit. « Unum, » propter regni prærogativam : non enim in alia regnat Pater, in alia vero Filius, Absalonis instar, se efferens adversus Patrem : verum in quæ regnat Pater, in eadem regnat et Filius. « Unum, » quod nulla sit dissonantia aut separatio : non enim aliæ Patris voluntates, aliæ Filii. « Unum, » quod non alia sint Christi opificia, et Patris alia : una est enim omnium architectatio, cum Pater per Filium effecerit : « Quoniam ipse dixit, et facta sunt : ipse præcepit, et creata » sunt [2], » inquit Psalmographus. Qui enim dicit, audienti dicit : et qui præcipit, simul præsenti præcipit.

XVII. Deus igitur verus est Filius, habens in se ipso Patrem, non in Patrem mutatus : nec enim Pater hominem induit, sed Filius. Dicatur enim libere veritas. Non Pater passus est pro nobis; sed Pater misit eum qui pro nobis passus est. Nec usquam illud dicamus : « Erat, quando non erat Filius : » neque Filio-paternitatem recipiamus : verum regia via incedamus : ne declinemus ad sinistram vel ad dexteram [3]. Neque Filio deferre honorem rati, Patrem eum nuncupemus : neque dum Patrem honorare arbitramur, Filium unam ex rebus conditis suspicemur. Verum unus Pater per unum Filium adoretur, neque dividatur adoratio. Unus Filius prædicetur, ante sæcula a dextra Patris sedens : qui hoc ipsum, ut cum Patre sedeat, non in temporibus post passionem ex profectu accepit, sed sempiterno habet.

XVIII. « Qui vidit Filium, vidit Patrem : » in omnibus enim Genitori similis est Filius; vita ex vita genitus, et lumen ex lumine, virtus ex virtute, Deus ex Deo : et nulla

[1] Joan. x, 30. — [2] Psal. CXLVIII, 5. — [3] Num. xx, 17.

in re differentes sunt Deitatis characteres in Filio. Quique divinitatem Filii videre dignus est habitus, idem ad fruendum Genitorem evectus est. Non meus hic sermo est, sed unigeniti Filii. « Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovisti me, Philippe? qui vidit me, vidit Patrem [1]. » Atque ut compendiosius dicam, neque separemus, neque confusionem faciamus. Neque alienum unquam a Patre Filium dixeris : neque illos admiseris qui dicunt Patrem aliquando Patrem esse, et aliquando Filium ; aliena enim et impia sunt hæc, et non Ecclesiæ documenta. Sed Pater, genito Filio, remansit Pater, et non mutatus est : Sapientiam genuit, verum non ipse sapientia destitutus est ; et Virtutem generans non infirmus evasit [2]. Deum generans nec ipse Deitate spoliatus fuit, nec quidquam ipse deperdidit imminutus vel mutatus : nec ille, qui genitus est, defectus quidquam habet. Perfectus est qui genuit, perfectum quod genitum est. Deus est qui genuit : Deus qui genitus est ; omnium quidem Deus, Deum tamen suum, Patrem ascribens. Non enim veretur dicere : « Ascendo ad Patrem » meum, et Patrem vestrum ; et Deum meum, et Deum vestrum [3]. »

XIX. Sed ut ne existimes illum eodem modo Filii et creaturarum esse patrem, distinxit in sequentibus. Non enim dixit : « Ascendo ad Patrem nostrum ; » ne creaturarum cum Unigenito communitas induceretur : sed, « Patrem » meum, et Patrem vestrum, » ait. Aliter meum secundum naturam ; et aliter vestrum, secundum adoptionem. Iterumque, « Ad Deum meum, et Deum vestrum. » Aliter meum, tanquam germani et unigeniti Filii : et aliter vestrum, tanquam opificiorum. Deus igitur verus est Filius Dei, ante omnia sæcula inenarrabiliter genitus. Sæpe enim idem vobis ingemino, ut hoc menti vestræ imprimatur. Et

[1] Joan. XIV, 9. — [2] I Cor. I, 24. — [3] Joan. XX, 17.

quod quidem filium Deus habeat, illud crede : quomodo vero, ne curiosius sciscitare; quærens namque non reperies. Ne extollas te ipsum, ne cadas. « Quæ tibi mandata » sunt, ea sola meditare [1]. » Dic mihi prius quisnam est is qui genuit; et tunc addisce quid genuit. Si autem genitoris naturam assequi cogitatione non potes, ejus, quod genitum est, modum ne sollicitius scrutare.

XX. Sufficit tibi ad pietatem nosse, uti diximus, quod unum solum filium Deus habeat; unum naturaliter genitum : qui non cum in Bethlehem natus est tunc esse cœpit; sed ANTE OMNIA SÆCULA. Audi enim Michæam prophetam dicentem : « Et Tu Bethlehem domus Ephrata, nequaquam » parvula es ut sis in millibus Juda : ex te enim mihi exibit » dux, qui pascet populum meum Israël; et egressiones » ejus ab initio, ex diebus sæculi [2]. » Ne igitur attendas ad eum, qui nunc ex Bethlehem [ortus est,] verum adora eum, qui sempiterno ex Patre genitus est. Ne quemquam patiare qui temporale Filii principium dicat; sed agnosce principium temporis expers, Patrem. Principium namque, Filii temporis nescium, incomprehensum, principio carens, Pater est : fons fluminis justitiæ [3], Unigeniti nimirum, pater, qui ipsum generavit sicut novit ipse solus. Vis autem nosse, quod etiam æternus rex est Dominus noster Jesus Christus? ipsum rursus audi dicentem : « Abraham pater vester » exultavit, ut videret diem meum : et vidit, et gavisus est [4]. » Deinde, cum id dure acciperent Judæi, aliquid ipsis adhuc durius dicit : « Prius quam Abraham fieret, ego sum [5]. » Iterumque ad Patrem dicit : « Et nunc glorifica me tu, Pa» ter, apud temetipsum, gloria quam habui, antequam » mundus esset, apud te [6]. » Palam enim hoc dixit : « Prius quam mundus fieret, ego habebam apud te gloriam. » Et

[1] Eccli. III, 22. — [2] Mich. V, 2. — [3] Psal. XLV, 5. — [4] Joan. VIII, 56. — [5] Ibid. 58. — [6] Id. XVII, 5.

rursus aiens : « Quia dilexisti me ante constitutionem » mundi [1], » manifeste dicit : « Æternam habeo apud te gloriam. »

XXI. Credamus igitur In unum Dominum Jesum Christum, filium Dei unigenitum; qui ex Patre natus est Deus verus ante omnia sæcula : per quem omnia facta sunt [2]. Sive enim Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates [3], omnia per ipsum facta sunt, et nulla generatarum rerum ejus potestati subtracta est. Obmutescat omnis hæresis diversos factores et mundi auctores inducens. Compescatur lingua Christum Dei filium blasphemiis verberans. Obmutescant qui Solem esse Christum dicunt; solis enim est artifex, non sol iste conspicuus. Conticescant, qui mundum aiunt Angelorum opificium : qui Unigeniti prærogativam invadere volunt. Sive enim visibilia, sive invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive quidquid nomen habet, omnia per Christum facta sunt [4]. Regnat Filius in res a se factas : non aliena spolia rapiens, sed propria in opera regnum exercens; sicut evangelista Joannes dixit : « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso ne una » quidem res facta est [5]. » Omnia per ipsum facta sunt, Patre per Filium operante.

XXII. Vellem equidem eorum, quæ dicuntur, exemplum quoddam afferre, sed illud infirmum esse novi. Quænam enim ex visibilibus rebus, divinæ invisibilisque potestatis idoneum exemplum esse queat? dicatur nihilominus tanquam infirmum, et ab infirmo ad infirmos. Quemadmodum videlicet, si quis rex filium habens regem, civitatis constituendæ cupidus filio secum regnanti subjiciat struendæ civitatis exemplar; ille autem exemplari sumpto cogitatum opus ad finem perducat : ita, cum pater omnia fabri-

[1] Joan. xvii, 24. — [2] Id. i, 3. — [3] Coloss. i, 16. — [4] Ibid., et Ephes. i, 21. — [5] Joan. i, 3.

care voluisset, patris nutu omnia filius architectatus est; ut nutus quidem ille Patri servet incolume summæ arbitrium potestatis, filius vero rerum a se factarum habeat potestatem; ut neque Pater propriorum operum dominatione fraudetur; neque Filius in res ab alio, sed a se conditas regnum obtineat. Non enim Angeli, ut dictum est, mundum condidere, sed unigenitus Filius ante omnia sæcula genitus, quomodo diximus; per quem omnia facta sunt, nulla re ab illius opificio excepta. Et hæc quidem a nobis hactenus per Christi gratiam dicta sunto.

XXIII. Recurrentes vero in Fidei confessionem, concludamus in præsenti sermonem. Omnia effecit Christus, sive Angelos dixeris, sive Archangelos, sive Dominationes, sive Thronos. Non quod Pater sufficienti ad creandum per se ipsum potestate caruerit; sed quia Filium voluit rebus, quas fecisset, regnare, ipse exhibens illi rerum creandarum designationem. Honorans enim Unigenitus Patrem suum ait : « Non potest Filius facere a semetipso quidquam, nisi » quid viderit Patrem facientem. Quæ enim ille fecerit, hæc » et Filius similiter facit. » Et iterum : « Pater meus usque » modo operatur, et ego operor [1]; » nulla prorsus in his, qui operantur, contrarietate. « Mea enim omnia tua sunt, » et tua mea [2], » ait in Evangeliis Dominus. Quod quidem aperte cognoscere licet, tam ex Veteri quam ex Novo Testamento. Qui enim dicit : « Faciamus hominem ad imagi» nem nostram et ad similitudinem [3]; » omnino præsentem aliquem alloquebatur. Omnium vero apertissime Psalmidicus ait : « Ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et » creata sunt [4] : » tanquam Patre quidem mandante et dicente, Filio vero nutu ejus omnia efficiente. Quod etiam Job mystice dixit : « Qui extendit cœlum solus, et ambulat

[1] Joan. v, 17-19. — [2] Id. xvii, 10. — [3] Gen. i, 26. — [4] Psal. cxlviii, 5.

» super mari tanquam super solo [1]. » Intelligentibus significans, quod qui, dum hic versaretur, ambulavit super mari, is erat qui cœlos antea condiderat. Et rursus Dominus ait: « Aut tu sumens terram lutum, finxisti animantem, et lo» quendi vi præditum illud posuisti super terram ? » deinde in consequentibus : « Aperiuntur vero tibi præ timore portæ » mortis, janitoresque inferni videntes te timuerunt [2] ? » Declarans nimirum eum, qui in infernum propter suam bonitatem descendit, ipsum esse qui ab initio ex luto hominem construxit.

XXIV. Est igitur Christus Filius Dei unigenitus et mundi effector. « In mundo enim erat, et mundus per ipsum fac» tus est [3]. » Et, « In propria venit, » sicut nos docet Evangelium. Non autem eorum quæ conspiciuntur solum, sed et eorum quæ non videnter nutu Patris factor est Christus. « In ipso enim creata sunt omnia, juxta Apostolum, » quæ sunt in cœlis et quæ super terram, visibilia et invi» sibilia; sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, » sive Potestates, omnia per ipsum et in ipsum creata sunt. » Et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant [4]. » Etiamsi ipsa dixeris sæcula, horum quoque, nutu Patris, factor est Jesus Christus. « Novissimis enim his diebus lo» cutus est nobis in Filio, quem posuit hæredem universo» rum, per quem et sæcula fecit [5]. » Cui gloria, honor, imperium, cum Patre et sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Job. IX, 8. — [2] Id. XXXVIII, 14-17. — [3] Joan. I, 10, 11. — [4] Coloss. I, 16, 17. — [5] Hebr. I, 2.

CATECHESIS XII [1].

ILLUMINANDORUM,

Hierosolymis ex tempore pronuntiata, in illud : QUI INCARNATUS ET INHUMANATUS EST. *Et lectio ex Hesaïa :* Et adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens : Pete tibi ipsi signum [2], *et infra* : Ecce virgo in utero accipiet, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuël [3]; *et quæ sequuntur.*

ARGUMENTUM.

I. *Christus simul Deus et homo confitendus est. — Alterius confessio sine altero nihil prodest ad salutem.* II. *Contra Judæos.* III. *Varii hæreticorum circa incarnationem errores. — Paulus Samosatenus.* IV. *Ipse unigenitus Dei Filius natus est de virgine.—Quæstiones variæ infidelium.* V. *Qua de causa descenderit Jesus. — Prima causa, humani generis reparatio.— Mundus et universæ ejus partes propter hominem. —Ligneæ regum imagines honorantur.* VI. *Caïn primus homicida. — Ipsius quoque electi populi scelera.* VII. *Humani generis vulnus maximum.— Deum curatorem invocant Prophetæ.* VIII. *Prophetæ adventum Domini prænuntiantes. — Signum crucis in fronte.* X. *Signa quibus adveniens Dominus innotuit. — Signum primum, ingressus in Hierosolymam asini vectura.* XI. *Signum alterum expressius.— Stare in monte Olivarum.* XII. *Signum tertium, miraculorum patratio.*

[1] Habita sequenti die post præcedentem. — [2] Isaï. VII, 10. — [3] Ibid. 14.

— *Signum quartum, quod hominum judicium subierit.* XII. *Secunda causa incarnationis, Christus sese hominem fecit, ut eum caperemus, quem non poteramus aliter.* XV. *Tertia causa incarnationis, ut Deus elementa sui præsentia et contactu sanctificaret. — Quarta causa. — Quintâ causa, ut se idolorum loco sensibus nostris subjiceret adorandum. — Sexta causa.— Septima causa* XVI. *Incarnatio Judæis mira videri non debet.* XVII. *Inquiritur in tempus adventus Salvatoris. — Tempus ejus adventus est Judæorum principatus finis. — Patriarchæ Judæorum quales?* XVIII. *Alia temporis nota, romani imperii dominatus.* XIX. *Alia temporis circumstantia ex Danielis hebdomadibus petita.* XX. *Quo loco apparere debeat Christus. — Ab Austro Jerosolymæ venturus Christus.* XXI. *Ex virgine proditurus Christus. — Confutantur Judæorum in prophetiam Isaïæ cavillationes.* XXII. *Non in hoc Isaïæ vaticinio Ezechiam promitti temporum ratio demonstrat.* XXII. *Ex quo genere virgo Christi mater?—Ex Davidis prosapia.* XXV. *Decebat Christum ex virgine oriri. — Rite fungentes sacerdotio christiano abstinent a muliere.* XXVI. *Non dedecet Conditorem ex membris humanis nasci. — Nihil est in humanis membris abominabile. — Fides beatæ Virginis nuptiarum arrhabo.* XXVII. *Gentilibus virginis partum possibilem negantibus, os ex eorum fabulis obstruitur.* XXVIII. *Judæis vero ex sacris Scripturis. — Virga Mosis vere in draconem mutata.* XXIX. *Evæ ortus admirabilitas. — Maria debitam a fœminis virorum generi, propter Evæ exortum, gratiam reddidit.* XXX. *Ex pulvere hominem fieri quam stupendum.* XXXI. *Refelluntur qui Christum ex viro et fœmina natum aiunt.* XXXII. *Testimonia de veritate susceptæ carnis.* XXXIII. *Virginum Deo devotarum propositum, ejusque dignitas. — Monachorum ordo.*

XXXIV. *Cœlibatus gloria. — Omnis vestium, incessus et odorum luxuries resecetur.*

I. Puritatis alumni [1] et castitatis discipuli, Deum ex virgine natum plenis castitate labiis celebremus. Qui intellectualis ovis [2] carnibus vesci digni habemur, caput simul cum pedibus sumamus [3]; divinitate per caput, humanitate vero per pedes intellecta. Qui sancta audimus Evangelia, Joanni theologo audientes simus. Ille enim post quam dixit : « In principio erat Verbum, et Verbum erat » apud Deum, et Deus erat Verbum [4]; » dein subjecit, dicens : « Et Verbum caro factum est [5]. » Neque enim nudum hominem adorare fas est; nec Deum solummodo absque humanitate dicere, pium. Si enim Deus est Christus, uti revera est, humanitatem autem non assumpsit, alieni a salute sumus. Adoretur igitur ut Deus, credatur vero quod humanam quoque naturam induit. Neque enim hominem seclusa divinitate dicere, conducibile est : neque a Deitatis confessione humanitatem sejungere, salutiferum. Confiteamur regis et medici præsentiam. Rex enim Jesus medicinam allaturus, linteo humanitatis se præcingens [6], quod infirmum erat curavit. Perfectus infantium magister, puerum se cum pueris fecit, ut imprudentibus sapientiam instillaret [7]. Cœlestis panis ad terram descendit, ut aleret famelicos.

II. Judæi vero, dum eum qui venit rejiciunt, eumque qui infauste venturus est expectant; verum illi quidem Christum repudiavere, impostorem vero ipsi in errorem abducti recipiunt : ut in hoc quoque vera reperiatur Salvatoris sententia : « Ego veni in nomine Patris mei, et non

[1] Vide D. Guillon, tom. VIII, pag. 400-402.— [2] Christi per agnum paschalem figurati. — [3] Exod. XII, 9. — [4] Joan. I, 1. — [5] Ibid. 14. — [6] Id. XIII, 4. — [7] Prov. I, 4.

» recipitis me : si autem alius venerit in proprio nomine, » illum recipietis [1]. » Optimum autem fuerit eam Judæis interrogationem proponere : « Verax-ne sit Hesaïas propheta, dum ait Emmanuëlem ex virgine nasciturum [2], an mendax ? » Siquidem illum uti mendacem criminentur, nihil mirum : mos enim illis Prophetas non solum quasi mendaces insimulare, sed et lapidibus opprimere. Sin verax Propheta fuerit, ostendite Emmanuëlem. « Item, utrum-ne is, qui venturus est, quem expectatis, ex virgine proditurus est, necne ? si ex virgine non nascitur, falsi arguitis Prophetas. Si vero id in futura re expectatis, eccur id quod jam factum est repudiatis. »

III. Ac Judæi quidem, quando ita volunt, errore abducantur; Ecclesia autem Dei glorificetur. Nos enim recipimus Deum Verbum inhumanatum vere : non ex voluntate viri et mulieris, ut hæretici aiunt, sed EX VIRGINE ET SPIRITU SANCTO juxta Evangelium INHUMANATUM ; non specie, sed veritate. Quod autem vere ex virgine humanam naturam susceperit, tradendæ doctrinæ tempus nunc expectes velim, et ejus rei demonstrationes accipies. Multiplex enim est hæreticorum error. Atque hi quidem ipsum in totum ex virgine natum esse pernegarunt : alii vero natum concessere; non tamen ex virgine, sed ex muliere viro permixta. Alii aiunt non Deum Christum inhumanatum esse, sed hominem quemdam deificatum. Ausi sunt namque dicere non illud Verbum, quod præexistebat, hominem induisse; sed hominem quemdam profectus sui merito coronatum esse.

IV. Tu vero memineris eorum, quæ hesterna die de Divinitate sunt dicta. Crede, quod ille ipse unigenitus Dei Filius, iste iterum natus est de virgine. Crede Joanni evangelistæ dicenti : « Et Verbum caro factum est, et habitavit

[1] Joan. v, 43. — [2] Isaï. vii, 14.

»in nobis [1]. » Verbum quidem æternum est, ante omnia sæcula ex Patre genitum; carnem vero recens propter nos suscepit. Verum contradicunt multi, et dicunt : « Quæ tanta fuit causa, ut Deus ad humana delaberetur? » iterumque : « An id omnino in Dei naturam cadit, ut cum hominibus conversetur [2]? » Et, « Possibile est-ne virginem parere sine viro? » Cum plurima sit contradictio et multiformis pugna, age, per Christi gratiam et eorum, qui hic adsunt, orationes, singula dissolvamus.

V. Ac primum illud quæratur a nobis, cujus rei gratia descenderit Jesus. Neque meis ratiocinationibus attende, sophismatis enim forte illudi possibile; verum nisi Prophetarum de re unaquaque acceperis testimonia, his quæ dicentur ne crede. Nisi et de Virgine, et de loco, et de tempore, et de modo didiceris ex divinis Scripturis, ne accipias ab homine testimonium [3]. In eum enim, qui nunc adest et docet, potest quidem suspicionis nonnihil cadere; at eum, qui ante mille et eo amplius annos prophetavit, quisnam mente præditus suspectum habere queat? Igitur, si Christi adventus causam inquiris, recurre ad primum Scripturarum librum. Sex in diebus Deus mundum fecit: verum mundus propter hominem est. Sol splendidissimis fulgoribus micat; sed ut homini liceat, effectus est. Et omnia animalia, ut nobis serviant constituta sunt. Herbæ et arbores ad usum nostrum creatæ. Bona, opificia omnia [4]; sed nullum eorum imago Dei, præter hominem solum. Sol mandato solum; homo divinis manibus efformatus fuit. « Faciamus hominem ad imaginem nostram et ad similitudinem [5]. » Lignea terreni regis imago honoratur; quanto magis rationabilis imago Dei? At maximum hoc opificiorum Dei, in paradiso choros agens, inde diaboli

[1] Joan. I, 14. — [2] Baruch, III, 38. — [3] Joan. V, 34. — [4] Gen. I, 31. — [5] Ibid. 26.

ejecit invidia [1]. Plaudebat sibi inimicus, prostrato eo, cui inviderat; an tu gaudentem voluisses inimicum permanere? Iste ad virum accedere propter firmitatem non ausus, ad mulierem uti ad imbecilliorem accessit, cum adhuc virgo esset. Nam post suum e paradiso casum, tunc cognovit Adam Evam uxorem suam [2].

VI. Secundi extitere humanæ progeniei successores Caïn et Abel; et Caïn fuit primus homicida. Diluvium post hæc effusum est, propter multiplicatam hominum pravitatem. Ignis e cœlo in Sodomitas ob eorum impietatem delapsus. Deus subsequentibus temporibus Israëlem elegit. Verum et ipse quoque perversus effectus est, sauciatumque electum genus. Moses enim in monte astabat Deo; ac vitulum populus in Dei locum adoravit [3]. Sub legislatore Moyse qui dixerat : « Non mœchaberis [4], » vir in lupanar ingressus scortari ausus est. Missi sunt post Moysen Prophetæ Israëlem curaturi [5]. At ipsi medicinam afferentes, morbi vi superati deplorabant; ita ut quidam ex ipsis diceret : « Hei mihi, quia periit pius de terra, et qui recte » faciat inter homines nullus est [6]. » Et rursus : « Omnes » declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat » bonum, non est usque ad unum [7]. » Iterumque : « Male- » dictum, et furtum, et adulterium et homicidium effusa » sunt super terram [8]. Filios suos et filias suas sacrifica- » verunt dæmonibus [9]. » Auguriis, veneficiis, ominationumque vanitatibus occupabantur. Et rursus, « Vestimenta » sua ligantes funibus, vela efficiebant altari contingua [10]. »

VII. Maximum erat humani generis vulnus; a pedibus usque ad caput nihil in ipso integrum erat [11]. Non erat apponendo malagmati locus; non oleo, neque ligaturis.

[1] Sap. II, 24. — [2] Gen. IV, 1. — [3] Exod. XXXII, 1. — [4] Id. XX, 13. — [5] Num. XXV, 6. — [6] Mich. VII, 2. — [7] Psal. XIII, 3. — [8] Osee IV, 2. — [9] Psal. CV, 37. — [10] Amos II, 8. — [11] Isaï. I, 6.

Deinde deplangentes et fatiscentes Prophetæ dicebant : « Quis dabit ex Sion salutare [1] ? » Et iterum, « Fiat manus » tua super virum dexteræ tuæ, et super filium hominis quem » corroborasti tibi; et non discedamus a te [2]. » Et alius Propheta supplicabat, dicens : « Domine, inclina cœlos, et » descende [3]. » Exuperant medicinam nostram mortalium vulnera. Prophetas tuos occiderunt [4], altaria tua effoderunt. Emendari per nos malum non potest; te indiget emendatore.

VIII. Exaudivit hanc Prophetarum orationem Dominus. Non despexit Pater genus nostrum in interitum abiens. Filium suum Dominum e cœlis misit medicum ; aitque unus e Prophetis : « Dominus quem vos quæritis venit; et » repente veniet. » Quonam? « In templum suum Domi- » nus [5], » ubi ipsum lapidastis [6]. Deinde hoc audiens alius inter Prophetas, ait illi : « Dei salutem dicens, submisse loqueris? Dei præsentiam ad salutem annuntians, in occulto verba facis? « Super montem excelsum ascende, » qui evangelizas Sion. Dic civitatibus Juda [7]. » Quid dicam? « Ecce Deus vester, ecce Dominus cum fortitudine » venit [8]. » Rursum ipse Dominus dixit : « Ecce ego venio, » et tentorium meum ponam in medio tui, dicit Dominus; » et confugient gentes multæ ad Dominum [9]. » Israëlitæ oblatam per me salutem rejecerunt : « Venio congregare » omnes gentes et linguas [10]. In propria enim venit, et sui » eum non receperunt [11]. » Venis, et quid gentibus impartiris? « Venio congregare omnes gentes, et relinquam » super ipsas signum [12]. » Ex meo enim in cruce certamine, regium unicuique militum meorum in fronte habere signa-

[1] Psal. XIII, 7.— [2] Id. LXXIX, 18, 19.— [3] Id. CXLIII, 5.— [4] 3 Reg. XIX, 10. — [5] Malach. III, 1. — [6] Joan. VIII, 59. — [7] Isaï. XL, 9. — [8] Ibid. 10. — [9] Zach. II, 10, 11. — [10] Isaï. LXVI, 18. — [11] Joan. I, 11. — [12] Isaï. LXVI, 18, 19.

culum dabo. Et alius Propheta dixit : « Et inclinavit cœlos » et descendit, et caligo sub pedes ejus [1]. » Ignoratus namque hominibus fuit ille e cœlis descensus.

IX. Postea Salomon audiens patrem suum Davidem ista dicentem, ædificata admirabili domo, eum qui in ipsam venturus erat prospiciens, præ admiratione dicit : « Vere» ne habitabit Deus cum hominibus super terram [2] ? » Etiam vero, inquit David, [eam quæstionem] antevertens in Psalmo qui « In Salomonem » inscriptus est, in quo habetur : « Descendet sicut pluvia in vellus [3]. Pluvia » quidem, propter cœlestem ejus [originem] : « In vellus » vero, propter humanitatem. Pluvia namque in vellus decidens silentio excipitur ; ita ut, propter ignoratum nativitatis mysterium Magi dicerent : « Ubi est qui natus est Rex » Judæorum [4] ? » et turbatus Herodes de eo qui natus erat percontaretur, et diceret : « Ubinam Christus nascitur [5] ? »

X. Quisnam est ille qui descendit ? ait in consequentibus : « Et permanebit cum sole et ante lunam, genera» tiones generationum [6]. » Et iterum alius ex Prophetis : « Gaude, inquit, vehementer, filia Sion, prædica filia Hie» rusalem : Ecce Rex tuus venit tibi justus et salvans [7]. » Multi reges sunt ; quemnam dicis, o Propheta ? Da nobis signum quod reges alii non habeant. Si purpura amictum dixeris regem ; jam occupata est hujusmodi habitus prærogativa. Si militum satellitio stipatum, et inauratis curribus sedentem ; et hoc quoque insigne ab aliis præceptum est. Da nobis signum regis ejus proprium, cujus adventum annuntias. Respondet Propheta et ait : « Ecce rex tuus venit tibi » justus et salutem impartiens ; ipse mansuetus, et sedens » super subjugem et pullum novum, » non in curribus. Habes unicum et singulare signum regis qui advenit. Solus

[1] Psal. XVII, 10. — [2] 3 Reg. VIII, 27. — [3] Psal. LXXI, 5. — [4] Matth. II, 2. — [5] Ibid. 4. — [6] Psal. LXXI, 6. — [7] Zach. IX, 9.

e regibus Jesus in pullo [1] onerum inexperto sedit, cum acclamationibus regis instar Hierosolymam ingrediens. Quid autem facit rex iste adveniens? « Et tu in sanguine » testamenti emisisti vinctos tuos ex lacu aquam non ha» bente [2]. »

XI. Atqui fieri sane poterat ut pullo insideret. Da nobis potius signum, ubinam consistet rex qui ingreditur? Et signum quidem ne dederis procul a civitate, ut non ignoremus; dederis vero nobis in proximo signum oculis conspicuum, ut et in ipsa urbe versantes locum contemplemur. Propheta vero rursus respondet, aiens : « Et stabunt pedes » ejus in die illa super montem Olivarum, quod est e re» gione Hierusalem ad Orientem [3]. » Numquid aliquis intus stans in civitate locum non videt?

XII. Habemus duo signa, et tertium cupimus addiscere. Dic quid facturus sit adveniens Dominus? Dicit alter Propheta : « Ecce Deus noster : » et deinceps, « Ipse veniet et » salvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures » surdorum exaudient. Tunc saliet instar cervi claudus, et » expedita erit lingua balborum [4]. » Dicatur nobis et aliud testimonium. Dominum dicis venturum, o Propheta, signa, qualia nunquam fuerunt facta [5], patrantem; cujusmodi aliud manifestum dicis? « Ipse Dominus in judicium venit » cum presbyteris populi et cum principibus ejus [6]. » Signum singulare ac præcipuum; Dominus a servis presbyteris judicatus, et id patiens.

XIII. Hæc legentes Judæi non audiunt. Obturaverunt aures cordis, ut non audiant. Sed nos credamus in Jesum Christum, QUI IN CARNE ADVENIT ET INHUMANATUS EST; quandoquidem aliter capere non potuissemus. Cum enim nos eum sicut ille est intueri, eove frui non possemus;

[1] Matth. XXI, 7. — [2] Zach. IX, 11. — [3] Id. XIV, 4. — [4] Isaï. XXXV, 4-6. — [4] Joan. XV, 24. — [5] Isaï. III, 14.

factus est id quod nos sumus, ut sic eo frui digni efficeremur. Nam si solem, qui quarto die factus est, perfecte intueri non valemus, Deum-ne ejus auctorem videre possimus? In igne descendit Dominus super montem Sina, nec sustinuit populus; sed « Ad Moysen dixerunt : Loquere tu » nobis, et audiemus; et non loquatur ad nos Deus, ne » forte moriamur [1]. » Et rursus : « Quæ est enim omnis » caro, quæ audivit vocem Dei viventis, loquentis de medio » ignis, et vivet [2]? » Si vocem Dei loquentis audire, mortem conciliat; Deum ipsum cernere, quomodo mortis causam non afferret? Quid vero miraris? Etiam ipse Moyses dixit : « Exterritus sum et tremebundus [3]. »

XIV. Quid igitur velles? eum-ne, qui ad salutem venit, interitus nobis causam fieri, eo quod eum non possent mortales sustinere; an potius eum ad modum nostrum gratiam suam attemperare? Daniel Angeli conspectum non tulit, et tu Angelorum Domini contuitum sustinuisses? Gabriel apparuit, et cecidit Daniel [4]. Cujusmodi vero erat, quove habitu is qui apparebat? « Vultus ejus uti fulgur » erat; » Non uti sol : « Et oculi ejus sicut lampades ignis; » non sicut fornax ignis : « Et vox sermonum ejus, sicut » vox multitudinis [5]; » non sicut duodecim legionum Angelorum [6]; et tamen procidit Propheta. Et accedit Angelus, dicens : « Ne timeas, Daniel, surge; animi compos esto, » exaudita sunt verba tua. » Et ait Daniel : « Surrexi tre» mens. » Neque tamen idcirco respondit, donec tetigit eum similitudo manus hominis. Et post quam, is qui appabat, « In visionem hominis » transmutatus est, tunc Daniel occipit loqui. Et quid ait? « Domine, in visione tui inversa » sunt interiora mea in me ; et non stabit in me fortitudo, » et halitus non remansit in me [7]. » Si Angelus conspectus,

[1] Exod. xx, 19.— [2] Deut. v, 26.— [3] Hebr. xii, 21.— [4] Dan. x, 9. — [5] Id. v, 6.— [6] Matth. xxvi, 53. — [7] Dan. x, 10-19.

Prophetæ vocem et fortitudinem eripuit; liberum-ne halitum permitteret Dei ipsius apparitio? et « Donec, inquit » Scriptura, tetigit me tanquam visio hominis, » non est recreatus Daniel. Experientia igitur imbecillitatis nostræ demonstrata, assumpsit hoc Dominus quod requirebat homo. Quandoquidem enim ab simili sui specie audire verba cupiebat homo; similium affectionum naturam induit Salvator, ut homines facilius erudirentur.

XV. Accipe et aliam causam. Venit Christus ut baptizaretur, et sanctificaret baptisma. Venit ut miracula operaretur, ambulans super aquas maris [1]. Quoniam igitur ante ejus in carne adventum, « Mare vidit et fugit, et Jordanis » conversus est retrorsum [2]; » Dominus corpus assumpsit, ut mare videns sustineret, et Jordanis illum, posito metu, reciperet. Atque hæc quidem causa una; est autem et altera. Per virginem Evam subiit mors; oportebat per virginem, seu potius de virgine, prodire vitam; ut sicut illam decepit serpens, ita et huic Gabriel bonum nuntium afferret. Homines, derelicto Deo, humana forma simulacra fabricaverunt. Cum igitur humanæ formæ figmentum tanquam Deus mendaciter adoraretur; Deus vere homo factus est, ut dissolveretur mendacium. Carnis contra nos instrumento diabolus utebatur, quod sciens Paulus ait : « Video autem aliam legem in membris meis militantem » adversus legem mentis meæ, et captivum me ducen» tem [3], etc. » Quibus igitur armis nos diabolus debellabat, iisdem et salvi effecti sumus. Assumpsit ex nobis Dominus quod nostri simile est, ut humanæ naturæ salutem impertiret. Similitudinem nostram assumpsit, ut ei quod defectum patiebatur majorem conferret gratiam; ut peccatrix humana natura Dei particeps fieret. « Ubi enim abun» davit peccatum, superabundavit gratia [4]. » Oportebat

[1] Matth. XXIV, 25. — [2] Psal. CXIII, 3. — [3] Rom. VII, 23. — [4] Id. V, 20.

Dominum pro nobis pati; sed non ausus fuisset accedere diabolus, si ipsum novisset : « Si enim cognovissent, » prorsus Dominum gloriæ non crucifixissent[1]. » Esca igitur morti objecta fuit corpus; ut, cum illud se devoraturum speraret draco, etiam evomeret eos, quos jam devoraverat : « Devorabat enim mors prævalens; » et rursus, « Abstulit » Deus omnem lacrymam a facie omni[2]. »

XVI. Numquid jam frustra Christus inhumanatus est? num doctrinæ nostræ, verborum commenta sunt, et humani ingenii fallaciæ? Nonne divinæ Scripturæ sunt salus nostra? nonne Prophetarum prædictiones? Commendatum igitur hoc depositum mihi immobile custodi, teque nemo dimoveat. Crede Deum hominem factum. Ac demonstratum quidem est, quod illum inhumanari possibile fuit; si autem amplius credere detrectant Judæi, ita illos conveniamus. Quid annuntiamus novi, dum dicimus Deum hominem factum; cum vos ipsi dicatis quod Abraham Dominum exceperit hospitio[3]? Quid insolens prædicamus, cum Jacob dicat : « Vidi enim Deum facie ad faciem, et » salva facta est anima mea[4]? » Qui apud Abraham comedit Dominus, idem apud nos comedit[5]. Quid igitur inusitatum proferimus? Sed et duos testes exhibemus, qui in monte Sina Domino astitere[6]. Moyses erat in foramine petræ[7]; et Elias tunc in foramine petræ[8]. Ipsi transfigurato præsentes facti in monte Thabor, dicebant Discipulis exitum quem completurus erat in Hierusalem[9]; sed incarnari possibile fuisse, ut supra dixi, demonstratum est; quæque supersunt demonstrationes, studiosis ad colligendum relinquantur.

[1] 1 Cor. II, 8. — [2] Isaï. XXV, 8. — [3] Gen. XVIII, 3. — [4] Id. XXXII, 30. — [5] Id. XVIII, 8. — [6] Exod. XIX, 2, 3, et 3 Reg. XIX, 8, 9. — [7] Exod. XXXIII, 22. — [8] 3 Reg. XIX, 13. — [9] Luc. IX, 30, 31.

XVII. Cæterum pollicita erat oratio nostra, reperire Salvatoris adventus et tempus et locum. Nec oportet nos falsæ promissionis reos abscedere, sed potius Ecclesiæ candidatos idoneo munitos præsidio dimittere. Inquiramus igitur tempus quando Salvator advenit; quoniam recens ejus est hic adventus, eique contradicitur : et quoniam « Christus Jesus heri et hodie est, existens, et in sæcula [1]. » Moyses igitur Propheta ait : « Prophetam vobis suscitabit » Dominus Deus ex fratribus vestris, sicut me [2]. » Reservetur interim illud, « Sicut me, » quod propriis locis declarandum erit [3]. Verum, quandonam expectatus ille Propheta venit? Recurre, inquit, ad ea quæ a me scripta sunt. Inquire in Jacobi prophetiam Judæ dictam. « Juda te laudent » fratres tui [4], » et quæ sequuntur; ut non omnia recitemus. « Non deficiet princeps ex Juda, neque dux ex femo» ribus ejus, donec veniat cui repositum est; et ipse » expectatio » non Judæorum, sed « gentium [5]. » Signum igitur Christi adventus dedit, quando desierit principatus Judæorum. Si non Romanis hoc tempore subjecti sunt, nondum venit Christus. Si habent [principem] ex genere Juda et David, necdum venit qui expectatur. Pudet me namque recentia illorum instituta commemorare, de his qui apud illos Patriarchæ modo dicuntur, et quodnam eorum sit genus, quæ mater; quæ quidem iis, qui noverunt, libenter relinquo. At ille qui venit « Expectatio gentium, » quale iterum signum habet? Ait consequenter : « Ligans » ad vitem pullum suum [6]. » Cernis pullum illum, qui ab Zacharia diserte prænuntiatus est [7].

XVIII. Sed rursus quæris et aliud temporis testimonium. « Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego ho-

[1] Hebr. XIII, 8. — [2] Deut. XVIII, 15, et Act. VII, 37. — [3] Nullibi promissum illud exolvit Cyrillus. — [4] Gen. XLIX, 8. — [5] Ibid. 10. — [6] Ibid. 11. — [7] Zach. IX, 9.

» die genui te. » Et post pauca : « Pasces eos in virga » ferrea [1]. » Dixi jam prius [2], quod virga ferrea manifeste vocatur Romanorum imperium, de quo id quod reliquum est, ex Daniele commemoremus. Enarrans enim et interpretans Nabuchodonosori imaginem statuæ, omnem quoque illi edisserit de statua visionem : lapidemque sine manibus de monte excisum, nimirum humana opera non productum, universo orbi dominaturum edicit. Et apertissime loquitur in hunc modum : « Et in diebus regnorum » illorum, excitabit Deus cœli regnum quod in æternum » non dissipabitur, et regnum illius alteri populo non dere» linquetur [3]. »

XIX. Verum quærimus adhuc clariorem temporum adventus ejus demonstrationem. Cum enim ægre ad credendum inducatur homo, nisi ipsos quoque annos manifeste ad calculum exactos habeat, dictis non credit. Quæ igitur temporis circumstantia, et cujusmodi tempus? Quando deficientibus oriundis ex Juda regibus, deinceps alienigena regnabit Herodes. Dicit igitur ad Danielem loquens Angelus : (tu mihi nunc obsigna quæ dicam.) « Et cognosces atque intelliges. Ab exitu sermonis ut responsum sit, et » ædificata sit Hierusalem, usque ad Christum ducem, heb» domades septem et hebdomades sexaginta duæ [4]. » Sexaginta et novem annorum hebdomadæ, annos constituunt quadringentos-octoginta tres. Ait igitur quod, elapsis post ædificatam Hierusalem annis quadringentis-octoginta-tribus, ac deficientibus principibus, tunc veniet rex quidam alienigena, sub quo nascetur Christus. Darius igitur Medus ædificavit [Hierusalem,] sexto quidem sui ipsius regni anno, sexagesimæ vero sextæ Græcorum Olympiadis primo [5]. Olympias autem apud Græcos vocatur, quod singulis qua-

[1] Psal. II, 7 et 9. — [2] In alia quadam homilia. — [3] Dan. II, 44. — [4] Id. IX, 25. — [5] 1 Esdr. VI, 15, et 3 Esdr. VII, 5.

drienniis fieri solet certamen; propter eam diem, quæ in solaribus per quadriennium cursibus, ex horis tribus unoquoque anno residuis conficitur. Herodes porro regnat centesima-octogesima-sexta Olympiade, quarto ejusdem anno. Igitur a sexagesima-sexta, ad centesimam octogesimam-sextam, intercedunt centum et viginti Olympiades, et modicum quidpiam. Conficiunt ergo viginti supra centum Olympiades, summam annorum quadringentorum-octoginta. Nam tres alii postea anni, [ad complendum hebdomadarum numerum necessarii,] in eo sane, quod inter primum et quartum annum interjacet, intervallo sumuntur. Jam igitur habes demonstrationem ex Scriptura aiente : « Ab exitu sermonis, ut responsum sit, et ædificata sit » Hierusalem, usque ad Christum ducem ; hebdomades sep- » tem, et hebdomades sexaginta-duæ [1]. » Hanc interim habes temporum demonstrationem, quamvis aliæ diversæ non desint, de prædictis in Daniele annorum hebdomadibus, interpretationes.

XX. Promissionis vero locum audi jam, Michæa dicente : « Et tu Bethlehem domus Ephrata, nequaquam » minima es ut sis in millibus Juda. Ex te enim mihi exi- » bit dux, ut sit in principem in Israël ; et egressiones ejus » ab initio, ex diebus sæculi [2]. » Quanquam loca quod attinet, Hierosolymitanus cum sis, jam prius nosti ea, quæ in centesimo-trigesimo-primo Psalmo scripta sunt : « Ecce » audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis » sylvæ [3]. » Ante paucos namque annos sylvestris erat locus. Audisti rursus Abbacum dicentem ad Dominum : « Cum » appropinquaverint anni, agnosceris ; cum advenerit tem- » pus, ostenderis [4]. » Et quodnam, o Propheta, venientis Domini signum erit ? Ille autem subdidit : « In medio duo-

[1] Dan. IX, 25. — [2] Mich. V, 2. — [3] Psal. CXXXI, 6. — [4] Habac. III, 2.

» rum vitarum cognosceris. » In hanc sententiam Dominum perspicue alloquens : « In carne adveniens, vives et morieris; et resurgens ex mortuis, iterum vives. » Quanam vero ex hierosolymitanæ regionis parte venturus est? num ex oriente vel occasu, Aquilone vel Austro? dic nobis accurate. Ille autem planissime respondet et ait : « Deus a » Thæman veniet : (Thæman vero interpretatur Auster.) » et Sanctus de monte Pharan umbroso, condenso [1]. » Quod in eumdem sensum dixit Psaltes : « Invenimus eam » in campis sylvæ [2]. »

XXI. Deinde quærimus, ex qua [persona] veniet, et quomodo veniet? Hoc autem nos docet Hesaïas : « Ecce » virgo in utero accipiet, et pariet filium, et vocabunt no» men ejus Emmanuël [3]. » Et his contradicunt Judæi; solent enim illi antiquitus veritati male refragari; aiuntque scriptum non esse « Virgo, » sed, « Puella. » Ego autem in hac voce indulgenter acquiescens, sic quoque veritatem reperio. Quærendum namque ex illis : « Virgo cum violatur, ecquando clamat? num ante vim illatam, an postquam corrupta est, auxilium advocans? Si igitur alicubi dicat Scriptura : « Clamavit puella, et non fuit qui succurreret » illi [4]; » numquid hic de virgine non loquitur? Ut vero manifestius addiscas, quod virgo etiam in divina Scriptura « Puella » appelletur, audi librum Regnorum de Abisac Sunamitide dicentem : « Et erat puella pulchra valde [5]. » Eam enim virginem electam fuisse, atque ad Davidem adductam, in confesso est.

XXII. Sed dicunt rursus Judæi : « De Ezechia hoc dictum est ad Achaz. » Legamus igitur Scripturam. « Pete tibi » ipsi signum a Domino Deo tuo, in profundum aut in su» blime [6]. » Atqui signum maxime, admirabile ac præter

[1] Habac. III, 3. — [2] Psal. CXXXI, 6. — [3] Isaï. VII, 14. — [4] Deut. XXII, 27. — [5] 3 Reg. I, 4. — [6] Isaï. VII, 11.

opinionem esse debet. Signum enim fuit, aqua de petra elicita [1] : disruptio maris [2] : solis retrocessio, et similia [3]. Quæ autem dicturus sum, evidentiorem habent adversus Judæos convictionem. (Novi me multum extendi sermone, et delassari auditores. Verum sermonis prolixitatem sustineatis velim; quando ista propter Christum dicuntur, neque de rebus contemnendis hic agitur. Cum itaque regnante Achaz hoc dixerit Hesaïas; Achaz porro sexdecim duntaxat annos regnaverit [4], quos intra dicta est ad ipsum prophetia : Judæorum contradictionem revincit successor ejus rex Ezechias Achazi filius, qui cum regnum adiit [5], annorum quinque et viginti erat. Cum enim prophetiæ [tempus] annorum sexdecim [spatio] circumscribatur, novem ante prophetiam annis fuerat ex Achaz natus. Quid igitur de eo, qui jam natus erat, etiam antequam pater ejus Achaz regnum adiret, prophetiam loqui necesse erat? Non enim dixit : « Accepit; » sed prædictionis modo, « Ac» cipiet virgo. »

XXIII. At illud quidem manifeste cognovimus, quod ex virgine nascitur Christus : jamvero ex quo genere virgo extiterit, aperiendum. « Juravit Dominus Davidi veritatem, » et non frustrabitur eam : De fructu ventris tui ponam » super sedem tuam [6]. » Et rursus : « Ponam in sæculum » sæculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies cœli [7]. » Et deinde : « Semel juravi in sancto meo, si Davidi mentiar : » semen ejus in æternum manebit; et thronus ejus sicut » sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æter» num [8]. » Vides de Christo, non autem de Salomone sermonem haberi. Non enim thronus ejus sicut sol permansit. Quod si quis contradixerit, eo quod Christus non

[1] Exod. XVII, 6. — [2] Id. XIV, 21, 22. — [3] 4 Reg. XX, 11. — [4] Id. XVI, 2. — [5] Id. XVIII, 22. — [6] Psal. CXXXI, 11. — [7] Id. LXXXVIII, 30. — [8] Ibid. 36-38.

sederit in ligneo Davidis solio, hanc illi sententiam proferamus. « Super cathedram Mosis sederunt Scribæ et Pharisæi [1]. » Non enim ligneam cathedram significat, sed doctrinæ auctoritatem. Sic et solium Davidis quærito; non ligneum solium, sed ipsam regiam potestatem. Cujus rei testes accipe pueros acclamantes : « Hosanna filio David : Benedictus rex Israëlis [2]. » Cæci quoque aiunt : Fili David » miserere nostri [3]. » Et Gabriel aperte testatur ad Mariam dicens : « Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris » ejus [4]. » Et Paulus ait :» Mementote Jesum Christum ex» citatum a mortuis, ex semine David, secundum Evange» lium meum [5]. » Et in principio Epistolæ ad Romanos ait : « Qui factus est ex semine David secundum carnem [6]. » Recipe igitur eum, qui ex Davide natus est, obsequens prophetiæ aienti : « Et erit in die illa radix Jessæ, et qui exurget recturus gentes; in ipso gentes sperabunt [7]. »

XXIV. Sed Judæi propter hæc vehementer discruciantur. Præviderat hoc quoque Hesaïas dicens : « Et volent, si » fuerint igne combusti. Quia puer natus est nobis; (non » enim illis) filius, et datus est nobis [8]. » Animadverte porro quod prius Filius Dei erat, deinde datus est nobis. Et post pauca dicit : « Et pacis ejus non est terminus [9]. » Romanis sui sunt termini : regni autem Filii Dei terminus non est. Persarum Medorumque determinati sunt fines : Filii vero Dei terminus nullus. Deinde sequitur : « Super » thronum David, et super regnum ejus, ut erigat illud [10]. » Ex Davide igitur fuit virgo sancta.

XXV. Decebat enim eum, qui purissimus est, et puritatis magister, ex puris prodire thalamis. Si enim is, qui apud Jesum bene fungitur sacerdotio, abstinet a muliere,

[1] Matth. XXIII, 2. — [2] Id. XXI, 9, et Joan. XII, 13. — [3] Matth. IX, 26. — [4] Luc. I, 32. — [5] 2 Tim. II, 8. — [6] Rom. I, 3. — [7] Isaï. XI, 10. — [8] Id. IX, 5, 6. — [9] Ibid. 7. — [10] Ibid.

ipse Jesus quomodo ex viro et muliere proditurus foret? « Quoniam tu es, ait in Psalmis, qui extraxisti me de » ventre [1]. » Attende diligenter ad illud, « Qui extraxisti me » de ventre : » quo significatur eum sine virili opera ex virginis utero et carne extractum et natum esse. Eorum enim qui nuptiali lege nascuntur alius est modus.

XXVI. Non veretur autem ex hujusmodi membris carnem assumere, qui est ipsorum membrorum fictor. Sed quis tandem hoc nobis dicit? Hieremiæ dicit Dominus : « Prius quam te fingerem, ex utero novi te; et antequam » exires ex vulva, sanctificavi te [2]. » Qui igitur in fingendis hominibus, [membra] contingit, nec id probro ducit, puderet-ne illum sanctam carnem, illud suæ Deitatis velamen, propter se ipsum effingere? Deus est, qui in utero hodiernum usque diem hominum fœtus construit, sicut in Job scriptum est : « Nonne sicut lac me mulsisti, coagulasti » vero me sicut caseum? cute et carnibus me induisti, os- » sibus me et nervis innexuisti [3]. » Nihil est in hominis fabrica abominabile, nisi ipsam adulteriis et lascivia coinquinet. Qui Adamum finxit, Evam finxit quoque; divinisque manibus tum masculus tum fœmina effecti sunt. Nullum e corporis membris abominatum ab initio formatum est. Obmutescant enim omnes hæretici qui corpora criminantur, imo potius ipsum qui effinxit. Nos vero meminerimus Pauli sententiæ : « Nescitis quod corpora vestra templum » sunt Spiritus sancti, qui in vobis est [4]? » Rursumque Propheta ex persona Jesu prædixit : « Caro mea ex ipsis [5]. » Et alibi scriptum est : « Propter hoc dabit eos usque ad » tempus parturientis [6]. » Quodnam autem signum? in consequentibus dicit : « Pariet, et reliqui fratrum ipsorum » convertentur [7]. » Et quinam sunt virginis, sanctæ sponsæ,

[1] Psal. xxi, 10. — [2] Jer. i, 5. — [3] Job. x, 10, 11. — [4] i Cor. vi, 19. — [5] Osee ix, 12. — [6] Mich. v, 3. — [7] Ibid.

nuptiarum arrhabones? Et desponsabo te mihi ipsi in »fide [1]. » Et Elisabeth ad ipsam loquens similiter dicit : « Et beata, quæ credidit, quoniam perficientur ea, quæ » dicuntur ei a Domino [2]. »

XXVII. Sed exagitant nos tam Græci quam Judæi, aientes impossibile fuisse ut Christus ex virgine nasceretur. Græcis primum ex ipsorummet fabulis os obstruamus. Qui enim dicitis projectos lapides in homines transmutari, quomodo virginem parere impossibile dicitis? Qui ex cerebro natam filiam fabulamini, qui ex virginali utero nasci filium non posse affirmatis? Qui de femore vestri Jovis, quasi prægnante utero, falso editum Bacchum asseritis; quomodo nostra quæ sunt vera respuitis? Indigna præsenti auditorio me dicere haud clam me est. Verum, ut tu Græcis opportune opprobres, hæc attulimus, suis ipsos ex fabulis confutantes.

XXVIII. Illis vero, qui ex circumcisione sunt, ita occurras rogando : « Utrum difficilius sit sterilem anum suetis jam defectam parere; an virginem in ætatis flore generare? » Sterilis erat Sara [3], et post quam muliebria desierant, præter naturam peperit [4]. Igitur, si sterilem generare, præter naturam est; hoc quoque præter naturam, virginem matrem fieri. Aut ergo utrumque simul rejice, aut utrumque admittito. Idem enim Deus et illud fecit, et hoc molitus est : neque audebis dicere, illc possibilem Deo, hic impossibilem rem fuisse. Rursus : « Ecquis ille naturæ ordo, ut manus hominis una in hora in alteram speciem transmutetur, et rursus restituatur? quomodo igitur Mosis manus nivis instar in candorem versa [5], et repente in priorem statum redintegrata est? » Nempe id dices, Deum, cum voluisset, transmutasse. An vero Deus illic cum voluerit po-

[1] Osee II, 20. — [2] Luc. I, 45. — [3] Gen. XI, 30. — [4] Id. XVIII, 11. — [5] Exod. IV, 6, 7.

test, hic autem non valet? Ac illud quidem signum ad Ægyptios tantum pertinebat : istud vero signum universo orbi datum. O Judæi, quidnam difficilioris videtur operæ, virginem parere, an virgam in animantem mutari? Confitemini quod sub Moyse, virga rectissima serpentis in speciem versa [1], ipsi qui projecerat timorem incussit. Quique antea virgam tenebat, eam postea effugiebat ceu draconem, vere enim draco erat : fugiebat autem, non id quod tenebat extimescens; sed ejus qui mutaverat pavore constrictus. Dentes habuit virga, et oculos draconis. Scilicet, ex virga oculi videndi vi præditi enascuntur : et ex utero virginali non nascitur, Deo volente, puer? Taceo enim quod Aaronis virga, id quod cæteræ arbores plurium annorum spatio producunt, hoc ipsum intra unam noctem protulerit [2]. Quis enim nescit virgam cortice destitutam, etiamsi in mediis fluminibus plantetur, nunquam germinaturam esse? Sed cum Deus arborum naturis non serviat, imo naturarum auctor sit; infructuosa, arida, et decorticata virga floruit, germinavit, et nucum fructus protulit. Ille igitur qui virgæ, propter summum sacerdotem typicum [seu alterius figuram,] fructum supra naturam ferre dedit; nonne virgini, propter verum summum Sacerdotem, parere concesserit?

XXIX. Egregiæ sane hæ sermonum commemorationes. Sed nihilominus pugnant Judæi; nec in his virgæ exemplis acquiescunt, nisi similis generis admirabilis et præter naturam partubus persuadeantur. Illos itaque in hunc modum percunctare. Eva ab initio de quo nata est? quæ mater illam sine matre fœminam concepit? ait autem Scriptura, quod ex Adæ costa effecta est [3]. Ergo-ne Eva ex viri latere sine matre nata fuerit; puer vero ex virginis utero absque opera viri nasci non possit? Reddendæ viris gratiæ obno-

[1] Exod. IV, 3. — [2] Num. XVII, 8. — [3] Gen. II, 22.

xium erat fœmineum genus. Eva namque ex Adam nata fuerat, non ex matre concepta, sed ex viro solo tanquam partu edita. Reddidit ergo Maria hujus gratiæ debitum, dum non ex viro, sed ex se sola incontaminate de Spiritu sancto per virtutem Dei genuit.

XXX. Accipiamus porro aliud longe majus. Ex corporibus namque corpora produci, mirum licet videatur, possibile est tamen. At pulverem terræ hominem fieri hoc admirabilius. Quod lutum confusum, oculorum tunicas et splendores assumat, id sane majorem habet admirabilitatem. Quod ex pulvere unius formæ, et ossium firmitudo, et pulmonis teneritas, et reliquæ membrorum diversæ species enascantur; illud admiratione dignum. Lutum animatum, orbem insito motu circuire, et ædificare; hoc admirabile. Lutum docere et loqui, et fabrilia opera exercere, et regnum moderari, hoc mirari decet [1]. Igitur, o imperitissimi Judæi, unde Adam factus est? nonne Deus pulverem e terra sumens, admirabile illud figmentum effinxit [2]? Quid ergo? lutum in oculum transformatur, et virgo filium non generabit? Quod hominum judicio magis impossibile censetur, fit tamen; et quod se ipso possibile est, id non fiat?

XXXI. Horum memores simus, fratres. His tanquam propulsatoriis armis utamur. Ne perferamus hæreticos, qui adventum [Christi] sola specie atque opinione docent. Despuamus et eos, qui nativitatem Salvatoris ex viro et fœmina contigisse dicunt, qui eum ex Joseph et Maria progenitum dicere ausi sunt, eo quod scriptum sit : « Et accepit » conjugem suam [3]. » Meminerimus Jacob, qui, prius quam Rachelem sumeret, dixit ad Laban : « Redde uxorem » meam [4]. » Sicut enim illa ante nuptiarum sanctionem, propter solam, quæ intercesserat, promissionem, Jacobi

[1] Job. XXXVIII, 14. — [2] Gen. II, 7. — [3] Matth. I, 24. — [4] Gen. XXIX, 21.

uxor appellabatur; sic et Maria, propter desponsationem uxor Josephi dicta fuit (13). Vide autem Evangelii accuratam loquendi rationem, dum ait : « In mense autem sexto » missus est angelus Gabriel a Deo in civitate Galilææ, cui » nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui no- » men Joseph [1], etc. » Et iterum, cum descriptio ageretur, et ascenderet Joseph ut describeretur, quid dicit Scriptura? « Ascendit autem et Joseph a Galilæa, ut describeretur » cum Maria desponsata sibi uxore prægnante [2]; » prægnans enim erat. Non autem dixit : « Uxore sua, » sed « Despon- » sata sibi. Misit enim Deus filium suum, » ait Paulus; non, « Factum ex viro et muliere, » sed, « Factum ex muliere [3] » solum, hoc est, ex virgine. Quod enim mulieris nomine vocetur etiam virgo, ante demonstravimus. Ex virgine enim natus est, qui animas virgines efficit.

XXXII. Sed miraris quod factum est. Hoc admirabatur etiam ipsa quæ genuit. Dicit enim ad Gabrielem : « Quo- » modo erit mihi istud, siquidem virum non cognosco? » Ille vero ait : « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus » Altissimi obrumbrabit tibi. Propterea et quod nascetur » sanctum, vocabitur filius Dei [4]. » Pura et incontaminata generatio. Ubi enim spirat Spiritus sanctus, ibi detractum est omne inquinamentum. Sordis aliena est Unigeniti ex virgine in carne nativitas. Et si veritati contradicant hæretici, convincet eos Spiritus sanctus : indignabitur virtus Altissimi, quæ [virginem] obumbravit : opponet sese in die judicii adverso Gabriel vultu [5]. Confundet illos præsepii locus qui Dominum excepit [6]. Pastores testimonium ferent, qui tunc faustum nuntium acceperunt : et exercitus Angelorum laudantium, celebrantium, et dicentium [7] : « Gloria in altissimis Deo, et in terra pax in hominibus

[1] Luc. I, 26. — [2] Id. II, 4, 5. — [3] Gal. IV, 4. — [4] Luc. I, 34, 35. — [5] Ibid. 26. — [6] Id. II, 7. — [7] Ibid. 10-13.

» complaciti [1]. » Templum in quod illatus est quadragesima die : paria turturum pro ipso oblata [2] : et qui tunc eum ulnis amplexatus est Simeon [3]; et quæ affuit Anna prophetissa [4].

XXXIII. Deo igitur testante, et Spiritu sancto una testimonium ferente, et Christo dicente : « Quid me quæritis » interficere [5], hominem qui veritatem vobis locutus sum [6]? » Obmutescant hæretici, qui humanitati contradicunt. Contradicunt namque dicenti : « Contrectate me, et videte quia » spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habe» re [7]. » Adoretur natus ex virgine Dominus : noverintque virgines proprii instituti decus et coronam. Agnoscat et monachorum ordo puritatis gloriam; non enim privamur [viri] dignitate integritatis. In ventre virginis novem mensium tempus exactum est Salvatori : at vir fuit Dominus tres annos et triginta. Adeo ut si gloriatur virgo propter novimestre tempus; multo nos magis [possumus gloriari] propter annorum multitudinem.

XXXIV. Omnes autem castitatis cursum Dei gratia curramus, juvenes et virgines, senes cum junioribus [8]; non lascivias sectantes, laudantes nomen Christi. Non ignoremus puritatis gloriam; angelica enim hæc excellentia est, et perfectum supra hominem officium. Vereamur corpora, quæ sicut sol lucebunt olim [9]. Ne propter tenuem voluptatem tale ac tantum corpus inquinemus. Parvum enim quidpiam et horam durans peccatum; multorum vero annorum et æternum ejus opprobrium est. Qui puritatem sectantur, Angeli sunt in terra ambulantes. Virgines, cum Maria virgine partem habent. Eliminetur omnis curiosus ornatus, et omnis nocivus aspectus, et omnis deambulatio dissoluta,

[1] Luc. II, 14. — [2] Ibid. 22 et 24. — [3] Ibid. 28. — [4] Ibid. 36. — [5] Joan. VII, 20. — [6] Id. VIII, 40. — [7] Luc. XXIV, 39, 40. — [8] Psal. CXLVIII, 12. — [9] Matth. XIII, 43.

et omnis stola [seu promissa vestis,] et suffimentum voluptatem pelliciens. Quantum vero ad omnes, suffimentum sit, cum boni odoris tum bonorum operum oratio, et corporum sanctificatio [1]; ut qui ex virgine natus est Dominus, dicat etiam de nobis tum viris integritatem servantibus, tum fœminis coronatis : « Inhabitabo in illis et inambulabo : » et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus [2]. » Cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Psal. CXLI, 2. — [2] 2 Cor. VI, 16, et Levit. XXVI, 11, 12.

CATECHESIS XIII.

ILLUMINANDORUM,

Hierosolymis extemporalis dicta, in illud : CRUCIFIXUM ET SEPULTUM. *Et lectio ex Hesaïa :* Domine, quis credidit auditui nostro : et brachium Domini cui revelatum est [1]? *et in sequentibus* : Sicut ovis ad occisionem ductus [2], etc.

ARGUMENTUM.

I. *Summa Ecclesiæ gloriatio, crux Domini.—Christus non erat nudus homo, sed unigenitus Dei Filius pro nobis moriens.* III. *Non pudeat nos crucis, imo magis gloriemur. — Non pro suis Christus, sed pro nobis peccatis est passus. — Testes minime suspecti innocentiæ Jesu.* IV. *Passus est Christus pro omnibus : vere, non opinione.—Crux fidenter confitenda, quia ipsam resurrectio consecuta est.* V. *Innocentiæ Christi probationes ex ejusdem doctrina. -- Non invitus sed sponte ad passionem venit.* VI *Passionem suam prædixit. — Crux, Christi gloria. Id probatur.* VII. *Occurritur objectionibus Judæorum. —Hierosolyma temporis præsentis a vetere Hierosolyma diversa.* VIII. *Omnia, quæ ad Christum pertinent, in veteribus Scripturis consignata.* IX. *Judæ proditio prænuntiata.* X. *De triginta argenteis.* XI. *Conciliatur Propheta cum Evangelio. — Secum ipsa pugnans Judæorum procerum ad Judam proditorem oratio.—Figuli quoque sua habent*

[1] Isaï. LIII, 1.— [2] Ibid. 7.

conflatoria. XII. *Jesus ligatus. — Jesus a Judæis judicatus.* XIII. *Jesus suo exemplo doctrinam confirmat suam.* XIV. *Jesus ad Pilatum adductus.* XV. *Judæorum ingratitudo.* XVI. *Jesus judicatus silet.* XVII. *Jesus illuditur a militibus : quod vertitur in mysterium.* XVIII. *Jesus suæ passionis instrumentis veteres maledictiones abolevit.* XIX. *Reparatio per lignum damni per lignum illati. — Supplicium crucis Prophetarum. — Corpus Christi in cœna figuram gessit panis.* XX. *Crucis in Veteri Testamento figuræ.* XXI. *E Christi latere sanguis et aqua, variarum rerum mysteria, profluxerunt.* XXII. *Signum crucis ante disputationem cum infidelibus fronti imprimendum, et ejus rei efficacia.* XXIII. *Crux Christi constanter pacis et persecutionum temporibus confitenda. — Golgothæ interpretatio.* XXIV. *Tenebræ passionis tempore.* XXV. *In azymis et festo Paschatis die, in crucem actus est Christus.* XXVI. *Divisa Christi vestimenta. — Psalmistæ Ecclesiæ.* XXVII. *Christus rubra veste amictus.* XXVIII. *Golgotha medius terræ locus. — Christus in cruce manus expandens in mysterio.* XXIX. *Sitis Christi quomodo a Judæis restincta. — Prophetæ translati a Judæis ad Ecclesiam.* XXX. *De latronibus una cum Christo crucifixis.* XXXI. *Gratia latronem præveniens. — Latro credens non obduravit cor suum. — Latro paradisum ante omnes ingreditur.* XXXII. *De horto in quo crucifixus est Jesus. — Velum templi scissum.* XXXIII. *Crucis Christi fructus hominum reconciliatio. — Christus in se suscepit sententiam mortis in homines dictam. — Non tanta hominum injustitia, quanta morientis Christi justitia.* XXXV. *De loco et circumstantiis sepulturæ.* XXXVI. *Signum crucis in omni actione frequentandum* XXXVII. *Judæi ex Prophetis, Græci ex suis ipsorum fabulis refellendi.* XXXVIII. *Conglobata crucis Christi testimonia.*

XXXIX. *In monte Golgotha apparebant vestigia ruptarum in Christi morte petrarum.* XL. *Crucis virtus intima fideles ad audiendum Dei Verbum secretis vinculis adducit. — Persæ Christo subjugati, et leniti Scythæ per crucem.*

I. Gloriatio sane Ecclesiæ catholicæ est[1] quælibet Christi actio : gloriationum vero gloriatio, crux est. Quod probe callens Paulus ait : « Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce » Christi[2]. » Admirandum quidem fuit et illud, ut cæcus a nativitate in Siloam visum reciperet[3] : sed quid hoc ad cæcos totius universi? Magnum, et supra naturam, Lazarum quatriduanum resurgere[4] : sed hæc tamen ad illum unum pertigit gratia; quid autem ad eos, qui in universo orbe peccatis mortui erant[5]? Mirabile, quod quinque panes in millia hominum quinque fontis instar cibum suppeditarint[6] : sed quid ad eos, qui in orbe toto ignorantiæ fame premebantur[7]? Amirabile prorsus solvi mulierem, per decem et octo annos a Satana alligatam[8] : sed quid hoc si ad omnes nos spectes, qui peccatorum nostrorum catenis constricti eramus[9]? At crucis corona [seu gloria,] et eos, qui per ignorantiam cæci erant, illuminavit, et omnes sub peccato detentos solvit, et universum hominum mundum redemit.

II. Neque tibi mirum videatur, totum orbem redemptum esse. Non enim nudus homo, sed unigenitus Dei Filius erat, qui ea causa moriebatur. Et quidem unius viri Adam peccatum, mortem inferre mundo valuit. « Si autem unius » ruina mors regnavit in mundum[10], » cur non multo magis per unius justitiam regnatura sit vita? Etsi tunc per lignum

[1] Vide D. Guillon, tom. VIII, pag. 402-405. — [2] Gal. VI, 14. — [3] Joan. IX, 7. — [4] Id. XI, 39, 44. — [5] Ephes. II, 1. — [6] Matth. XIV, 21. — [7] Amos. VIII, 11. — [8] Luc. XIII, 11-13. — [9] Prov. V, 22. — [10] Rom. V, 17.

de quo oderunt [parentes nostri,] ejecti sunt de paradiso [1]; num per Jesu lignum nunc multo facilius in paradisum non ingressuri sunt credentes? Si primus hominum de terra fictus universalem mortem attulit; qui illum finxit e terra [2], nonne, cum ipse sit vita [3], æternam vitam afferet? Si Phinees zelo accensus, interempto fœdæ actionis auctore, Dei iram peccavit [4]; Jesus, non alium interficiens, sed semetipsum in pretium tradens [5], numquid iram adversus homines non dissolvet?

III. Ne nos itaque pudeat crucis Salvatoris, imo potius de ea gloriemur. Verbum enim crucis Judæis quidem scandalum est, Gentilibus vero stultitia, et nobis salus. Et his quidem qui pereunt, stultitia est; nobis autem, qui salvi simus, « Virtus Dei est [6]. » Non enim, sicut est dictum, nudus homo erat qui nostri gratia moriebatur; sed Filius Dei Deus, homo factus. Tum vero, agnus ille Moysis instituto mactatus procul acerbat vastatorem [7]; « Agnus autem Dei » qui tollit peccatum mundi [8], » nonne multo magis a peccatis liberarit? Ac sanguis quidem irrationabilis ovis salutem exhibebat; Unigeniti vero sanguis non magis salutem afferat? Si quis crucifixi virtuti increditus est, percunctetur dæmonas. Si quis verbis non credit, rebus conspicuis credat. Multi per orbem crucifixi sunt; sed nullum eorum pavent dæmones : Christi autem, nostri gratia crucifixi, vel ipsum duntaxat crucis signum conspicati dæmones expavescunt : quoniam illi propter propria peccata mortui sunt, hic autem pro alienis. « Peccatum enim non fecit, nec in» ventus est dolus in ore ejus [9]. » Non Petrus erat qui hoc dicebat, quandoquidem suspicio esse posset illum magistro gratificari voluisse : sed id dixit Hesaïas, qui corpore præ-

[1] Gen. III, 22, 23. — [2] Id. II, 7.— [3] Joan. XIV, 6.— [4] Num. XXV, 8-11. — [5] 1 Tim. II, 6. — [6] 1 Cor. I, 18, et 23, 24. — [7] Exod. XII, 23. — [8] Joan. I, 29. — [9] 1 Petr. II, 22, ex Isaï. LIII, 9.

sens non erat, spiritu vero ejus in carne adventum prævidit [1]. Quid vero Prophetam solummodo in testimonium adduco? testem accipe Pilatum ipsum, qui sententiam in illum dixit, aientem : « Nihil invenio causæ in homine isto [2]. » Eum vero cum deditum traderet, abluens manus, « Innocens, inquit, sum a sanguine justi hujus [3]. » Est et alius Jesu innocentiæ testis, qui primus paradisum adivit latro, sodalem increpans et dicens : « Nos digna factis recipimus; » hic autem nihil mali fecit [4]. » Aderamus enim ego et tu judicio.

IV. Passus est igitur Jesus vere pro omnibus hominibus. Non enim ficta species crux est; alioqui ficta quoque species redemptio fuerit. Non est apparens et opinione tantum constans mors, alioqui etiam et fabulosa salus erit. Si apparens tantum mors fuit, veri fuere qui dicebant : « Recordati sumus quod seductor ille dixit adhuc vivens : Post » tres dies resurgam [5]. » Passio igitur vera fuit. Vere enim crucifixus est, et non erubescimus. Crucifixus est, et non negamus; imo potius illud dicens glorior. Nam si nunc negavero, arguet me iste Golgotha, cui nunc omnes proxime assistimus. Arguet me crucis lignum, quod per particulas ex hoc loco per universum jam orbem distributum est. Crucem confiteor, quandoquidem resurrectionem novi : si enim crucifixus ita permansisset, confessus forte non essem, unaque cum meo magistro [eam] abscondidissem. Cum vero crucem resurrectio sit consecuta, illam edicere non me pudet.

V. Crucifixus itaque est, similiter ut omnes carne præditus, sed non propter similia peccata. Non enim propter pecuniarum cupiditatem ductus est ad mortem; inopiæ quippe et abdicandarum possessionum doctor erat. Non ob

[1] Isaï. LIII, 9. — [2] Luc. XXIII, 14. — [3] Matth. XXVII, 24. — [4] Luc. XXIII, 41. — [5] Matth. XXVII, 63.

libidinosam cupidinem damnatus; ipse enim diserte dicit: « Quicumque in mulierem inspexerit ad concupiscendum, » jam eam mœchando violavit [1]. » Non, quasi ex petulantia quempiam percussisset aut verberasset : præbuit enim et alteram maxillam percutienti [2]. Non quod legem contempsisset ; ipse enim legem adimplebat ; non quod Prophetam affecisset contumelia [3] : ipse enim erat qui a Prophetis prænuntiatus est [4]. Non quasi mercedem fraudasset : ipse enim sine pretio et gratis curabat. Non verbis, non operibus, non cogitationibus admisso peccato ullo, « Qui peccatum » non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Qui convi» ciis appetitus, non referebat convicium ; cum pateretur, » minas non intentabat [5] : » qui ad passionem venit, non invitus, sed sponte sua. Et si quis eam deprecans etiam nunc dicat : « Propitius tibi [sis] Domine; » iterum ait illud : « Vade post me, Satana [6]. »

VI. Vis-ne amplius persuaderi, quod sponte ad passionem venit ? Cæteri quidem inviti moriuntur, qui fatum suum ignorant. Ipse autem de sua passione prædixit : « Ecce » tradetur filius hominis ut crucifigatur [7]. » Scis-ne quamobrem mortem non refugit ille hominum amans ? Ut ne totus peccatis suis disperderetur mundus. « Ecce ascendimus » Hierosolymam, et tradetur filius hominis et crucifige» tur [8]. » Et rursus : « Firmavit faciem suam ut iret in Hie» rusalem [9]. » Cupis aperte cognoscere crucem Jesu gloriam esse ? audi non me, sed illum id dicentem. Prodebat eum Judas, ingratus adversus patremfamilias factus : recens a mensa egressus, ac benedictionis calice potatus, pro salutis potu sanguinem justum effundere voluit [10]. « Qui manduca-

[1] Matth. v, 28. — [2] Ibid. 39, et xxvi, 67. — [3] Id. v, 17. — [4] Joan. i, 45. — [5] 1 Petr. ii, 22, 23. — [6] Matth. xvi, 22, 23. — [7] Id. xxvi, 2. — [8] Id. xx, 18. — [9] Luc. ix, 51. — [10] Joan. xiii, 30.

»bat panes ejus, magnificavit super illum supplantatio»nem [1]. » Paulo ante manus ejus eulogias, [seu benedicti panis partes] recipiebant : et statim propter argentum, quo proditionem pactus erat, mortem machinabatur. Ac deprehensus, cum audivisset illud : « Tu dixisti [2], » rursus exivit. Deinde dixit Jesus : « Venit hora ut glorificetur filius ho» minis [3]. » Vides-ne quomodo crucem propriam sibi gloriam esse noverat ? Deinde Hesaïas serra dissectus probrum non putat, Christus vero pro mundo moriens probrum ducet ? « Nunc glorificatus est filius hominis [4]. » Non quod prius gloria careret; glorificatus enim erat « Gloria quam habuit » ante constitutionem mundi [5]. » Verum ut Deus glorificabatur ab æterno ; modo vero glorificabatur, dum patientiæ gestaret coronam. Non coacte reliquit vitam, neque vi allata mactatus est, sed voluntarie. Audi quid dicat : « Po» testatem habeo ponendi animam meam ; et potestatem » habeo iterum sumendi eam [6]. » Volens inimicis concedo : nisi enim vellem, non fieret. Venit igitur ex libero proposito ad passionem, gaudens de eximio opere, lætabundus de corona, plaudens sibi de hominum salute : crucem non erubescens, salutem enim dabat orbi. Neque enim vilis erat homo qui patiebatur, sed Deus inhumanatus, deque obedientiæ præmio decertans.

VII. Verum contradicunt Judæi, semper ad contradictionem parati, et ad fidem segnes : ita ut propterea modo diceret, qui lectus est Propheta : « Domine, quis credidit » prædicationi nostræ [7] ? » Persæ credunt, et Hebræi non credunt. Videbunt quibus non annuntiatum est de eo ; et qui non audierunt intelligent : et qui commeditantur, rejicient ea quæ meditantur [8]. Respondent nobis et hæc lo-

[1] Psal. XL, 10. — [2] Matth. XXVI, 25. — [3] Joan. XII, 23. — [4] Id. XIII, 31. — [5] Id. XVII, 5 et 24. — [6] Id. X, 18. — [7] Isaï. LIII, 1. — [8] Rom. XV, 21, et Isaï. LII, 15.

quuntur : « Ergo-ne Dominus patitur; atque ipsa dominica vi valentiores humanæ manus extitere? » Legite Lamentationes; vos enim lamentans Hieremias, lamentis digna in Lamentationibus scripsit. Vidit interitum vestrum, casum contemplatus est. Lamentabatur illius olim temporis Hierosolymam : nam ea quæ nunc est lamentis non deflebitur. Christum namque crucifixit illa, quem præsens ista adorat. Lamentans igitur ait : « Spiritus faciei nostræ Christus Do» minus, comprehensus est in corruptionibus nostris [1]. » Num ergo ego commentitiis utor sermonibus? ecce testatur Christum Dominum ab hominibus comprehensum. Quid vero inde continget? dic mihi, o Propheta. Ille autem : « Cujus, diximus, in umbra ejus vivemus in gentibus [2]. » Non enim amplius in Israële, sed « In gentibus » versaturam indicat gratiam vitæ.

VIII. Cum vero multiplex ab ipsis contradictio opponatur, age, vestris precibus adjuti, quantum temporis brevitas patietur, Domini gratia pauca de passione testimonia proferamus. Omnia enim, quæ ad Christum pertinent, scripta sunt; nihilque ambiguum est, nihil enim absque testimonio. Omnia in columnis propheticis inscripta sunt; non in lapideis tabulis, sed a Spiritu sancto manifeste descripta. Cum itaque audiveris Evangelium quæ a Juda gesta sunt referens [3], nonne debes ejus rei audire testimonium? Audivisti lancea latus transverberatum fuisse Christum [4]; non debes explorare scriptum-ne illud quoque sit? Audisti in horto crucifixum esse [5]; non debes inquirere utrum et hoc scriptum sit? Audisti triginta argenteis venumdatum esse [6]; non debes Prophetam qui hoc dixit addiscere? Audisti aceto potatum esse [7], hoc quoque ubi scriptum sit addisce. Au-

[1] Thren. IV, 20. — [2] Ibid. — [3] Matth. XXVII, 3, 9.— [4] Joan. XIX, 34-37. — [5] Id. XIX, 41. — [6] Matth. XXVI, 15. — [7] Joan. XIX, 29, 30.

disti corpus in petra repositum fuisse, et impositum lapidem [1]; non debes et hujus rei a Propheta recipere testimonium? Audisti cum latronibus crucifixum esse [2]; non debes sciscitari an et illud scriptum? Audisti quod sit sepultus [3]; non te oportet inspicere, an certo alicubi de sepultura scriptum sit? Audisti quod resurrexit [4]; non debes inquirere, num te his doctrinis ludamus? « Sermo enim » noster et prædicatio nostra, non in persuasibilibus humanæ » sapientiæ verbis consistit [5]. » Non sophistica nunc instruuntur artificia, siquidem ipsa dissolvuntur. Non verbis verba vincuntur, quandoquidem in irritum abeunt. Verum « Prædicamus Christum crucifixum [6], » quæ res in antecessum a Prophetis prædicata est. Tu vero testimonia accipiens, ea in corde tuo obsigna. Cum autem ea magno numero sint, et tempus jam in angustum contrahatur; pauca, ut licet, quæ plus momenti habeant nunc audi. At tu inde argumenta captans, laborem suscipe, et quæ reliqua erunt perquire. Nec enim ad accipiendum tantum porrecta, verumetiam ad operandum prompta tibi sit manus [7]. Omnia gratificatur Deus. « Si quis enim vestrum de» ficitur sapientia, postulet ab eo qui largitur Deo [8], » et accipiet. Qui precibus vestris exoratus, et nobis qui verba facimus dicere, et vobis qui auditis credere concedat.

IX. Quæramus igitur quæ de passione Christi agunt testimonia; convenimus enim, non ut pure contemplatricem Scripturarum expositionem efficiamus nunc, sed ut potius de his quæ credidimus certis documentis convincamur. Et antea quidem testimonia accepisti de adventu Jesu. Et quod super mari ambularit, « (In mari enim via » tua [9]) » scriptum est : « [Ambulans super mari, tanquam

[1] Matth. XXVII, 60.— [2] Ibid. 38. — [3] Ibid. 59, 60. — [4] Luc. XXIV, 34.— [5] I Cor. II, 4.— [6] I Cor. I, 23.— [7] Eccli. IV, 36.— [8] Jacob. I, 5.— [9] Psal. LXXVI, 20.

» super solo [1],] » et de diversis curationibus alibi testimonium accepisti. Incipiam igitur unde passio exorsa est. Judas fuit proditor, quique ex adverso venit et stetit, pacifica loquens [2], dum hostilia moliebatur. Dicit igitur de eo Psaltes : « Amici mei et proximi mei ex adverso mihi ap» propinquaverunt, et steterunt [3]. » Rursumque : « Molliti » sunt sermones eorum super oleum, et ipsi sunt jacula [4]. » Salve Rabbi [5]. » Simul tradidit Magistrum in mortem : nec reveritus est admonitionem dicentis : « Juda, osculo » filium hominis tradis [6]? » Illum enim his quasi verbis compellabat : « Tui ipsius nominis recordare ; » Judas confessionem sonat. « Pactus es, argentum accepisti, ocius confitere. « O Deus, laudem meam ne tacueris, quia os pec» catoris, et os dolosi super me apertum est : locuti sunt » contra me lingua dolosa, et sermonibus odii circumdede» runt me [7]. » Quod autem quidam etiam a principibus sacerdotum aderant [8], quodque ante fores civitatis (injecta) sunt vincula, audivisti nuper : si tamen mente retines expositionem Psalmi tempus et locum assignantis [9], quomodo « Conversi sunt ad vesperam, et famem passi sunt ut » canes, et circumdederunt civitatem [10]. »

X. Audi igitur et de tringinta argenteis. « Et dicam ad » ipsos : Si bonum vobis videtur, date mercedem meam, » aut abnegate [11] ; » et quæ sequuntur. Alia mihi a vobis debetur merces curationis cæcorum, claudorumque ; et aliam accipio : pro gratiarum actione, contumeliam ; pro adoratione, injuriam. Vides quomodo Scriptura futura prænovit. « Et statuerunt mercedem meam tringinta argenteos [12]. » O Prophetæ sermonem ad amussim exactum ! o multam,

[1] Job. IX, 8.— [2] Psal. XXXIV, 20. — [3] Id. XXXVII, 12. — [4] Id. LIV, 22. — [5] Matth. XXVI, 49. — [6] Luc. XXII, 48. — [7] Psal. CVIII, 1, 2. — [8] Matth. XXVI, 47. — [9] In homilia quadam. — [10] Psal. LVIII, 7-15. — [11] Zach. XI, 12. — [12] Ibid.

nec errantem Spiritus sancti intelligentiam! Non enim decem dixit nec viginti, sed triginta presse et circumscripte, totidem quot fuerunt. Dic et quo pretium hoc abiit, o Propheta. Is-ne qui accepit retinebit, an redditurus est? et postquam reddiderit, quo cedet? Ait itaque Propheta: « Et accepi eos triginta argenteos, et projeci eos in » domum Domini in conflatorium [1]. » Contende Evangelium cum prophetia. « Pœnitentia enim, inquit, ductus Judas, » et projectis in templo argenteis, recessit [2]. »

XI. Sed hic a me apparentis ambiguitatis enodatio quæritur. Qui enim Prophetas contemnunt, aiunt Prophetam dicere: « Et projeci eos in domum Domini in conflato- » rium [3]: » Evangelium contra: « Et dederunt eos in agrum » figuli [4]. » Quomodo igitur ambo verum dicant, audi. Judæi siquidem, illi scilicet religiosi, qui tum principes sacerdotum erant, videntes Judam pœnitentem et dicentem: « Peccavi tradens sanguinem justum [5]; » reponunt, « Quid » ad nos? tu videris [6]. » Nihil-ne ad vos, qui crucifixistis? sed is quidem, qui cædis pretium et accepit et reddidit, videat: vos autem, qui cædem peragitis, non videbitis? Deinde inter se dicunt: « Non licet eos in corbonam jacere, » quia pretium sanguinis est [7]. » Ex ore vestro vestra prodit damnatio. Si abominabile pretium, abominabile quoque facinus. Quod si in crucifigendo Christo justitiam adimples, quare non accipis pretium? Sed illud quærebatur: « Quomodo non dissentiunt, Evangelium ex una parte dicens, « Agrum figuli; » Propheta vero ex alia, « Conflatorium? » Verum non aurifices solum conflatorium habent, nec ærariis solis suum est conflatorium; sed et figuli habent luti conflatoria. Tenuem enim, pinguem, usuique profuturam terræ partem a calculis percolando secernentes, feculen-

[1] Zach. XI, 13. — [2] Matth. XXVII, 35 et 5. — [3] Zach. XI, 13. — [4] Matth. XXVII, 10. — [5] Ibid. 4. — [6] Ibid. 5. — [7] Ibid. 7.

tæque materiei copiam segregantes; lutum prius aqua conflant, ut efficienda ex eo opera nullo negotio instituant. Quid igitur miraris, si Evangelium « Agrum figuli » apertius, Propheta vero sub ænigmate prophetiam proposuerit, quandoquidem sub ænigmate plerumque latens est prophetia?

XII. Ligaverunt Jesum, et adduxerunt in aulam summi pontificis [1]. Vis nosse et videre, quod hoc quoque scriptum sit? Ait Hesaïas : « Væ animæ ipsorum, quia consultarunt » consilium pravum contra se ipsos, dicentes : Ligemus » justum, quia incommodus est nobis [2]. » Vere omnino, « Væ animæ ipsorum; » idque videamus. Hesaïas quidem sectus est, et populus postea sanatus est. Hieremias in cœnum laci dejectus [3] : verum curatum est hoc Judæorum vulnus; quod, cum in hominem peccatum fuisset, levius erat. Ex quo vero non in hominem, sed in Deum inhumanatum peccarunt Judæi, « Væ animæ eorum. Ligemus Jus» tum. » Nonne, inquiet aliquis, se ipsum solvere poterat, qui quatriduanum Lazarum vinculis mortis exolvit [4], Petrumque ferreis carceris catenis exemit [5]? Parati aderant Angeli dicentes : « Disrumpamus vincula eorum [6]. » Verum abstinent vim, quoniam id sufferre voluit Dominus. Iterum productus est coram senioribus in judicium [7]. Jam habes testimonium : « Ipse Dominus in judicium veniet cum se» nioribus populi, et cum principibus ejus [8]. »

XIII. Sed interrogans princeps sacerdotum [9], audita veritate indignatur : et malus malorum minister alapam impingit [10]; faciesque illa, quæ olim ut sol resplenduerat [11], manibus iniquis allidi sustinuit. Aliique venientes inspuunt

[1] Luc. XXII, 54. — [2] Isaï. III, 9, 10. — [3] Jer. XXXVIII, 6. — [4] Joan. XI, 39-44. — [5] Act. XII, 7. — [6] Psal. II, 3. — [7] Matth. XXVII, 59. — [8] Isaï. III, 14. — [9] Matth. XXVII, 63. — [10] Joan. XVIII, 22. — [11] Matth. XVIII, 22.

in vultum ejus, qui per sputum cæcum natum curaverat[1]. « Hæccine redditis Domino? hic populus stultus et non sa» piens[2]. Et Prophetes admirans dicit : « Domine, quis cre» didit prædicationi nostræ[3]? » Incredibilis profecto res est, Deum, Dei filium et brachium Domini[4], ista perpeti. Sed ne id credere recusent qui salvi fiunt, hoc prædicit Spiritus sanctus ex persona Christi, dicentis : (ipse enim qui tunc ea loquebatur[5], postea præsens erat) « Dorsum meum » dedi in flagella[6] : » Pilatus enim eum flagellatum tradidit ad crucifigendum[7]. » Maxillas vero meas in alapas; faciem » vero meam non averti a probro sputorum[8], » quasi diceret : «Prævidens quod me verberaturi sunt, neque maxillam leviter deflexi. Quomodo enim Discipulos ad mortem pro veritate obeundam roborarem, si hoc ipse pavescerem. Ego dixi : « Qui amat animam suam, perdet eam[9] : » si vitæ amans fuissem, quomodo docerem, non faciens quæ docerem? » Prius igitur ipse, cum esset Deus, hæc ab hominibus pati sustinuit, ut nos homines talia postea ab hominibus ejus causa perpeti non puderet. Vides hæc a Prophetis diserte prænuntiata fuisse. Plura vero Scripturarum testimonia propter temporis angustias[10], ut ante dixi, prætermittimus. Si quis enim omnia accurate perquisierit, nulla Christi rerum absque testimonio relinquetur.

XIV. Ligatus venit a Caïpha ad Pilatum[11]. Anne et hoc perscriptum est? « Et ligantes ipsum abduxerunt [in] mu» nera regi Jarim[12]. » Verum obstrepet aliquis eorum qui arguti sunt in audiendo : « Pilatus rex non erat : (ut interim multa ad eam quæstionem pertinentia omittamus) quomodo igitur « Ligantes eum abduxerunt in munera regi? » At lege

[1] Joan. IX, 6. — [2] Deut. XXXII, 6. — [3] Isaï. LIII, 1. — [4] Ibid. — [5] Id. LII, 6. — [6] Id. I, 6. — [7] Marc. XV, 15. — [8] Isaï. L, 6. — [9] Joan. XII, 25. — [10] Num. VIII. — [11] Matth. XXVII, 2. — [12] Osee X, 6.

Evangelium. « Audiens Pilatus ipsum esse a Galilæa, misit » eum ad Herodem [1]. » Herodes autem tum rex erat, et aderat Hierosolymis. Et vide Prophetæ sedulam diligentiam, « Munerum enim loco » ipsum missum esse ait. « Facti » sunt enim amici Pilatus et Herodes in die illa ad invi» cem : antea enim inimicitias exercebant [2]. » Decebat enim ut ille, qui terram et cœlum pacificaturus erat [3], priores (omnium) eos, a quibus condemnabatur, pacificaret. Aderat namque ipse Dominus « Qui reconciliat corda prin» cipum terræ [4]. » Tene Prophetarum exploratam fidem et testificationem veram.

XV. Admirare Dominum judicatum. Passus est se a militibus agi et versari. Pilatus sedebat judicans [5], et qui in dextra Patris sedet [6], stans judicabatur [7]. Populus ab ipso e terra Ægypti, et aliis ex locis multoties liberatus in ipsum vociferabatur : « Tolle, tolle, crucifige eum [8]. » Qua de causa, o Judæi? quod cæcos vestros curavit? vel quod claudos vestros ambulare fecit, et reliqua beneficia contulit? Ita ut stupens Propheta de hoc dicat : « Super quem » aperuistis os vestrum, et super quem linguam vestram » laxavistis [9]? Ipseque Dominus in Prophetis referat : « Facta » est hæreditas mea mihi sicut leo in sylva : dedit contra » me vocem suam : propterea odio eam habui [10]. » Non ego eam abjeci, sed ipsi abjecerunt me. Idcirco consequenter dico : « Dereliqui domum meam [11]. »

XVI. Judicatus tacebat [12] : ita ut pro ipso pateretur Pilatus, et diceret : « Non audis quid illi contra te testifican» tur [13]? » Non quod eum novisset qui judicabatur, sed uxoris suæ somnium sibi significatum metuebat [14]. Et Jesus

[1] Luc. XXIII, 6, 7. — [2] Ibid. 12. — [3] Coloss. I, 20. — [4] Joan. XII, 24. — [5] Matth. XXVII, 19. — [6] Psal. CIX, 1. — [7] Matth. XXVII, 11. — [8] Joan. XIX, 15. — [9] Isaï. LVII, 4. — [10] Jer. XII, 8. — [11] Ibid. 7. — [12] Matth. XXVII, 14. — [13] Id. XXVI, 62, vel XXVII, 13. — [14] Ibid. 19.

tacebat. Dicit Psalmista : « Et factus sum sicut homo non » audiens, et non habens in ore suo refutationes. » Et iterum : « Ego autem tanquam surdus non audiebam, et sicut » mutus non aperiens os suum [1]. » Quæ ad hoc attinent antea quoque audivisti [2], si meministi probe.

XVII. Sed milites circumfusi ipsi illudunt. Ludibrium ipsis fit Dominus [3], et herus deridiculo est. « Viderunt me » et moverunt capita sua [4]. » In figura regnum adumbratur: illudunt siquidem, sed genuflectunt [5] : crucique illum affigunt milites injecta prius purpura, et coronam circumponunt ejus capiti [6]. Quid enim inde, etsi spineam? Rex omnis a militibus proclamatur. Oportuit et Jesum in figura a militibus coronari; ita ut propterea Scriptura in Canticis dicat : « Egredimini, et videte filiæ Hierusalem in rege Sa- » lomone, in corona qua coronavit eum mater sua [7]. » Mysterium vero erat etiam corona illa; solutio enim erat peccatorum, absolutio a condemnationis sententia.

XVIII. Accepit condemnationem Adamus : « Maledicta » terra in operibus tuis, spinas et tribulos producet tibi [8]. » Propterea Jesus spinas assumit, ut solvat maledictionem : et idcirco sepultus est in terra, ut quæ maledicta fuerat tellus, pro maledictione benedictionem reciperet. Tempore [primi] peccati, ficulnea folia sibi circumposuere; ideo et Jesus finem signorum in ficu fecit. Ad passionem enim iturus, maledictione ferit ficum; non ficum omnem, sed illam solam in figuram, dicens : « Nemo amplius ex te » fructum comedat. Dissolvatur damnatio. Et quandoquidem ficus folia sibi tunc induerunt, eo tempore venit quo cibus non invenitur. Quis ignorat, quod hyemis tempore ficus fructum non affert, sed foliis tantum vestitur? quod

[1] Psal. XXXVII. 14. 15. — [2] Forte in quadam homilia. — [3] Matth. XXVII, 27. — [4] Psal. CVIII, 25. — [5] Matth. XXVII, 29. — [6] Joan. XIX, 2. — [7] Cant, III, 11. — [8] Gen. III, 17, 18. — [9] Marc. XI, 14.

omnes norant, id Jesus nesciebat? At gnarus licet, venit tanquam quæsiturus; non ignorans se nihil reperturum, sed maledictionem figuræ [et mysterii loco intentatam] ad folia tantum extendens.

XIX. Quoniam vero paradisi res attigimus, certe figurarum veritatem admiror. In paradiso casus; et salus in horto. A ligno peccatum; et ad lignum usque peccatum. Post meridiem Domino perambulante latibulum quæsivere [1] : et post meridiem a Domino in paradisum introducitur latro [2]. Sed dicet mihi quispiam : « Comminisceris ista; crucis lignum mihi a Propheta demonstra; nisi mihi ex Propheta testimonium præbueris, non acquiescam. » Audi igitur ex Hieremia, et convincere. « Ego sicut agnus » innocens ductus ad immolandum; non cognovi [3]? « (sic enim lege per interrogationem ut dixi. Qui enim ait : « Nostis » quod post biduum pascha fiet, et Filius hominis tradetur » ut crucifigatur [4], » num ille ignorabat?) « Ego sicut agnus » innocens qui ad immolandum ducitur; non cognovi [5]? » (Qualis agnus? Joannes Baptista interpretetur, dum dicit : « Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi [6].) Super me cogitaverunt consilium pravum, dicentes [7] : » (Qui cogitationes novit, eventum-ne ignorabat?) et quid dixerunt? « Venite, et injiciamus lignum in panem ipsius. » Si te Dominus dignum habuerit, in posterum cognosces quod corpus ejus juxta Evangelium figuram ferebat panis. « Venite igitur, lignum injiciamus in panem ejus, et conteramus ipsum de terra viventium [8]. » (Vita non conteritur, quid casso labore fatigamini?) « Et nomen ejus non » memoretur amplius. » Vanum est consilium vestrum : ante solem quippe nomen ejus in Ecclesia manet [9]. Et

[1] Gen. III, 8.— [2] Luc. XXIII, 43.— [3] Jer. XI, 19 — [4] Matth. XXVI, 2. — [5] Jer. XI, 19. — [6] Joan. I, 29. — [7] Jer. XI, 19, — [8] Ibid.— [9] Psal. LXXI, 17.

quod quidem vita erat in ligno suspensa, Moses deplorans ait : « Et erit vita tua pendens ante oculos tuos, et timebis die ac nocte, et non credes vitæ tuæ [1], » et quod nuper lectum est : « Domine, quis credidit auditæ voci nostræ [2]? »

XX. Hanc figuram adumbravit Moyses crucifigens serpentem [3], ut qui a vivo serpente morsus erat, æneum serpentem intuitus, salutem consequeretur cum credidisset. Jamvero æneus serpens crucifixus salutem dat; incarnatus vero Dei Filius cruci affixus salutem non dederit? semper per lignum salus [4]. Noëmi enim temporibus per arcam ligneam vitæ facta est conservatio [5]. Mare sub Mose cum figuram virgæ conspexisset, ferienti se ex reverentia concessit [6]. Ergo-ne Mosis virga tantum potuit, et Salvatoris crux inefficax erit? Multas e figuris brevitatis causa prætermitto. Lignum Mosis tempore dulcem effecit aquam [7]: et de latere Christi aqua effluxit in ligno [8].

XXI. Primum signorum Mosis aqua et sanguis: eademque res omnium Jesu signorum postremum fuit. Primo loco Moses fluvium in sanguinem transmutavit [9]: et in fine Jesus aquam ex latere emisit cum sanguine. Forte propter duas voces, alteram judicantis, alteram vero eorum qui [dire] vociferabantur : aut propter credentes, et propter incredulos. Nam cum Pilatus diceret : « Innocens » sum, » et aqua lavaret manus; « Vociferantes dicebant : » Sanguis ejus super nos [10]. » Emerserunt igitur hæc duo de latere : aqua fortassis judici, sanguis vero vociferantibus. Rursusque aliter intelligi potest : Judæis sanguis, Christianis aqua. Illis quidem, ut insidiatoribus, ex [fuso] sanguine condemnatio; tibi vero qui nunc credis, per

[1] Deut. XXVIII, 66. — [2] Isaï. LIII, 1. — [3] Num. XXI, 9. — [4] Joan. III, 14, 15, et Num. XXI, 9. — [5] Gen. VII, 23. — [6] Exod. XIV, 16-21. — [7] Id. XV, 25. — [8] Joan. XIX, 34. — [9] Exod. VII, 20. — [10] Matth. XXVII, 24, 25.

aquam salus; nihil enim frustra factum est. Reddiderunt quoque explanatores patres nostri aliam ejus rei causam. Cum enim duplex quædam sit in Evangeliis salutiferi baptismatis vis : una quidem per aquam iis, qui illuminantur [seu baptizantur] concessa; altera vero quæ persecutionum tempore sanctis martyribus per proprium sanguinem datur : exiere e Salvatoris latere sanguis et aqua; quæ confessionis, cum in illuminatione [seu baptismo] tum in temporibus martyrii factæ pro Christo, confirmant gratiam. Est et alia lateris ejus causa. Peccati princeps et dux fuit mulier, quæ e latere formata est. Jesus autem cum venisset, ut viris simul ac fœminis veniam gratificaretur, latus perfossus est pro mulieribus, ut peccatum solveret.

XXII. Quod si quis adhuc perquirat, alias etiam causas inveniet. Hæc tamen dicta sufficiant, et propter temporis angustiam, et ut aurium satietati occurratur, quamvis nusquam est labor audiendi de coronis [seu trophæis] Domini; præsertimque in isto ter sancto Golgotha. Alii enim tantummodo audiunt, nos autem et videmus et tangimus. Nemo delassetur. Arma pro ipsa cruce contra adversarios sume : fidem crucis pro trophæo adversus contradicentes statue. Quando enim de cruce Christi contra infideles disceptationem instituturus eris, prius manu signum crucis emitte, et obmutescet qui contra nititur. Ne pudeat crucem confiteri. De hac namque gloriantur Angeli aientes : « Novimus quem quæratis; Jesum crucifixum [1]. » Nonne potueras dicere, o Angele : « Novi quem quæritis, Dominum meum? Sed ego, ait ille cum fiducia, « Novi » crucifixum. » Crux enim corona est, non ignominia.

XXIII. Cæterum redeamus ad propositam ex Prophetis demonstrationem. Crucifixus est Dominus; accepisti testimonia. Vides locum Golgothæ.... Acclamas cum præconio

[1] Matth. XXVIII, 6.

tanquam assentiens [1]. Vide ne aliquando in tempore persecutionis neges. Ne in tempore pacis solummodo, gaudium tibi crux sit : verumetiam in tempore persecutionis eamdem habeto fidem. Ne in tempore pacis sis amicus Jesu, et bellorum tempore inimicus. Accipis nunc peccatorum tuorum remissionem, et spiritualis donativi (14) regis tui munificas gratias : cum ingruerit bellum, pro rege tuo strenue decerta. Jesus pro te crucifixus est qui nihil peccaverat : et tu non crucifigaris pro eo qui tui gratia cruci affixus est ? Non tu gratiam das, prior enim accepisti : sed gratiam reddis, exolvens debitum ei qui propter te in Golgotha est crucifixus, Golgotha vero per interpretationem redditur Calvariæ locus [2]. Quinam illi prophetice loco huic Golgothæ nuncupationem imposuere, in quo verum caput Christus crucem subivit ? sicut Apostolus dicit : « Qui est imago Dei invisibilis [3], » et post pauca, « Et ipse » est caput corporis Ecclesiæ [4], » et rursus, « Omnis viri » caput Christus est [5], » iterumque, « Qui est caput omnis » principatus et potestatis [6]. » Caput in loco Calvariæ passum est. O magnam et prophetiæ plenam appellationem : propemodum namque te nomen ipsum admonet veluti aiens : « Ne crucifixo tanquam homini nudo attende. « Caput est omnis principatus et potestatis. » Caput quidem omnis potestatis, est quod cruci affixum ; quod tamen Patrem habet pro capite : « Caput enim viri Christus, » caput autem Christi Deus [7]. »

XXIV. Christus igitur pro nobis est crucifixus ; qui noctu judicatus est, cum frigus esset [8], et carbonum focus ea de causa appositus. Crucifixus est hora tertia [9]. Ab hora autem sexta tenebræ factæ sunt usque ad nonam [10], et rur-

[1] Acclamatio auditorum assentientium.— [2] Joan. XIX, 17.— [3] Coloss. I, 15.— [4] Ibid. 18.— [5] I Cor. XI, 3.— [6] Coloss. II, 10.— [7] I Cor. XI, 3.— [8] Joan. XVIII, 18.— [9] Marc. XV, 25.— [10] Matth. XXVII, 45.

sus ab hora nona lux. Numquid hæc quoque scripta sunt? quæramus. Dicit igitur Zacharias : « Et erit, in die illa non » erit lumen, et frigus et gelu erit per unam diem [1] : (fri» gus, propter quod Petrus calefaciebat se [2]) et dies illa » nota Domino [3]. » (Quid enim? alias non novit? Multi quidem dies; sed « Illa dies patientiæ Domini, quam fe» cit Dominus [4].) Et dies illa nota Domino; et non dies, » neque nox [5]. » Quod ænigma narrat Prophetes? dies illa neque dies est, neque nox : quomodo igitur eam vocabimus? Evangelium id interpretatur rem enarrans. « Non » erat dies : » non enim ab oriente ad occidentem similiter [ut in reliquis diebus] sol refulsit; sed ab hora sexta usque ad horam nonam tenebræ factæ sunt in media die [6]. Interpositæ igitur sunt tenebræ : nominavit autem Deus tenebras, noctem [7]. Propterea « Neque dies erat, neque » nox; » neque enim tota lumen erat, ut vocaretur dies; neque tota tenebræ, ut nox appellaretur : sed post nonam illuxit sol. Hoc quoque prænuntiat Propheta. Postquam enim dixit : « Et non dies, neque nox, » subjungit : « Et ad vesperam erit lumen. » Cernis Prophetarum accuratum sermonem? cernis prædictarum rerum veritatem?

XXV. Verum quæris ad amussim qua hora defecit sol; quinta-ne hora, an octava, vel decima? Dic definite, o Propheta, Judæis incredulis, quandonam sol occubuit? Ait igitur Amos propheta : « Et erit in die illa, dicit Dominus » Deus, occidet sol meridie [8] : » (ab hora enim sexta factæ sunt tenebræ [9]) « Et obscurabitur super terram in die » lux [10]. » Cujusmodi hæc temporis ratio, o Propheta, et qualis dies? « Et convertam festivitates vestras in luctum [11]. »

[1] Zach. xiv, 6, 7. — [2] Joan. xviii, 18. — [3] Zach. xiv, 6. — [4] Psal. cxvii, 24. — [5] Zach. xiv, 7. — [6] Matth. xxvii, 45. — [7] Gen. i, 5. — [8] Amos viii, 9. — [9] Matth. xxvii, 45. — [10] Amos viii, 9. — [11] Ibid. 10.

In azymis enim res ea peragebatur, et in Paschatis festo [1]. Deinde dicit : « Et ponam eum sicut luctum dilecti, et eos » qui cum ipso sicut diem doloris [2]. » In die enim azymorum et festivitate, mulieres eorum cædebant se et flebant [3] : Apostoli vero occultati dolore conficiebantur. Admiranda ergo hæc prophetia.

XXVI. Verum dicat aliquis, « Da mihi et alterum signum. Quænam alia est certa ejus rei, quæ contigit, nota ? » Crucifixus est Jesus : tunica autem una, et pallio uno utebatur. At milites pallium in quatuor partes scissum dispertiti sunt [4] : tunica vero scissa non est, quia nulli usui scissa profutura foret ; deque ea milites inter sors projecta est [5]. Pallium dividunt, tunicam sortiuntur : anne et illud scriptum est ? Norunt studiosi Ecclesiæ Psalmistæ, qui angelicos imitantur exercitus, et Deum indesinenter laudibus celebrant : qui digni habentur ut psallant in hoc sancto Golgotha, et dicant : « Partiti sunt vestimenta mea sibi, et » super vestem meam projecerunt sortem [6]. » Sors autem illa, militum sortitio fuit.

XXVII. Rursum cum a Pilato judicaretur, rubris amictus erat : ibi enim chlamydem coccineam circumposuerunt ei [7]. Illud-ne etiam scriptum est ? Dicit Hesaïas : « Quis » est hic qui advenit de Edom ? rubedo vestimentorum ejus » ex Bosor [8] : » (Quis iste, qui per ignominiam coccineis amicitur ? Bosor enim apud Hebræos tale quidpiam sonat.) « Quare rubra sunt vestimenta tua, et indumenta tua si- » cut a calcato torculari [9] ? » Ille autem respondet et dicit : « Tota die expandi manus meas ad populum inobedientem » et contradicentem [10].

[1] Matth. XXVII, 2, et Marc. XIV, 1. — [2] Amos VIII, 10. — [3] Luc. XXIII, 27. — [4] Joan. XIX, 23. — [5] Ibid. 24. — [6] Psal. XXI, 19. — [7] Matth. XXVII, 28. — [8] Isaï. LXIII, 1. — [9] Ibid. 2. — [10] Id. LXV, 2.

XXVIII. Expandit in cruce manus, ut comprehenderet orbis fines. Medius enim terræ locus est hic Golgotha. Non meus hic sermo est; Propheta est qui ait : « Operatus » es salutem in medio terræ [1]. » Extendit humanas manus, qui suis illis, quas sola mens assequitur, manibus firmavit cœlum [2] : et clavis confixæ sunt, ut affixa ligno et mortua, quæ hominum peccata portabat humanitate, una moreretur peccatum ; nos autem in justitia resurgeremus. Quandoquidem enim per unum hominem mors, per unum quoque hominem vita [3] : per unum hominem, Salvatorem videlicet, sua sponte mortem subeuntem. Recorderis enim eorum quæ dicta sunt : « Potestatem habeo ponendi ani» mam meam, et potestatem habeo rursus sumendi eam [4]. »

XXIX. At ille quidem hæc sustinuit, cum ad salutem omnium venisset : populus vero malam illi remunerationem rependit. Dicit Jesus : « Sitio [5], » is qui ex prædura rupe illis eduxit aquas, et reposcit fructus a vinea, quam plantavit [6]. Verum quid vinea? Hæc, secundum naturam quidem ex sanctis patribus, secundum autem animi inductionem ex Sodomis; « (Vinea enim illorum ex Sodo» mis, et palmes eorum ex Gomorrha [7]) » sitienti Domino, spongiæ impletæ et arundini circumpositæ adminiculo, porrigit acetum [8]. « Et dederunt in escam meam fel, et in » sitim meam potaverunt me aceto [9]. » Vides prædictionis Prophetarum perspicuitatem. Cujusmodi autem fel dederunt in os meum? « Dederunt, inquit, illi vinum myrrha » conditum [10]. » Myrrha vero fellei saporis, et subamara. Hæccine Domino redditis? hæc offers vinea Domino [11] ? Juste igitur vos olim deplorabat Hesaïas dicens : « Vinea

[1] Psal. LXXIII, 12. — [2] Id. XXXII, 6. — [3] Rom. V, 12, 17, et Cor. XV, 21. — [4] Joan. X, 18. — [5] Id. XIX, 28. — [6] Jer. II, 21, et Isaï. V, 2. — [7] Deut. XXXII, 32. — [8] Joan. XIX, 29. — [9] Psal. LXVIII, 22. [10] Marc. XV, 23. — [11] Deut. XXXII, 6.

» facta est dilectio in cornu, in loco pingui [1] : » et ut ne omnia recitemus, « Expectavi, inquit, ut faceret uvam ; » sitivi, ut daret vinum : « Ipsa autem fecit spinas [2]. » Vides enim coronam qua redimitus sum. Quid ergo deinceps statuam ? « Nubibus præcipiam, ne pluant super ipsam » imbrem [3]. » Ablatæ sunt enim ab eis nubes, videlicet Prophetæ. Prophetæ vero deinceps in Ecclesia, sicut Paulus ait : « Prophetæ autem duo vel tres loquantur, aliique » dijudicent [4]. » Et rursus : « Deus dedit in Ecclesia, alios » quidem Apostolos, alios vero Prophetas [5]. » Propheta erat Agabus [6], qui sibi manus et pedes ligavit.

XXX. De latronibus vero, qui cum eo crucifixi sunt [7], dictum est illud : « Et cum iniquis deputatus est [8]. » Et ambo quidem prius iniqui fuere : unus autem esse desiit. Alter enim ad finem usque legum contemptor, inflexibilis ad salutem : qui dum manibus affixus esset, lingua per blasphemas voces cædebat. Judæi prætereuntes movebant capita crucifixo illudentes [9], dum adimplent quod scriptum erat : « Viderunt me, moverunt capita sua [10]. » Et ille quidem una cum ipsis conviciabatur, alter vero conviciantem increpabat [11] : fuitque illi vitæ finis et emendationis initium ; animæ traditio, et salutis ante [alios] perceptio. Et post hanc sodalis reprehensionem ait : « Memento » mei, Domine [12], ad te enim mihi sermo est. Omitte illum ; obcæcatus mentis oculis est : « Mei vero memineris. » Non dico, memineris operum meorum ; hæc enim vereor. Homo omnis ad socium viæ benigne se habere solet : viæ tibi ad mortem socius existo ; memineris mei comitis tui. Non tamen dico, nunc « Memineris mei, » sed, « Cum veneris in » regno tuo [13]. »

[1] Isaï. v, 1.— [2] Ibid. 2.— [3] Ibid. 6.— [4] 1 Cor. xiv, 29.— [5] Ephes. iv, 11.— [6] Act. xxi, 10, 11. — [7] Luc. xxxii, 32.— [8] Isaï. liii, 12. — Matth. xxvii, 39. — [10] Psal. cviii, 25.— [11] Luc. xxiii, 39, 40, 41. — [12] Ibid. 42. — [13] Ibid.

XXXI. Quæ te, o latro, illuminavit potestas? quis te docuit, ut contemptum et tecum una crucifixum adorares? O lucem æternam, quæ in tenebris jacentes illuminat! Ideo et juste audivit : « Confide : » non quod opera tua fiduciam tibi efficere debeant ; sed quia rex adest qui tibi gratificatur. Longe remotæ rei petitio erat, sed velocissima est gratia. « Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso[1] : » quandoquidem hodie audivisti vocem meam, et non obdurasti cor tuum[2]. Ocissime in Adamum sententiam dixi : ocissime tibi indulgeo. Illi quidem dictum est : « Quacumque die comederitis, morte moriemini[3]. » tu vero hodie obedivisti fidei, hodie tibi salus. Ille per lignum cecidit : et tu per lignum introduceris in paradisum. Ne timeas serpentem; non ejiciet te, cecidit enim de cœlis[4]. Nec dico tibi : « Hodie abibis : » sed, « Hodie mecum eris. » Confide, » non rejiciere. Ne timeas flammeum gladium[5]; reveretur Dominum. O ingentem et ineffabilem gratiam! nondum Abraham ille fidelis ingressus est[6], et latro ingreditur : nondum Moyses et Prophetæ; et latro iniquus intrat. Admiratus id etiam ante te est Paulus, dicens : « Ubi » abundavit peccatum, superabundavit et gratia[7]. » Qui pertulerunt æstum[8], nondum ingresssi sunt; et qui circa undecimam horam venit, ingressus est. Nemo obmurmuret adversus patremfamilias, cum ille dicat : « Amice, non » facio tibi injuriam. Nonne potestatem habeo de meis re» bus faciendi quod volo[9]? » Vult justa opera facere latro, sed eum mors præoccupat. Non tantum opus moror, sed et fidem recepi. Veni qui pasco in liliis, veni ut pascam in hortis[10]. Ovem perditam inveni[11]; eam in humeros meos accipio. Credit enim, cum et ipse dixerit : « Erravi sicut

[1] Luc. XXIII, 43. — [2] Psal. XCIV, 8. — [3] Gen. II, 17. — [4] Luc. X, 18. — [5] Gen. III, 24. — [6] Gal. III, 9. — [7] Rom. V, 20. — [8] Matth XX, 12. — [9] Ibid. 13 et 15. — [10] Cantic. VI, 1, 2. — [11] Luc. XV, 4, 5.

» ovis, quæ periit [1]. Memento mei, Domine, cum veneris in » regno tuo [2]. »

XXXII. De hoc horto in Canticis ad sponsam meam ante cecini, et ad eam hæc dixi : « Ingressus sum in hortum meum, soror mea sponsa [3]. » (Erat autem ubi crucifixus est, hortus [4]. Et quid inde colligis ? « Messui myrrham » meam [5], » dum mirrhatum vinum et acetum bibit ; quibus acceptis, dixit : « Consummatum est [6]. » Completum est enim mysterium : completa quæ scripta sunt : soluta peccata. « Christus enim adveniens pontifex futurorum bo- » norum, per amplius et perfectius tabernaculum, non » manu factum (id est non hujus creationis et structuræ,) » neque per sanguinem hircorum et vitulorum ; sed per » proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna » redemptione inventa. Si enim sanguis taurorum et hir- » corum, et cinis vitulæ aspergens inquinatos, sanctificat » ad carnis munditiem ; quanto potius sanguis Christi [7] ? » Et iterum : « Habentes igitur, fratres, fiduciam ad ingre- » diendum in Sancta in sanguine Jesu, ea via quam dedica- » vit nobis novam et viventem, per velamen, hoc est, carnem » suam [8]. » Et quoniam caro, ipsius velamen, dedecore affecta fuit ; idcirco figurativum templi velum discissum est, sicut scriptum est : « Et ecce velum templi scissum est in » duo a summo usque ad imum [9] : » neque enim tantillum ex ipso derelictum est. Quoniam enim Dominus dixit : « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta [10], » domus ipsa disrupta est.

XXXIII. Sustinuit autem hæc Salvator, pacificans per sanguinem crucis, quæ in cœlis et quæ in terra sunt [11].

[1] Psal. CXVIII, 176. — [2] Luc. XXIII, 42. — [3] Cantic. V, 1. — [4] Joan. XIX, 41. — [5] Cantic. V, 1. — [6] Joan. XIX, 30. — [7] Hebr. IX, 10-14. — [8] Id. X, 19, 20. — [9] Matth. XXVII, 51. — [10] Id. XXIII, 38. — [11] Coloss. I, 20.

Inimici enim Dei per peccatum eramus, et definivit Deus peccantem mori oportere. Ex duobus igitur alterum fieri necesse erat : ut aut Deus sibi constans omnes interimeret, aut clementia usus datam sententiam dissolveret. Verum Dei sapientiam conspicare : suam servavit et sententiæ firmitatem et bonitati efficaciam. Assumpsit Christus peccata in corpore (suo) super lignum, ut nos per mortem ejus peccatis mortui, justitiæ viveremus [1]. Non minimi pretii erat, qui pro nobis moriebatur : non erat ovis sensibilis [2]; non erat nudus homo : non erat solummodo Angelus; sed Deus inhumanatus. Non tanta erat peccantium iniquitas, quanta ejus, qui nostri gratia moriebatur, justitia. Non tantum peccavimus, quantum ille justitia excelluit, qui pro nobis animam posuit, qui posuit quando voluit, et iterum sumpsit quando voluit. Vis nosse quod non coacte ac vi vitam deposuit, neque invitus tradidit spiritum [3]? Inclamavit ad Patrem, dicens : « Pater, in manus » tuas commendo spiritum meum [4]. Commendo, » ut eum resumam. « Et hæc cum dixisset, dimisit spiritum [5] : » sed non in longum tempus, ocius enim ex mortuis rursum resurrexit.

XXXIV. Defecit sol [6], propter justitiæ Solem [7], petræ scissæ sunt, propter intelligibilem petram [8]. Monumenta aperta sunt et mortui resurrexere [9], propter eum, qui in mortuis liber erat [10] : emisit vinctos suos de lacu non habente aquam [11]. Ne te igitur pudeat Crucifixi, sed cum fiducia tu etiam dicito : « Hic peccata nostra portat, et de » nobis dolet, et vibice ejus nos sanati sumus [12] : » ne simus erga benefactorem ingrati. Et iterum : « A peccatis populi

[1] 1 Petr. II, 24. — [2] Isaï. LXIII, 9. — [3] Joan. X, 18. — [4] Luc. XXIII, 46. — [5] Matth. XXVII, 50. — [6] Luc. XXIII, 45. — [7] Malac. IV, 2. — [8] 1 Cor. X, 4. — [9] Matth. XXVII, 52. — [10] Psal. LXXXVII, 6. — [11] Zach. IX, 11. — [12] Isaï. LIII, 4, 5.

»mei ductus est ad mortem : et dabo malos pro sepultura »ipsius, et divites pro morte ejus [1]. »Propter hoc apertius ait Paulus : « Quod Christus mortuus est pro peccatis nos»tris secundum Scripturas; et quod sepultus; et quod re»surrexit tertia die secundum Scripturas [2]. »

XXXV. Volumus autem diserte cognoscere ubinam sit sepultus. Anne manufactus tumulus? an regiorum sepulcrorum morte e terra prominet? num ex lapidibus coagmentatis factum sit monumentum? et quidnam illi impositum sit? Edicite nobis, o Prophetæ, et sepulcri descriptionem, et ubi positum sit corpus, et ubinam illud requisituri simus. Illi autem respondent : « Inspicite in »solidam petram quam excidistis [3] : inspicite et videte [4]. » Habes in Evangeliis : « In monumento exciso [5] quod erat »excisum ex petra [6]. » Et quid post hæc? quale monumenti ostium? Rursus alius Propheta dicit : « Morti dede»runt in lacu vitam meam, et posuerunt lapidem super »me [7]. » Ego lapis angularis, electus, pretiosus [8], intra lapidem condor ad modicum tempus; lapis offensionis Judæis, et salutaris credentibus [9]. Insitum est igitur lignum vitæ in terra, ut hæc, quæ maledicta fuerat benedictionem consequeretur, et ut liberarentur mortui.

XXXVI. Ne nos igitur teneat verecundia, quominus crucifixum confiteamur. In fronte confidenter, idque ad omnia, digitis crux pro signaculo efficiatur : dum panes edimus, et sorbemus pocula; in ingressibus et egressibus; ante somnum; in dormiendo et surgendo; eundo et quiescendo. Magnum illud præsidium : gratuitum, propter egenos; nullo labore constans, propter imbecilles; siquidem a Deo est gratiæ loco concessum : signum fidelium et dæ-

[1] Luc. LIII, 8, 9. — [2] 2 Cor. XV, 3, 4. — [3] Isaï. XI, 1. — [4] Eccli. II, 10. — [5] Luc. XXIII, 53. — [6] Marc. XV, 46. — [7] Thren. III, 53.— [8] 1 Petr. II, 6, et Isaï. XXVIII, 16. — [9] 1 Petr. II, 8.

monum formido. In illo enim triumphatos eos confidenter ostentans traduxit [1]. Quando siquidem viderint crucem, crucifixi eis in mentem venit, metuunt eum, qui contrivit capita draconis [2]. Ne quia gratuitum est, signaculum contemne; imo eo magis benefactorem venerare.

XXXVII. Etsi quando in disceptationem incideris, atque argumentis deficiaris, inconcussa tamen apud te maneat fides. Quin tu potius comparata eruditione, Judæos ex prophetis, et Græcos ex suis ipsorum fabulis ad silentium redige. Hi fulmine percussos adorant [3] : fulmen vero de cœlis veniens non temere ruit. Si illi fulminatos Deo exosos adorare non verecundantur; an te, dilectum Deo et Dei Filium tui gratia crucifixum adorare decebit? verecundia prohibeor ne suorum, quos appellant, Deorum vitia evulgem, eaque propter horæ angustiam prætermitto; qui autem norunt, exponant. Obstruatur etiam os hæreticis omnibus. Si quis dixerit crucem tantum opinione constare, aversare. Oderis eos, qui dicunt ficta tantum specie [Christum] crucifixum esse. Si enim specie tantum crucifixus sit, cum e cruce nobis oriatur salus, ipsa etiam salus nonnisi ludicra specie constabit. Si imaginaria species crux, imaginaria pariter species resurrectio; si autem Christus non resurrexit [4], adhuc sumus in peccatis nostris. Si crux imagine et opinione tantum, imagine pariter assumptio constabit. Si autem assumptio, similiter et secundus adventus; et omnia denique nulla solida re consistent.

XXXVIII. Sume igitur primum pro insolubili fundamento crucem, eoque reliqua fidei consectaria inædifica. Ne Crucifixum abneges : si enim abnegaveris, multos habes qui te revincent. Primus te arguet proditor Judas : ipse enim qui prodidit, novit eum a principibus sacerdotum et

[1] Coloss. II, 15. — [2] Psal. LXXIII, 14. — [3] v. gr. Æsculapium. — [4] 1 Cor. XV, 17.

senioribus damnatum ad mortem fuisse[1]. Testantur triginta argentei[2]; testatur Gethsemane[3], locus ubi proditio peracta fuit. Nondum dico montem Olivarum, in quo orabant præsentes[4] [Apostoli] noctu; testatur quæ in nocte lucebat luna. Testatur dies, et sol deficiens[5]; nec enim insidiatorum crimen videre sustinuit. Arguet te ignis cui astans calefaciebat se Petrus[6]: si crucem negaveris, manebit te ignis æternus. Dura dico, ne tu dura experiare. Recordare ruentium super illum in Gethsemane gladiorum[7], ne tu æternum gladium patiare. Arguet te Caïphæ domus; quæ præsenti vastitate potestatem ejus ostendit, qui tunc in ea judicatus est. Exurget tibi ex adverso in die judicii Caïphas ipse: exurget et minister qui Jesu colaphum impegit[8], et qui ligaverunt, et qui abduxerunt. Exurget adversum te et Herodes et Pilatus, ita ferme loquentes: « Quid negas eum qui coram nobis a Judæis calumniis est appetitus, quem nos nihil peccasse probe calluimus[9]? Ego enim Pilatus tunc lavi manus[10]. Stabunt contra te ipsi falsi testes[11]; et milites qui purpureum ipsi induerunt vestimentum, spineamque imposuerunt coronam[12], et in Golgotha crucifixerunt[13], deque tunica sunt sortiti[14]. Arguet te Simon Cyrenæus qui crucem portavit post Jesum[15].

XXXIX. Convincet te ex sideribus, sol deliquium passus[16]: ex terrenis vero rebus myrrhatum vinum[17]: ex cannis arundo[18]; ex herbis hyssopum; ex marinis spongia, ex arboribus crucis lignum. Milites, sicut dixi, qui clavis con-

[1] Matth. XXVII, 3. — [2] Id. XXVI, 16. — [3] Ibid. 36. — [4] Luc. XXII, 39. — [5] Id. XXIII, 45. — [6] Joan. XVIII, 18. — [7] Matth. XXVI, 55. — [8] Joan. XVIII, 22. — [9] Luc. XXIII, 14, 15. — [10] Matth. XXVII, 24. — [11] Id. XXVI, 60. — [12] Joan. XIX, 2. — [13] Ibid. 17. — [14] Ibid. 24. — [15] Id. XXII, 1-6. — [16] Id. XXIII, 45. — [17] Marc. XV, 23. — [18] Matth. XXVII, 48.

fixerunt, et de vestibus sortem jecere [1]. Miles qui lancea latus ejus aperuit [2]. Mulieres quæ tunc affuerunt [3]. Velum templi tunc discissum [4]. Pilati prætorium, virtute ejus qui tunc cruci affixus est, nunc in solitudinem redactum [5]. Golgotha iste sanctus supereminens, et huc usque conspicuus; atque in præsentem diem fidem faciens, quomodo petræ propter Christum eo tempore sunt scissæ [6]. Proximum quoque monumentum, in quo conditus est; et ostio impositus lapis, qui ad hunc usque diem proxime monumentum jacet. Angeli qui tunc præsentes fuere [7] : mulieres quæ post resurrectionem adoravere [8]. Petrus et Joannes qui ad monumentum cucurrere [9], et Thomas qui manum in latus ejus, et digitos in clavorum vestigia inseruit [10]. Pro nobis enim ille diligenter contrectavit : quodque tu, qui præsens non affuisti, inquisiturus eras, id ille præsens altiori Dei consilio conquisivit.

XL. Habes duodecim Apostolos crucis testes, et terram universam, ac mundum credentium in Crucifixum hominum. Hoc ipsum quod nunc ades, Crucifixi virtutem tibi persuadeat. Quis enim te nunc ad hunc cœtum adduxit? qui milites? quibus es vinculis coactus? quæ te nunc adursit judicis sententia? verum salutare Jesu tropæum, crux, omnes huc coëgit. Hoc Persas servituti addixit, et Scythas cicuravit. Hoc Ægyptiis, in locum felium et canium, ac multiplicis erroris, Dei notitiam impertivit. Hoc in hodiernum usque diem morbos curat, effugat dæmones, veneficiorumque atque incantationum evertit imposturas.

XLI. Hoc cum Jesu olim apparebit ex cœlo [11]. Præcedet enim regis tropæum; ut Judæi quidem videntes quem pu-

[1] Matth. XXVII, 35. — [2] Joan. XIX, 34. — [3] Matth. XXVII, 55. — [4] Ibid. 51. — [5] Ibid. 27. — [6] Ibid. 51, et 60. — [7] Joan. XX, 12. — [8] Matth. XXVIII, 9. — [9] Joan. XX, 3, 4. — [10] Ibid. 27. — [11] Matth. XXIV, 30.

pugerunt [1], et ex cruce eum, quem ignominia affecerunt, recognoscentes, lamentis conficiantur : (at illi quidem deplorabunt se tribus contra tribus [2] ; tunc enim pœnitebit eos, cum non erit eis tempus pœnitentiæ :) nos autem gloriemur, de cruce plaudentes ac gestientes : adorantes eum, qui missus et pro nobis crucifixus est, Dominum ; adorantes quoque Patrem, a quo missus est, Deum, cum sancto Spiritu. Cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Joan. XIX, 37. Zach. XII, 10-12, et Apoc. I, 7. — [2] Zach. XII, 12.

CATECHESIS XIV.

ILLUMINANDORUM,

Hierosolymis dictà ex tempore in illud : QUI ET RESURREXIT A MORTUIS TERTIA DIE ; ET ASCENDIT IN CŒLOS, ET CONSEDIT A DEXTRIS PATRIS. *Lectio ex priore ad Corinthios :* Notum autem vobis facio, fratres, Evangelium quod annuntiavi vobis, etc. Quod resurrexit tertia die secundum Scripturas [1], *et quæ sequuntur.*

ARGUMENTUM.

I. *Cor nostrum gaudio et lætitia repleatur de resurrectione Christi.* II. *Hujus catechesis propositum ac partitio.* III. *De Christi sepultura.* IV. *Testimonia de resurrectione.* V. *De loco resurrectionis. — Christus in tumulo signatus.* VI. *Ecclesia resurrectionis sola Hierosolymis dicta* Martyrium. VII. *Signa resurrectionem Christi consecuta, linguarum donum, Æthiopum conversio.* VIII. *Alia resurrectionis testimonia.* IX. *Quæ tumuli Salvatoris ratio.* X. *Quo anni tempore Salvator resurrexit? ve, e. — Vere creatus mundus tempore æquinoctii. — Eodem tempore homo reparatus fuit, quo perditus fuerat.* XI. *In Canticis resurrectio Christi, et ejus circumstantiæ prænuntiatæ. — Christus per januas clausas ingressus.* XII. *Mulieres Christum ad monumentum quærunt.* XIII. *Mulierum virilis ardor in Christum.* XIV. *Mulierum pietatis et Judæorum procerum vanitatis comparatio. — Cons-*

[1] 1 Cor. xv, 1-3.

tantini pietas cum Judæorum impietate comparata. — Ecclesia resurrectionis magnifice extructa. — Judæi pauci resurrectioni increduli; totus vero orbis credulus. XV. *Confutantur judæi resurrectionem credere detrectantes. — Matthæi Evangelium hebraïca lingua conscriptum. — Quindecim primi Hierosolymorum episcopi omnes ex Hebræis.* XVII. *Christi post dies tres resurrectio ex Jonæ historia possibilis convincitur. — Jesus descendit in mortis locum, ut mors quos sorbuerat, evomeret.* XVIII. *Non difficilius mortuum resurgere, quam vivum hominem in ventre ceti conservari. — Unde resurrexit Christus? Ab inferis videlicet.* XIX. *occurrunt sancti Christo ad inferna descendenti, et ab eo liberantur a morte.* XX. *Gestavit Jonas figuram Salvatoris.* XXI. *Manichæi simulatam Christi resurrectionem asserentes confutantur. — Jacobus frater Domini primus Hierosolymorum episcopus.* XXII. *Conglobata resurrectionis christi testimonia.* XXIII. *Mons Olivarum Christi in cœlum ascendentis vestigia conservans.* XXIV. *De ascensione.—De ascensione dixerat pridie Cyrillus in synaxi dominicæ diei, propter ordinem lectionum. Hic ea contrahit.* XXV. *Refutantur qui impossibilem ascensionem causabantur.* XXVI. *Non Christus solus, sed et Discipuli ejus, amplioribus quam veteres Patriarchæ donis insigniti. — Paulus et in tertium cœlum, et in paradisum raptus.* XXVII. *De sessione Christi ad dexteram Patris. — Christus ab æterno sedet a dextris Patris. — Filius Isaïæ conspectus, non Pater. — Testimonia de Filii ad dexteram Patris consessu.* XXVIII. *De eodem argumento.* XXIX. *De eodem argumento.* XXX. *Conclusio per modum faustæ precationis. — E libro viventium quorumdam delentur nomina. — Christus, quanquam in superis sedet, hic præsens singulorum intimos animi sensus conspicatur.*

I. « Lætare Hierusalem[1], et conventum agite omnes qui » diligitis Jesum ; » resurrexit enim, « Gaudete omnes qui » antea in luctu fuistis[2], » auditis Judæorum ausis et facinoribus : qui enim ab eis his in locis dehonestatus est, rursus ad vitam revocatus est. Et sicut crucis commemoratio tristitiæ nonnihil intulit; ita faustus resurrectionis nuntius præsentes lætificet. Convertatur luctus in gaudium, et planctus in lætitiam[3]. Repleatur os nostrum gaudio et lætitia[4], propter eum qui post resurrectionem suam dixit : « Gaudete[5]. » Novi enim, quæ anteactis diebus fuerit Christi amantium tristitia, dum oratione nostra in mortem ac sepulturam desinente, omissa resurrectionis denuntiatione, suspensus erat animus ad illud quod optabat audiendum. Resurrexit itaque mortuus ille « Inter mortuos liber[6], » et mortuorum liberator. Qui ignominiæ causa, spinea corona redimitus per patientiam fuit, ille resurgens devictæ mortis diadema sibi cinxit.

II. Sed quemadmodum pertinentia ad ejus crucem testimonia protulimus, age, et nunc ad eumdem modum demonstrationibus fidem resurrectionis faciamus. Siquidem qui in manibus est Apostolus ait : « Sepultus est, et resur- » rexit tertia die secundum Scripturas[7]. » Cum igitur nos Apostolus ad Scripturarum testimonia remittat, optimum est ut repositam salutis nostræ spem agnoscamus. Ac primum quidem addiscamus, num divinæ nobis Scripturæ certum resurrectionis ejus tempus renuntient : ea-ne in æstate, aut in autumno fiat, vel post hyemem? et cujusmodi ex locis resurrexerit Salvator? et quodnam resurrectionis loco nomen apud admirandos Prophetas tribuatur? et utrum mulieres, quæ illum non repertum quæsivere, eo

[1] Vide D. Guillon, tom. VIII, pag. 405-408. — [2] Isaï. LXVI, 10. — [3] Psal. XXIX, 12. — [4] Id. LXX, 8, et CXXV, 2. — [5] Matth. XXVIII, 9. — [6] Psal. LXXXVII, 5. — [7] 1 Cor. XV, 4.

rursus reperto gaudeant? Ut cum leguntur Evangelia, non fabulæ, neque rapsodiæ (seu ineptæ rerum consarcinationes) existimentur sanctorum Evangeliorum narrationes.

III. Quod igitur sepultus sit Salvator aperte audistis in superiori sermone, Hesaïa dicente : « Erit in pace sepultura » ejus[1] : » Pacificavit enim sepultura sua cœlum et terram, peccatores adducens Deo[2]. Et, « A facie iniquitatis sublatus est justus; » et, « Erit in pacc sepultura ejus[3]. » Et, « Dabo malos pro sepultura ipsius[4]. » Et est prophetia Jacob dicens in Scripturis : « Procumbens dormivit ut leo, et » ut catulus; quis suscitabit eum[5]? » Et simile huic in Numeris testimonium : « Recubans requievit ut leo, et ut ca» tulus[6]. » Et sæpe audivistis Psalmum dicentem : « Et in » pulverem mortis deduxisti me[7]. » Locum vero annotavimus in hoc dicto : « Inspicite in petram quam excidistis[8]. » Deinceps vero de ipsa ejus resurrectione testimonia subnectamus.

IV. Primum igitur in Psalmo undecimo dicit : « Propter » miseriam inopum et gemitum pauperum, nunc exurgam, » dicit Dominus[9]. » Sed hoc testimonium apud quosdam adhuc dubium manet : nam et in iràm sæpe exurgit ad ultionem sumendam de inimicis[10]. Veni igitur ad Psalmum quintum-decimum propalam dicentem : « Conserva me, » Domine, quia in te speravi[11]; » et postea : « Non congre» gabo conventicula eorum ex sanguinibus, nec memor ero » nominum eorum per labia mea[12] : » quandoquidem me abnegantes, regem suum sibi Cæsarem ascripserunt[13]. Et in consequentibus : « Prospiciebam Dominum coram me sem» per, quia a dextris meis est ut non commovear[14]; » Et

[1] Isaï. LVII, 2.— [2] Coloss. I, 20.— [3] Isaï. LVII, 1, 2. — [4] Id. LIII, 9. — [5] Gen. XLIX, 9. — [6] Num. XXIV, 9. — [7] Psal. XXI, 16. — [8] Isaï. LI, 1. — [9] Psal. XI, 6. — [10] Id. VII, 7. — [11] Id. XV, 1. — [12] Ibid. 4. — [13] Joan. XIX, 15. — [14] Psal. XV, 8.

post pauca : « Adhuc vero et usque ad noctem erudierunt » me renes mei[1]. » Postea manifestissime ait : « Quoniam » non derelinques animam meam in infernum, nec dabis » Sanctum tuum videre corruptionem[2]. » Non dixit : « Nec » dabis Sanctum tuum videre mortem, » alioqui mortuus non esset ; sed, « Corruptionem » quidem, inquit, non video, in morte autem non permanebo. « Notas mihi fecisti vias » vitæ[3]. » Ecce diserte post mortem vita prædicatur. Veni et ad vigesimum nonum Psalmum : « Exaltabo te, Domine, » quoniam suscepisti me, nec lætificasti inimicos meos de » me[4]. » Quid factum est ? Ab inimicis liberatus es, aut jamjam percutiendus dimissus fuisti ? Ipse dicit clarissime : « Domine, eduxisti ab inferno animam meam[5]. » Illic dicit : « Non derelinques, » prophetice : hic autem futurum tanquam jam factum enuntians ait : « Eduxisti. Salvasti me a » descendentibus in lacum[6]. » Quonam id tempore futurum est ? « Ad vesperum demorabitur fletus, et ad manutinum » lætitia[7]. » Sub vesperam enim erat Discipulorum luctus, et mane resurrectionis lætitia.

V. Vis et de loco cognoscere ? Dicit iterum in Canticis : « In hortum nucis descendi[8]. » Hortus enim erat ubi crucifixus est[9]. Tametsi enim imperatoriis donis nunc maxime exornatus sit, prius tamen hortus erat, hujusque manent adhuc vestigia et reliquiæ. « Hortus conclusus, fons signa- » tus[10], » a Judæis videlicet, qui dixerunt : « Recordati sumus » quod seductor ille dixit adhuc vivens : Post tres dies re- » surgam. Jube igitur muniri sepulcrum[11]. » Et in sequentibus : « Illi autem profecti munierunt sepulcrum, signantes » lapidem, adhibitis excubiis[12]. » In quos pulchre invectus ait aliquis : Et in requietem judicabis ipsos[13]. » Quis vero

[1] Psal. xv, 7. — [2] Ibid. 10. — [3] Ibid. — [4] Id. xxix, 2. — [5] Ibid. 4. — [6] Ibid. — [7] Ibid. 6. — [8] Cant. vi, 10. — [9] Joan. xix, 41. — [10] Cant. iv, 12. — [11] Matth. xxvii, 63, 64. — [12] Ibid. 66. — [13] Job. vii, 18.

est « Fons signatus [1], » aut quis significatur « Fons putei aquæ » viventis [2] ? » Ipse est Salvator, de quo scriptum est : « Quo» niam apud te est fons vitæ [3]. »

VI. Verum quid dicit Discipulis Sophonias ex persona Christi? « Præpara te, mane surge; corruptus est omnis » racemulus ipsorum [4]; » Judæorum nempe, apud quos relicta non est uva salutis, sed neque racemulus : excinditur namque vinea ipsorum. Vide quomodo ad Discipulos loquitur : « Præpara te, mane surge : » mane expecta resurrectionem. Et deinde secundum eamdem Scripturæ consequentiam ac tenorem, ait : « Propterea expecta me, » ait Dominus, in diem resurrectionis meæ in Marty» rium [5], » [seu testimonium.] Vides etiam Prophetam prævidisse locum resurrectionis, qui Martyrium appellandus erat. Qua enim ratione, non cæterarum ecclesiarum more hic Golgothæ et resurrectionis locus Ecclesia appellatur, sed Martyrium ? At id fortasse propter Prophetam qui dixit : « In diem resurrectionis meæ in Martyrium. »

VII. Et quis iste est, quodve ejus resurgentis signum ? Evidenter in consequentibus in ipsa prophetici contextus serie dicit : « Quia tunc convertam super populos linguam.» Siquidem post resurrectionem, misso Spiritu sancto, data est gratia linguarum; « Ut serviant Domino sub jugum » unum [6]. » Quodnam vero aliud in eodem Propheta adjungitur symbolum, quod servient Domino sub jugum unum? « Ex finibus fluviorum Æthiopiæ afferent tibi victimas [7]. » Nosti quod in Actis scriptum est, cum venit Æthiops eunuchus ex finibus fluviorum Æthiopiæ [8]. Quando igitur et temporis circumstantiam, et loci proprios characteres; quando et consecuta resurrectionem signa edicunt Scripturæ : firmam deinceps resurrectionis fidem concipe;

[1] Cantic. IV, 12. — [2] Ibid. 15. — [3] Psal. XXXV, 9. — [4] Sophon. III, 7. — [5] Ibid. 8. — [6] Ibid. 9. — [7] Ibid. 10. — [8] Act. VIII, 27.

neque te quisquam permoveat, quominus Christum confitearis e mortuis excitatum.

VIII. Accipe et aliud testimonium in octogesimo-septimo Psalmo, Christo in Prophetis dicente : (ipse enim qui tum loquebatur [1], postea affuit) Domine Deus salutis meæ, » de die clamavi et in nocte coram te [2]. » Et post pauca : « Factus sum sicut homo sine adjutorio, in mortuis li» ber [3], » non dixit : « Factus sum homo sine adjutorio; » sed, « Sicut homo sine adjutorio. » Crucifixus enim est, non ex virium defectu, sed voluntarie; nec ex involuntaria infirmitate mors ejus prodivit. « Reputatus sum cum descen» dentibus in lacum [4]. » Et quod signum? « Longe fecisti » notos meos a me [5]. » (Fugerunt enim Discipuli [6].) « Num» quid mortuis facies mirabilia [7]? » Deinde post pauca : « Et » ego, Domine, ad te clamavi, et mane oratio mea præve» niet te [8]. » Vides-ne quomodo etiam declarant ipsam horæ circumstantiam, tum passionis tum resurrectionis?

IX. Undenam vero resurrexit Salvator? Ait in Canticis Canticorum : « Surge, veni, proxima mea, » et in sequentibus; « In spelunca petræ [9]. » Speluncam petræ dicit, eam quæ tunc fuit ante Salvatoris monumenti ostium speluncam, ex eadem petra, sicut hic in foribus monumentorum fieri solet, excisam. Nunc vero jam non apparet, eo quod præsentium ornamentorum instituendorum gratia olim erasa sit anterior spelunca; ante enim hanc monumenti ex regia magnificentia structuram, erat ante petram spelunca. Ubinam autem petra illa est, quæ speluncam habet? an in medio urbis sita, aut circa muros et extrema? utrum-ne vero in veteribus muris est, an in extructis postea antemu-

[1] Isaï. LII, 6. — [2] Psal. LXXXVII, 1. — [3] Ibid. 6. — [4] Ibid. 5 et 9. — [6] Matth. XXVI, 56. — [7] Psal. LXXXVII, 11. — [8] Ibid. 14. — [9] Cant. II, 10 et 14.

ralibus? Dicit igitur in Canticis : « In spelunca petræ juxta » antemurale [1]. »

X. Quo tempore exurgit Salvator? numquid æstatis tempore vel alio? In eisdem Canticis proxime ante ea quæ modo recitata sunt, dicit : « Hyems transiit, imber transiit » sibi, et abiit; flores visi sunt in terra; tempus putationis » advenit [2]. » Nonne nunc floribus plena tellus est, et putantur vineæ? Cernis quomodo transactam etiam hyemem dixit. Xanthico enim hoc mense jam præsente, ver deinceps adest. Hoc autem tempus est primi Hebræorum mensis [3], in quo celebratur festivitas Paschæ, typici quidem et figurativi prius, nunc autem veri. Hoc creationis mundi tempus. Tunc enim dixit Deus : « Producat terra herbam » fœni, germinantem semen juxta genus, et juxta similitu» dinem [4]; » et nunc, ut vides, jam omnis herba germinat. Et quemadmodum tunc Deus cum solem et lunam fecit, æqualium illis dierum ac noctium cursus impertivit; sic et paucis ante diebus æquinoctii tempus erat. Tunc dixit Deus : « Faciamus hominem ad imaginem nostram et simi» litudinem [5]. » Et illud quidem, « Ad imaginem, » accepit : hoc vero, « Ad similitudinem, » per obedientiam obscuravit et infuscavit. Eadem igitur temporis circumstantia qua hoc amisit, in eadem rursus contigit reparatio. Quando homo creatus, propter inobedientiam ejuctus est de paradiso; eodem tempore is qui credidit, per obedientiam introductus est. Tum igitur facta salus est quando et lapsus; cum et « Flores visi, et putationis tempus advenit [6]. »

XI. Hortus erat locus sepulturæ, et vitis quæ ibi plantata est, dixit : « Et ego sum vitis [7]. » In terra igitur insita est, ut maledictio propter Adamum incussa eradicaretur. Damnata est tellus ad spinas et tribulos [8] [ferendos :] e

[1] Cant. II, 10 et 14. — [2] Ibid. 12. — [3] Abib, sive Nisan. — [4] Gen. I, 11. — [5] Ibid. 26. — [6] Cant. II, 12. — [7] Joan. XV, 1. — [8] Gen. III, 18.

terra prodivit vitis vera, ut impleretur quod dictum est : « Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit [1]. » Quid vero dicturus est is, qui in horto sepelitur? « Vinde- » miavi myrrham meam cum aromatibus meis [2], » et rursus : « Myrrha et aloë, cum primis omnibus aromatibus [3] » Hæc autem sepulturæ sunt symbola. Atque in Evangeliis dicitur : « Venerunt mulieres ad monumentum, portantes » quæ præparaverant aromata [4]. Et Nicodemus, ferens » mixturam myrrhæ et aloës [5]. » Consequenter scriptum habetur : « Comedi panem meum cum melle meo [6], » quod amarum, ante passionem; quod dulce, post resurrectionem. Postea redivivus ingressus est per fores clausas [7]. Verum fides detrahebatur : existimabant enim se spiritum videre. Ille autem, « Tangite me, inquit, et videte [8]. » Inserite digitos in foramen clavorum, sicut requirebat Thomas [9]. » Cumque hauddum crederent præ gaudio, et » admirarentur, dixit illis : Habetis hic aliquid edulii? Illi » autem dederunt ei piscis assi partem, et de apiario fa- » vum [10]. » Cernis, quomodo impleta est illa sententia : « Comedi panem meum cum melle meo [11]. »

XII. Sed antequam ingrederetur per januas clausas [12], quærebatur ab optimis illis et virili robore præditis mulieribus, sponsus et curator animarum. Venerunt beatæ illæ ad sepulcrum [13], et quærebant eum, qui jam resurrexerat [14] : fluebantque adhuc illarum ex oculis lacrymæ [15], cum potius lætari et choros agere propter redivivum conveniret. Venit Maria quærens, ut est in Evangelio, nec invenit [16]. Postea-

[1] Psal. LXXXIV, 12.— [2] Cant. V, 1.— [3] Id. IV, 14.— [4] Luc. XXIV, 1. — [5] Joan. XIX, 39. — [6] Cant. V, 1. — [7] Joan. XX, 19. — [8] Luc. XXIV, 37 et 39. — [9] Joan. XX, 25 et 27. — [10] Luc. XXIV, 41, 42. — [11] Cantic. V, 1. — [12] Joan. XX, 19-26. — [13] Matth. XXVIII, 1. — [14] Ibid. 6, et Luc. XXIV, 5. — [15] Joan. XX, 11. — [16] Ibid. 1, 13, 14, et seq.

que audivit ab Angelis, et demum Christum vidit. Numquid et hæc perscripta sunt? Dicit igitur in Canticis Canticorum : « Super lectum meum quæsivi quem diligit anima » mea [1]. » Quali tempore? « Super lectum meum in noctibus » quæsivi quem diligit anima mea. (Maria, inquit [Evangelium], venit cum adhuc tenebræ essent [2].) Super lec» tum meum quæsivi in noctibus; quæsivi eum, et non in» veni ipsum [3]. » In Evangeliis quoque Maria ait : « Tulerunt » Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum [4]. » Verum præsentes tunc Angeli ignorantiam depulerunt. Dixerunt enim : « Quid quæritis viventem cum mortuis [5]? » Non surrexit solum, sed mortuos quoque secum habens surrexit. Illa vero nesciebat; ejusque ex persona dicit ad Angelos Canticum Canticorum : « Num quem diligit anima mea, » vidistis? Paululum, cum transivissem ab illis, » (hoc est, duobus Angelis) « donec inveni quem diligit anima mea; » tenui eum, nec illum dimisi [6]. »

XIII. Nam post Angelorum visionem ipse se annuntians Jesus venit, dicitque Evangelium : « Et ecce Jesus occurrit » illis dicens : Gaudete. Ille autem accedentes tenuerunt » pedes ejus [7]. » Tenuerunt eum, ut impleretur illud : « Te» nebo eum, nec illum dimittam [8]. » Imbecillum quidem mulieris corpus erat, sed viriles animi. Aqua multa non extinxit dilectionem [9], nec flumina demerserunt. Mortuus erat qui quærebatur, verum extincta non erat spes resurrectionis. Et Angelus ad ipsas iterum dixit : « Ne timeatis » vos [10], » non dico militibus : « Ne timeatis, » sed vobis. Illi timeant, ut experientia edocti testimonium ferant, dicantque : « Vere Dei Filius erat [11], » vos autem non oportet

[1] Cantic. III, 1. — [2] Joan. XX, 1. — [3] Cantic. III, 1. — [4] Joan. XX, 13. — [5] Luc. XXIV, 5. — [6] Cantic. III, 3, 4. — [7] Matth. XXVIII, 9. — [8] Cantic. III, 4. — [9] Id. VIII, 7. — [10] Matth. XXVIII, 5. — [11] Id. XXVII, 54.

timere : perfecta enim charitas foras mittit timorem [1]. « Profectæ dicite Discipulis ejus, quod surrexit [2], » et quæ sequuntur. Et recesserunt illæ cum gaudio, timore oppletæ [3]. Anne et hoc est scriptum? Dicit igitur secundus Psalmus qui Christi passionem enuntiat : « Servite Domino in timore, » et exultate ei in tremore [4]. Exultate » quidem propter Dominum qui resurrexit : « In tremore » vero propter terræ motum, et Angelum qui fulguris instar apparuit [5].

XIV. Obsignaverant quidem principes sacerdotum et Pharisæi sepulcrum, Pilati adminiculo : at mulieres suscitatum viderunt. Cognoscensque Esaïas summorum sacerdotum ex una parte futilitatem, mulierum vero ex alia fidei robur, dicit : « Mulieres venientes a visione accedite : non » enim est populus habens intelligentiam [6]. » Summi sacerdotes intelligentia destituuntur, et mulieres ipsis oculis conspiciunt. Cumque ad illos in urbem venissent milites, et omnia quæ contigerant renuntiassent, aiunt ipsis : « Hoc » dicite: Discipuli ejus nocte venientes furati sunt eum nobis » dormientibus [7]. » Egregie illud quoque, tanquam eorum ex persona loquens, prædixit Esaïas : « Sed dicite nobis, » et annuntiate nobis alium errorem [8]. » Surrexit qui redivivus fuit, et numerata pecunia militibus [9] [ut sibi audientes sint] persuadent ; sed idem præsentibus imperatoribus non persuadent. Nam cum illius temporis milites argento prodiderint veritatem, hujus temporis imperatores, sanctam hanc, in qua sumus, Salvatoris Dei resurrectionis Ecclesiam, argento inductam, et auro infuso distinctam extruxerunt; et pretiosis ex argento, auro ac gemmis, donariis exornarunt. « Et si hoc auditum fuerit apud præsi» dem, nos suadebimus ei [10]. » Quod si illis persuadetis, orbi

[1] 1 Joan. IV, 18.— [2] Matth. XXVIII, 7.— [3] Ibid. 8, et Marc. XVI, 8. — [4] Psal. II, 11. — [5] Matth. XXVIII, 2, 3. — [6] Isaï. XXVII, 11. — [7] Matth. XXVIII, 13.— [8] Isaï. XXX, 10.— [9] Matth. XXVIII, 15.— [10] Ibid. 14.

terrarum non persuadetis. Eccur enim, quemadmodum Petro de carcere egresso [1], custodes sunt condemnati; ita et qui Jesum custodiebant, damnationi non subjacuere? Verum illis imposita ab Herode pœna fuit; nullam enim ex ignorantia defensionem reperiebant. Isti autem, qui cum veritatem novissent, eam propter argentum occultavere [2], a summis sacerdotibus incolumes sunt servati. At pauci Judæorum tunc fabulæ creduli fuere; orbis vero totus obedivit (veritati.) Qui veritatem absconderant, ipsi [oblivione] absconditi : qui vero eam recepere, in publicam lucem emerserunt, excitati virtute Salvatoris, qui non modo ex mortuis surrexit, sed secum quoque mortuos excitavit : quorum ex persona clare Oseas propheta ait : « Sanitati nos restituet post duos dies : in die tertia resur» gemus, et vivemus in conspectu ejus [3]. »

XV. Quando vero inobsequentes Judæos non permovent divinæ Scripturæ, ipsique omnium quæ scripta sunt obliti resurrectioni Jesu contradicunt, optimum fuerit sic eos affari : « Qua ratione, cum Elisæum et Eliam mortuos excitasse asseratis [4], Salvatoris nostri resurrectioni obnitimini? An quod eorum quæ dicimus viventes nunc, ex eis qui tunc fuerunt, testes non habemus? igitur et vos testes illorum temporum producite. Atqui illud scriptum est? et hoc quoque scriptum. Cur ergo alterum amplectimini, alterum vero reprobatis? Hebræi priora illa scripserunt. Omnes quoque Apostoli Hebræi fuere : quidni ergo Judæis creditis? Matthæus qui Evangelium scripsit, hebraïca illud lingua conscripsit. Paulus prædicator, Hebræus ex Hebræis [5] : et duodecim Apostoli, Hebræi omnes. Deinde quindecim Hierosolymorum episcopi et Hebræis continua successione sunt constituti. Qua ratione igitur vestra dum

[1] Act. XII, 19. — [2] Matth. XXVIII, 15. — [3] Osee VI, 3. — [4] 4 Reg. IV, 20-37, et 3 Reg. XVII, 17-24. — [5] Philip. III, 5.

admittitis, nostra rejicienda arbitramini, eaque ab Hebræis vestri generis perscripta? »

XVI. Sed impossibile est, aiet quispiam, resuscitari mortuos. Atqui semel et iterum resuscitavit Elisæus, et vivens, et post mortem. Credimus projectum mortuum Elisæi mortui jacentis contactu surrexisse [1]: Christus vero ex mortuis non surrexit? Insuper, cum illic mortuus qui Elisæum contigit, resurrexerit [2]; ipse qui excitavit, nihilominus mansit ut ante mortuus : hic vero, et noster mortuus surrexit, et multi mortui qui ne quidem illum contigere, surrexerunt. « Multa enim corpora Sanctorum qui » obdormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis » post resurrectionem ejus, ingressi sunt in sanctam civi» tatem, (palam autem est eam, in qua nunc sumus, signi» ficari) et apparuerunt multis [3]. » Excitavit quidem Elisæus mortuum, sed orbem non subegit. Excitavit Elias mortuum, sed non in nomine Eliæ dæmones abiguntur [4]. Non detrahimus Prophetis, sed dominum eorum magnificentius celebramus. Non enim illa minuendo nostra commendamus, nam et illa quoque nostra sunt. Verum ex rebus illorum nostris fidem conciliamus.

XVII. Verum iterum aiunt : « Mortuus equidem recens tum defunctus a vivente exsuscitatus est. At ostendite nobis posse fieri ut mortuus trium dierum resurgat, et sepultus homo post dies tres ad vitam revocetur. Hujusmodi rerum testificationem quærentibus, hanc nobis suppeditat Dominus Jesus in Evangeliis aiens : « Sicut enim fuit Jo» nas in ventre ceti tres dies et tres noctes; sic erit filius » hominis in corde terræ tres dies et tres noctes [5]. » Quando autem historiam Jonæ diligenter indagamus, plurima occurrit similitudinis vis atque efficacia. Jesus pœnitentiam

[1] 4 Reg. IV, 20 et 37. — [2] Id. XIII, 21. — [3] Matth. XXVII, 52, 53. — [4] 3 Reg. XVII, 17 et 24. — [5] Matth. XII, 40.

prædicatum missus est : missus et Jonas. Sed ille futuri inscius fugit : hic autem voluntarie pœnitentiam salutis daturus accessit. Jonas dormiebat in navigio, et stertebat, dum mare tempestate jactaretur [1] : Jesu quoque dormiente, certo consilio excitatum est mare, ut dormientis virtus postea cognosceretur [2]. Illi dicebant : « Quid tu stertis ? » surge, invoca Deum tuum, ut salvos nos faciat Deus [3]. » Hic autem Domino dicunt : « Domine, serva nos [4]. » Ibi dicebant : « Invoca Deum tuum; » hic autem, « Serva. » At ille quidem dicit : « Tollite me, et projicite in mare, et » quiescet mare a vobis [5]. » Hic vero ipse « Ventos et mare » increpavit, et facta est tranquillitas magna [6]. » Et ille projectus est in alvum ceti : iste vero sponte descendit in locum, ubi erat intelligibilis cetus mortis [7]. Sponte vero descendit, ut mors eos, quos absorbuerat, evomeret, juxta id quod scriptum est : « De manu inferi liberabo eos, et » de manu mortis redimam illos [8]. »

XVIII. Ad hanc partem orationis appulsi, consideremus utrum difficilius sit hominem sepultum de terra resurgere; an hominem in ventre ceti, atque in tantam viventis animalis caliditatem ingestum, non solvi ac corrumpi ? Quis hominum ignorat tantum inesse caloris in ventribus, ut etiam ossa devorata dissolvant ? quî igitur Jonas in ventre ceti tres dies et totidem noctes moratus, non corruptus ac fusus est ? Quomodo vero, cum ea sit omnium hominum natura, ut sine ista in aëre respiratione vivere non possimus, ille triduum vixit hunc aërem non spirans ? Respondent Judæi et dicunt : « Descendit una cum Jona, dum in inferno agitaretur, virtus Dei ? » Jamvero, servo suo submittens virtutem, Dominus vitam præstabat; ipse vero sibi

[1] Jon. I, 2, 3 et 5. — [2] Matth. VIII, 24, 25. — [3] Jon. I, 6. — [4] Matth. VIII, 25. — [5] Jon. I, 12. — [6] Matth. VIII, 26. — [7] Jon. I, 11 et 15. — [8] Osee XIII, 14.

ipsi præstare non possit? Si credibile illud, et hoc credibile : si hoc incredibile, incredibile et illud; mihi autem utraque similiter credibilia. Credo enim et Jonam conservatum esse, « Omnia enim possibilia apud Deum [1]. » Credo etiam Christum a mortuis resurrexisse. Multa enim habeo ejus rei testimonia, cum ex divinis Scripturis, tum ex ipsius qui surrexit, in hodiernum usque diem efficientia : qui quidem in inferna descendit solus, pluribus vero comitatus huc revectus est. Descendit namque in mortem, et multa corpora Sanctorum qui obdormierant, per ipsum excitata sunt [2].

XIX. Exterrita mors est, novum quemdam in infernum descendentem conspicata, qui hujus loci vinculis non tenebatur [3]. Qua de causa, o inferni janitores, eum videntes expavistis [4]? qui vos insolens occupavit timor? Fugit mors, ejusque timiditatem fuga illa arguebat. Accurrerunt sancti Prophetæ, et Moyses legislator, et Abraham, et Isaac et Jacob; David quoque et Samüel, et Hesaïas, et Baptista Joannes, qui ait et testatur : « Tu es qui venturus es, an » alium expectamus [5]? » Redempti sunt Sancti omnes, quos mors absorbuerat; oportebat namque Regem qui prædicatus fuerat, optimorum præconum fieri redemptorem. Tum vero quilibet justorum dicebat : « Ubi est, mors, victoria » tua [6]? ubi tuus, o inferne, stimulus? » liberavit enim nos victoriæ auctor.

XX. Hujus Salvatoris nostri figuram gestavit Jonas, de ventre ceti orans et dicens : « Clamavi in tribulatione mea, » etc. de ventre inferi [7]. » Atqui in ceto erat. Nihilominus in ceto cum esset, in inferno esse se dicit : figura namque erat Christi in infernum olim descensuri. Et post pauca, ex persona Christi manifestissime prophetans ait : « Subiit

Matth. XIX, 26. — [2] Id. XXVII, 52. — [3] Act. II, 24. — [4] Job. XXXVIII, 17. — [5] Matth. XI, 3. — [6] I Cor. XV, 55. — [7] Jon. II, 3.

» caput meum in scissuras montium [1]. » Erat tamen in ventre ceti. Quales ergo te montes habent? « Verum scio, inquit, me illius figuram gerere qui in monumento de petra exciso reponendus est. » Et cum in mari existeret Jonas, dicit : « Descendi in terram [2] : » quandoquidem figuram referebat Christi qui in cor terræ descendit [3]. Prævidens quoque Judæorum fraudem milites ad mentiendum inducentium, aientiumque : « Dicite quod furati sunt illum [4], » dicit : « Observantes vana et falsa, misericordiam suam dereli» querunt [5]. » Venit enim qui illos miserabatur; et crucifixus est, ac resurrexit, dato pro Judæis et Gentibus pretioso sanguine suo : illi autem dicunt : « Dicite quod furati sunt » eum ; vana et mendacia observantes. » De ipsius resurrectione dicit etiam Hesaïas : « Qui eduxit de terra pastorem » ovium magnum [6]. » Adjecit « Magnum, » ut ne ejusdem cum præcedentibus pastoribus pretii existimaretur.

XXI. Cum igitur prophetias habeamus, sit apud nos fides. Cadant ii qui ex infidelitate cadunt, quando illis adlubescit. Tu vero stetisti super petram fidei de resurrectione : ne te ullus aliquando hæreticus ad infamandam resurrectionem permoveat. Nam ad hodiernam usque diem Manichæi, simulatam non autem veram Salvatoris fuisse resurrectionem edicunt, insuper habentes Paulum qui scribit : « Qui factus est ex semine David, secundum carnem [7]; » et iterum in consequentibus ait : « Ex resurrectione mor» tuorum Jesu Christi Domini nostri [8]; » iterumque intendit adversus ipsos sermonem, et dicit : « Ne dicas in corde » tuo : Quis ascendet in cœlum, aut quis descendet in » abyssum ; hoc est Christum a mortuis revocare [9]? » Similiterque alibi nos præmuniens rursum scripsit : « Me-

[1] Jon. II, 6. — [2] Ibid. 7. — [3] Matth. XII, 40. — [4] Id. XXVIII, 13. — [5] Jon. II, 9. — [6] Isaï. LXIII, 11. — [7] Rom. I, 3. — [8] Ibid. 4. — [9] Id. X, 6, 7.

» mento Jesum Christum excitatum a mortuis [1]. » Rursusque : « Si autem Christus non resurrexit, vana est videlicet » prædicatio nostra, vana quoque et fides nostra. Invenimur autem et falsi testes Dei, quoniam testati sumus adversus Deum quod Christum excitaverit [2]. » Sed in sequentibus ait : « Nunc autem Christus surrexit ex mortuis, » primitiæ eorum qui obdormierunt [3]. Et visus est Cephæ, » post hæc duodecim viris [4]. » Nam si testi uni fidem detrahis, habes duodecim testes. « Deinde visus est plus quam » quingentis fratribus una vice [5]. » Si duodecim illis non credunt, quingentis obaudiant. « Postea visus est Jacobo [6], » fratri quidem suo, primo vero parœciæ [seu civitatis] hujus episcopo. Cum igitur talis episcopus principaliter Christum Jesum resuscitatum viderit, tu qui discipulus ejus es, ne fidem abneges. At dixeris forte Jacobum fratrem ad gratiam testimonium tulisse. « Deinde et mihi Paulo, ini- » mico visus est [7]. » Quodnam autem testimonium ab inimico prædicante sumptum in dubium adducitur? Qui prius persecutor fui, nunc resurrectionem annuntio [8]?

XXII. Multi sunt resurrectionis Salvatoris testes. Nox et plenilunii lumen. Sexta enim decima nox erat. Petra monumenti, quæ Christum recepit, et lapis in faciem Judæorum resistet; ipse enim vidit Dominum, et lapis qui tunc revolutus fuit [9], ipse de resurrectione testatur, usque in præsentem diem jacens. Angeli Dei præsentes [10] testimonium dixere pro Unigeniti resurrectione. Petrus, et Joannes, et Thomas, et cæteri omnes Apostoli : quorum alii quidem ad monumentum cucurrre [11], et linteamina sepulturæ, quibus prius involutus fuerat, ibidem post resurrectionem jacentia viderunt [12] : alii vero manus et pedes ejus

[1] 2 Tim. II, 8. — [2] 1 Cor. XV, 14, 15. — [3] Ibid. 20. — [4] Ibid. 5. — [5] Ibid. 6. — [6] Ibid. 7. — [7] Ibid. 8. — [8] 1 Tim. 6, 13. — [9] Matth. XXVIII, 2. — [10] Luc. XXIV, 4. — [11] Joan. XX, 4. — [12] Ibid. 6, 7.

contrectaverunt, et clavorum vestigia sunt contemplati [1] : omnes vero simul Salvatoris insufflatione sunt perfusi, et condonandorum in virtute Spiritus sancti peccatorum potestate sunt dignati [2]. Mulieres, quæ pedes ejus tenuerunt, terræque motus magnitudinem, et Angeli præsentis fulgorem conspexerunt [3]. Linteamina quoque, quæ sibi circumposita resurgens dereliquit [4]. Milites et numerata iisdem pecunia [5]. Locus ipse adhuc conspicuus; et isthæc Ecclesiæ sanctæ, domus, a felicis recordationis imperatore Constantino ex propenso amore Christi ædificata, utque cernis exornata.

XXIII. Testatur etiam resurrectionem Jesu, quæ in nomine ejus a mortuis excitata est Tabitha [6]. Quî enim resurrectioni Christi derogabitur fides, quando et nomen ejus mortuos suscitavit? Testis est resurrectionis Jesu etiam mare, ut prius audisti; testis et piscium captura, et carbones positi, et obsonium impositum [7]. Testatur et Petrus, qui prius quidem negaverat; tertium vero confessus est postea, et spiritales oves pascere jussus [8]. Stat in hodiernum usque diem [mons] Olivarum, eum qui super nubem conscendit in hodiernum usque diem fidelium oculis tantum non demonstrans, ac cœlestem ascensionis januam [9]. In Bethlehem de cœlis descendit; ex monte Olivarum in cœlos ascendit. Inde ad homines [venit] certamina incepturus : isthic vero ob certamina coronatur. Multos igitur testes habes. Habes hunc ipsum resurrestionis locum. Habes locum ascentionis nobis ad Orientem situm. Testes habes eos, qui ibi testati sunt, Angelos, et nubem quam ascendit, et Discipulos qui inde descederunt [10].

[1] Joan. xx, 27, et Luc. xxiv, 39.— [2] Joan. xx, 22, 23.— [3] Matth. xxviii, 2, 4, 5 et 9. — [4] Joan. xx, 6, 7. — [5] Matth. xxviii, 15. — [6] Act. ix, 40. — [7] Joan. xxi, 6 et 9. — [8] Ibid. 15-17. — [9] Act. i, 9-12. — [10] Ibid. 10-12.

XXVI. Jamvero doctrinæ fidei series, ut et de assumptione diceremus, monebat : sed ita divina gratia disposuit, ut plenissime pro virium nostrarum modulo ea de re hesterno die in dominica audires; cum divinæ gratiæ dispositione lectionum ordo in synaxi, ea, quæ ad Salvatoris nostri in cœlos ascensionem pertinent, complecteretur. Illa vero, quæ diximus, propter omnes sane et propter collectorum fidelium multitudinem, at præcipua ratione propter te disseruimus. Id autem quæritur num dictis attenderis. Nosti enim quod fidei tenor docet te credere in eum, QUI RESURREXIT TERTIA DIE; ET REVECTUS EST IN CŒLOS, ET CONSEDIT A DEXTRIS PATRIS. Maxime igitur existimo te expositionis nostræ recordari. Nihilominus, uti obiter, nunc eorum, quæ dicta sunt, memoriam refricabo. Memor esto ejus quod aperte in Psalmis scriptum est : « Ascendit Deus in jubilatione [1]. » Recordare quod et divinæ Potestates ad se invicem aiebant : « Attollite portas, principes, vestras [2], etc. » In mentem redeat Psalmi dicentis : « Ascendit in altum, captivam duxit » captivitatem [3]. » Memineris Prophetæ aientis : « Qui ædi» ficat in cœlum ascensionem suam [4]; » et reliqua, quæ propter Judæorum contradictiones heri sunt dicta.

XXV. Quando enim Salvatoris ascensioni velut impossibili obnixi fuerint, memineris eorum, quæ de translatione Abbacum dicta sunt. Si enim Abbacum ab Angelo translatus est, per comam sui capitis portatus [5] : multo magis et Prophetarum et Angelorum Dominus, de monte Olivarum nubem conscendens, propria virtute sibi in cœlos aditum parare potuit. Et similia quidem mira in mentem reduc, Domino vero mirabilium effectori singularem excellentiam serva. Illi enim portabantur; iste vero omnia portat [6]. Memineris Enoch translatum esse [7], at Jesum

[1] Psal. XLVI, 6.— [2] Id. XXIII, 7. — [3] Id. LXVII, 19, et Ephes. IV, 8.— [4] Amos IX, 6.— [5] Dan. XIV, 35. — [6] Hebr. I, 3. — [7] Gen. V, 25.

ascendisse. Recordare eorum, quæ de Elia heri dicta sunt. Quod videlicet Elias in igneo quidem curru assumptus sit [1], Christi vero currus fuerit, « Decies millies multipli- » cata laudantium millia [2], » et quod Elias ad orientem Jordanis assumptus sit; cum Christus ad orientem torrentis Cedron ascenderit : quodque ille « Tanquam in cœlum » ascenderit, Jesus vero « In cœlum : » et quod prior ille dixerit « Datum iri in Spiritu sancto suo discipulo du- » plicia [3] : » Christus vero tantam suis Discipulis sancti Spiritus gratiæ participationem concesserit; ut non solum illum haberent in se ipsis, sed et per impositionem manuum suarum communicationem ejus credentibus impertirent [4].

XXVI. Cumque ita adversus Judæos pugnaveris, eosque ex similitudinis debellaveris, tunc ad supereminentem Salvatoris gloriam veni : in eo quod illi quidem servi sint, iste autem Dei Filius. Atque ita eum excellere recordaberis, dum cogitabis Christi servum usque in tertium cœlum raptum esse. Si enim Elias ad primum usque pervenit cœlum, Paulus vero usque ad tertium [5], præstabiliorem utique consecutus est iste dignitatem. Non te tuorum pudeat Apostolorum. Non sunt Moyse deteriores, nec Prophetis inferiores; sed boni sunt cum bonis, et bonis meliores. Nam Elias revera in cœlum assumptus est; at Petrus habet claves regni cœlorum, cum audierit : « Quæcumque solveris » super terram, erunt soluta in cœlis [6]. » Elias in cœlum duntaxat est sublatus; Paulus vero et in cœlum et in paradisum, (Decebat enim Jesu Discipulos multiplicatam gratiam accipere,) audivit ineffabilia verba, quæ non licet homini » loqui [7]. » Descendit autem desursum Paulus, non quod

[1] 4 Reg. II, 11. — [2] Psal. LXVII, 18. — [3] 4 Reg. II, 8-15. — [4] Act. VIII, 17, 18. — [5] 2 Cor. XII, 2. — [6] Matth. XVI, 19. — [7] 2 Cor. XII, 4.

tertii cœli habitatione indignus foret; sed ut perceptis humanam sortem superantibus donis, cumque honoris accessione descendens; cum Christum prædicasset, et mortem pro ipso toleravisset, martyrii quoque coronam assequeretur. Cætera vero hujus argumentationis, heri a me in synaxi dominicæ disputata, præterivi, quod prudentibus auditoribus sola ad doctrinam sufficit recordatio.

XXVII. Memento quoque eorum, quæ de Filii a dextris Patris sessione multoties a me sunt dicta; eo quod fidei consequentia illud habeat : QUI ET ASCENDIT IN COELOS ET CONSEDIT A DEXTRIS PATRIS. Propriam vero hujus sedis rationem ne sollicitius inquiramus, captum enim excedit. Neque perferamus eos, qui perverse asserunt quod post crucem et resurrectionem, et regressum in cœlos, tunc Filius a dextris Patris sedere cœpit. Non enim ex profectu sedem hanc adeptus est : sed ex quo est, (est autem ab æterno genitus,) etiam sedet una cum Patre. Et hunc thronum ante Salvatoris in carne adventum conspicatus Hesaïas propheta, ait : « Vidi Dominum sedentem super » thronum excelsum et elevatum [2], etc. Patrem namque » nemo vidit unquam [3]. » Qui vero tunc Prophetæ conspectus est, Filius erat. Et Psalmidicus ait : « Paratus thronus » tuus ex tunc, a sæculo tu es [4]. » Cum vero multa sint hujus rei [nimirum æternam eam sedem esse] testimonia, hæc propter provectiorem horam adduxisse sufficiat.

XXVIII. Nunc autem vobis in memoriam reducenda sunt pauca de multis, quæ dicta sunt [in Scripturis] de hoc argumento quod a dextris Patris Filius sedeat. Centesimus enim nonus Psalmus aperte dicit : « Dixit Dominus » Domino meo : Sede a dextris meis, donec posuerim ini» micos tuos scabellum pedum tuorum [5]. » Dictum hoc in

[1] Paulianistæ. — [2] Isaï. VI, 1. — [3] Joan. I, 18, et I Tim. VI, 16. — [4] Psal. XCII, 2. — [5] Id. CIX, 1.

Evangeliis confirmans Salvator, ait Davidem hæc non a se ipso, sed ex divini Spiritus inspiratione dixisse, his verbis, « Quomodo ergo David in Spiritu Dominum eum vocat, » dicens : Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris » meis [1], » et quæ sequuntur? Et in Actibus Apostolorum in die Pentecostes, stans Petrus cum undecim et ad Israëlitas disserens [2], hujus ex centesimo-nono Psalmo testimonii ipsis verbis meminit.

XXIX. In memoriam quoque reducenda sunt pauca alia ejusmodi testimonia de Filii a dextris Patris consessu. In Evangelio secundum Matthæum scriptum est : « Cæterum » dico vobis, ab hinc videbitis Filium hominis sedentem a » dextris virtutis [3], etc. » His consentanea scribens Petrus apostolus dicit : « Per resurrectionem Jesu Christi, qui » est in dextera Dei, profectus in cœlum [4]. » Paulus vero apostolus ad Romanos scribens ait : « Christus, qui mortuus » est, imo potius qui et resurrexit, qui etiam est in dextera » Dei [5]. » Ad Ephesios vero scribens ita profatur : « Secun- » dum operationem potentiæ fortitudinis ejus, quam exe- » ruit in Christo, suscitans eum a mortuis, et sedere faciens » in dextera sua [6], » et quæ sequuntur. Colossenses autem sic docebat : « Si igitur resurrexistis una cum Christo, su- » pera quærite, ubi Christus est in dextera Patris sedens [7]. » Et in Epistola ad Hebræos ait : « Purgatione peccatorum » facta, consedit in dextera majestatis in excelsis [8]. » Iterumque : « Ad quem vero Angelorum dixit unquam : Sede » a dextris meis, donec posuero inimicos tuos scabellum » pedum tuorum [9]? » Et rursus : « Hic vero una pro omni- » bus oblata victima in perpetuum, consedit in dextera » Dei; id quod superest expectans, donec inimici ejus positi

[1] Matth. XXII, 43. — [2] Act. II, 14 et 34. — [3] Matth. XXVI, 64. — [4] I Petr. III, 21, 22. — [5] Rom. VIII, 34. — [6] Ephes. I, 19, 20. — [7] Coloss. III, 1. — [8] Hebr. I, 3. — [9] Ibid. 13, et Psal. CIX, 1.

» sint scabellum pedum ejus [1]. » Ac denuo : « Aspicientes » in fidei auctorem et consummatorem Jesum; qui in locum propositi sibi gaudii sustinuit crucem, ignominia » contempta ; et in dextera throni Dei consedit [2]. »

XXX. Et cum alia sint permulta de Unigeniti a dextris Dei sede testimonia, ista nobis sufficiant in præsenti ; eamdem iterum admonitionem repetentibus, quod non post suum in carne adventum hanc sedis consecutus sit prærogativam ; sed et ante omnia sæcula unigenitus Dei filius, Dominus vero noster Jesus Christus, hunc in dextera Patris ab æterno obtinet thronum. Ipse vero omnium Deus Christi pater, et Dominus noster Jesus Christus, qui « Des- » cendit et ascendit [3], » et una cum Patre sedet, custodiat animas vestras : inconcussam immutabilemque vestram in eum, qui resurrexit, spem conservet : simul exsuscitet vos ex mortuis peccatis vestris ad donum suum cœleste : dignos vos efficiat, qui rapiamini in nubibus in occursum Domini in aëra [4], in tempore opportuno : et donec tempus illud adveniat gloriosi ejus adventus secundi, inscribat omnium vestrum nomina in libro viventium ; inscriptaque semel nunquam deleat. Multorum enim, qui excidunt delentur nomina [5]. Præstet autem omnibus vobis credere in eum, qui resurrexit ; eumdem vero expectare qui descendit et iterum veniet. (Veniet autem non e terra ; te ipsum enim præmuni, o homo, propter venturos impostores.) Qui in superis sedet, et nobis hic una præsens adest, uniuscujusque compositionem et fidei firmitatem contuetur [6]. Quod enim carne nunc abest, ne idcirco judices etiam abesse Spiritu. Medius hic adest [7], audiens, quæ de se dicuntur, et quæ apud te cogitas videns; scrutans renes et

[1] Hebr. x, 12 juxta Græcum, et 13 juxta Vulgatam. — [2] Hebr. xii, 2. — [3] Ephes. iv, 10. — [4] 1 Thess. iv, 16. — [5] Psal. lxviii, 29, et Apoc. iii, 5. — [6] Coloss. ii, 5. — [7] Joan. i, 26.

corda [1]. Qui nunc quoque paratus est accedentes ad baptisma et vos omnes in Spiritu sancto repræsentare Patri et dicere : « Ecce ego et pueri quos dedit mihi Deus [2]. » Cui gloria in sæcula. Amen.

[1] Psal. VII, 10, et Apoc. II, 23. — [2] Isaï. VIII, 18.

CATECHESIS XV.

ILLUMINANDORUM,

Hierosolymis ex tempore perorata, in illud : Et venturum in gloria judicare vivos et mortuos : cujus regni non erit finis : *ac de Antichristo. Et lectio ex Daniele* : Aspiciebam donec throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit[1]. *Et in sequentibus:* Aspiciebam in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniens [2], *et quæ sequuntur.*

ARGUMENTUM.

I. *Omnia fere apud Christum duplicia. — Duplex Christi adventus.* II. *Utriusque adventus testimonia.* III. *Futura mundi innovatio.* IV. *Tempus nemo curiose inquirat. — Signa occasus mundi prænuntia.* V. *Signum primum, impostores Christi nomen sibi usurpantes.* VI. *Signum secundum, bella diversa.—Eo tempore bellum in Mesopotamia Romanorum contra Persas.* VII. *Signum tertium, Ecclesiæ discidia.* VIII. *Signum quartum, prædicatio Evangelii per totum orbem.* IX. *Signum quintum, abominatio desolationis, hoc est, Antichristus, et defectio præcedens. — Defectio a fide in duabus oppositis Sabellianorum et Arianorum hæresibus. — Ecclesia illo tempore occultis hæreticis plena.* X. *Christus non e terra, sed e cœlis venturus.* XI. *Diabolus utriusque Christi adventus*

[1] Dan, VII, 9. — [2] Ibid. 13.

fidem in antecessum corrupit. — Antichristus magus romanum imperium invadet. — Judæos Christi nomine gentiles magicis præstigiis seducet. XII. *Quandonam venturus Antichristus? — Ejus expeditiones. — Clementiam primum simulabit, tum dire sæviet. — Tres tantum annos et dimidium valebit.* XIII. *Superiorum probatio ex Daniele.* XIV. *Satanas Antichristo uti instrumento utens, in propria persona per ipsum operabitur. — Miracula Antichristi falsa.* XV. *Templi judaïci se studiosum et zelatorem præferet. — Antichristus venturus post integram templi judaïci ruinam.* XVI. *Firmitatis suæ conscii contra Antichristum perstent, timidi fugiant.* XVII. *Martyres sub Antichristo, omnibus martyribus præferendi.— Deus permittit Antichristum, persecutores Ecclesiæ valere, ad condemnationem infidelium, et fidelium exercitationem.* XVIII. *Alios de Antichristo præmunire debemus. — Filii per catechesim.* XIX. *De adventu Christi in gloria.* XX. *De eodem argumento.* XXI. *De eodem argumento.* XXII. *Signum Christi venientis, crux lucida. — Angelica tuba congregabuntur electi e quavis conditione, et loco.* — XXIII. *Descripta sunt in divinis Libris omnia nostra, sive bona, sive mala.* — XXIV. *De verbis Symboli :* Judicare vivos et mortuos. — *Tanto major Angelorum et numerus, quanto cœlum terra capacius. — Grande supplicium testibus Angelis et hominibus omnibus condemnari.* XXV. *Nihil fugiet Judicem. — Resurgemus propriis amicti operibus. — Unusquisque ex operum specie agnoscetur.* XXVI. *Qua ratione pœnas judicii effugiemus.* XXVII. *De verbis :* Cujus regni non erit finis. XXIX. *Objectiones Galatarum refelluntur. Prima objectio.* XXX. *Secunda objectio. — Quomodo Christus subjicietur Patri.* XXXI. *Voces* quousque *et* donec, *non semper definitum quoddam tempus significant.* XXXII. *Velamen Ju-*

dæorum cordi in lectione Moysis impositum usque ad sæculi consummationem.

I. Christi adventum annuntiamus[1] non unum duntaxat, sed et alterum priore multo speciosiorem. Ille enim patientiæ significationem prætulit; iste vero divini regni diadema feret. Nam ut plurimum duplicia sunt omnia apud Dominum nostrum Jesum Christum. Duplex nativitas, altera ex Deo ante sæcula, altera ex virgine in consummatione sæculorum : duplex descensus, unus obscurus, qui tanquam [pluviæ] in vellus [2], alter vero conspicuus, nimirum futurus. In primo adventu fasciis involutus est in præsepio [3]: in secundo amicitur lumine quasi vestimento[4]. In priori sustinuit crucem [5], ignominiam aspernatus : in altero veniet Angelorum exercitu stipatus, glorificatus [6]. Non igitur in primo tantum adventu acquiescimus, sed et secundum expectamus. Cumque in priore dixerimus : « Benedictus qui venit in nomine Domini [7], » idem rursum dicemus in posteriori [8] : ut cum Angelis occurrentes Domino [9], adorantes clamemus : « Benedictus qui venit in nomine Domini. » Veniet Salvator, non ut iterum judicetur, sed ut in jus vocet eos, a quibus in judicium est vocatus. Qui prius cum judicaretur tacuit [10], consceleratis, qui immania in illum, quando in crucem egere, ausi sunt, in memoriam revocans dicet : « Hæc fecisti et tacui [11]. » Tunc, piæ dispensationis causa, homines leni persuasione docens venit : eo vero tempore, velint nolint, regno illius necessario subjicientur.

II. De utroque illo adventu loquitur Malachias propheta :

[1] Vide D. Guillon, tom. VIII, pag. 407-408. — [2] Psal. LXXI, 6. — [3] Luc II, 7. — [4] Psal. CIII, 2. — [5] Hebr. XII, 2. — [6] Matth. XXV, 31. — [7] Id. XXI, 9. — [8] Id. XXXIII, 39. — [9] 1 Thess. IV, 16. — [10] Matth. XXVI, 62, et XXVII, 12. — [11] Psal. XLIX, 21.

« Et statim veniet ad templum suum Dominus, quem vos » quæritis [1]. » Ecce unus adventus. Et rursus de altero ita infit : « Et Angelus Testamenti quem vos quæritis. Ecce » venit Dominus omnipotens : et quis sustinebit diem in- » gressus ejus, aut quis subsistet in visione ejus? eo quod » ipse accedit tanquam ignis conflatorii, tanquam herba » lavantûm : et sedebit conflans et emundans [2]. » Et in consequentibus mox ipse Salvator ait : « Et accedam ad » vos in judicio, et ero testis velox in veneficos, et in adul- » teras, et in eos, qui jurant nomine meo super menda- » cium [3], etc. » Propterea cautiores nos facere volens Paulus ait : « Si quis super ædificat super hoc fundamentum, au- » rum et argentum et lapides pretiosos ; ligna, fœnum, sti- » pulam : uniuscujusque opus manifestum efficietur ; dies » enim declarabit, quoniam in igne retegetur [4]. » Jamvero duos quoque illos adventus significat Paulus ad Titum scribens his verbis : « Apparuit gratia Dei Salvatoris omnibus » hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et » mundana desideria, temperanter et pie et juste vivamus » in præsenti sæculo ; expectantes beatam spem, et appa- » ritionem gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Chris- » ti [5]. » Vides-ne quomodo primum expressit [adventum,] de quo gratias agit ; alterum vero, quem expectamus. Propterea fidei, quam profitemur, tenor nunc ita est traditus, ut credamus in eum, QUI ET ASCENDIT IN COELOS, ET CONSEDIT A DEXTRIS PATRIS. ET VENTURUS EST IN GLORIA JUDICARE VIVOS ET MORTUOS ; CUJUS REGNI NON ERIT FINIS.

III. Veniet igitur Dominus noster Jesus Christus e cœlis. Veniet vero circa finem mundi hujus cum gloria in postrema die. Fiet enim mundi hujus consummatio, et factus

[1] Malach. III, 1. — [2] Ibid. 2, 3. — [3] Ibid. 5. — [4] 1 Cor. III, 12, 13. — [5] Tit. II, 11-13.

iste mundus rursum renovabitur. Quoniam enim corruptio, et furtum et adulterium, et omne peccatorum genus effusum est super terram [1], et cruores super cruores admixti in mundo : ut ne admirabile domicilium istud iniquitate oppletum remaneat, pertransibit hic mundus, ut qui sit pulchrior excitetur. Vis rei hujus ex sacris dictis demonstrationem accipere? Audi Hesaïam prophetam : « Et convolvetur sicut liber cœlum, et omnia sidera cadent sicut folia de vinea, et sicut cadunt folia de ficu [2]. » Et Evangelium ait : « Sol obscurabitur, et luna non dabit splendorem suum, et astra cadent e cœlo [3]. » Ne mœsti simus perinde quasi soli moriamur; nam et sidera moriuntur, verum fortassis iterum resurgent. Convolvet cœlos Dominus, non ut iis afferat interitum, sed ut rursus excitet pulchriores. Audi Davidem prophetam aientem : « In principiis tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes [4]. » Sed dicet aliquis : « Ecce aperte pronuntiat, quod « Peribunt. » Audi quomodo dicat : « Peribunt. » Ex consequentibus planum est : « Et omnes sicut vestimentum veterascent; et sicut amictum circumvolves eos, et immutabuntur [5]. » Sicut enim perire homo dicitur, juxta eam sententiam, « Videte quomodo justus periit, et nemo excipit corde [6]; » quamvis resurrectio expectetur : ita cœlorum quoque veluti resurrectionem opperimur. « Sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem [7]. » Erudiantur qui ex Manichæis conversi sunt, nec amplius luminaria Divinitate donent : neque solem istum olim obscurandum Christum esse impie existiment. Rursum audi Dominum dicentem : « Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt [8] : »

[1] Osee IV, 2. — [2] Isaï. XXXIV, 4. — [3] Matth. XXIV, 29. — [4] Psal. CI, 26, 27. — [5] Ibid. 27, 28. — [6] Isaï. LVII, 1. — [7] Joël. II, 32. Act. II, 20, et Rom. X, 13. — [8] Matth. XXIV, 35.

non enim pretii ac sortis ejusdem cum verbis Domini sunt creaturæ.

IV. Transibunt igitur visibilia, et venient quæ expectantur istis pulchriora : sed tempus nemo curiose inquirat. « Non enim, inquit, vestrum est nosse tempora, vel articulos temporum, quos Pater constituit in propria potestate[1]. » Neque audeas definire quando hæc fient, neque iterum supine obdormias. « Vigilate enim, ait, quia hora, » qua non expectatis, Filius hominis veniet[2]. » Verum, quoniam expediebat nos signa consummationis perspecta habere, et quoniam a nobis expectatur Christus : ne decepti moreremur, et a mendaci Antichristo in errorem abduceremur; divino nutu moti, sapienti Dei consilio Apostoli ad verum Magistrum accedunt, et aiunt : « Dic nobis quando » hæc erunt, et quod signum adventus tui, et consummationis sæculi[3]. » Expectamus te secundo venturum; sed Satanas transfiguratur in Angelum lucis[4]. Nos igitur tutos redde, ut non alium tui loco adoremus. Ille autem divinum beatumque suum os aperiens, ait : « Videte ne quis vos seducat[5]. » Vos quoque auditores, illum nunc oculis mentis tanquam intuentes, eadem vobis quoque dicentem audi tote : « Videte ne quis vos seducat. » Qui sermo vos omnes admonet ut iis, quæ dicenda sunt animum advertatis. Non enim præteritarum rerum historia est; sed futurarum, et certo futurarum prophetia. Non prophetantibus nobis, indigni enim sumus; sed proferentibus in medium, quæ scripta sunt, et signa declarantibus. Tu vide apud te quænam ex illis jam contigerint, quænam vero adhuc eventura restent, teque præmuni.

V. « Videte ne quis vos seducat : multi enim venient in » nomine meo, dicentes : Ego sum Christus, et multos se-

[1] Act. I, 7. — [2] Matth. XXIV, 42-44. — [3] Ibid. 3. — [4] 2 Cor. XI, 14. — [5] Matth. XXIV, 4.

» ducent [1]. » Hæc facta sunt ex parte. Jam enim hoc dixit Simon magus, et Menander, et alii quidam ex Dei hostibus hæresum principibus. Dicent vero idem et nostris temporibus, et post nos, alii.

VI. Signum secundum : « Audituri autem estis bella et » rumores bellorum [2]. » Est-ne igitur in præsenti tempore Persarum contra Romanos circa Mesopotamiam bellum, annon? Consurgit gens contra gentem, et regnum adversus regnum, nec-ne? « Et erunt fames, et pestilentiæ, et terræ » motus per loca [3]. » Hæc jam facta sunt. Et iterum : « Ter- » riculamentaque de cœlo, et magnæ tempestates [4]. Vigi- » late igitur, ait, quia nescitis qua die Dominus noster » veniet [5]. »

VII. Sed adventus Domini quærimus signum nobis proprium : ecclesiasticum [hoc est Ecclesiæ proprium] quærimus nos ecclesiastici viri. Salvator vero dicit : « Et tunc » scandalum patientur multi, et alius alium invicem tradent, » seseque odio habebunt [6]. » Si audieris quod episcopi adversum episcopos, et clerici contra clericos, et populi in populos ad sanguinem usque grassantur, ne perturberis; prædictum enim ante fuit in Scripturis. Ne his, quæ nunc fiunt, sed his, quæ scripta sunt, attende. Neque etiam si ego, qui te doceo, peream, tu una mecum pereas. Sed fas est auditorem magistro meliorem fieri, et eum, qui novissimus venit, priorem effici [7]. Quandoquidem et eos, qui circa undecimam horam veniunt, recipit Dominus [8]. » Si in Apostolis inventa est proditio, miraris si in episcopis quoque fraternum odium reperiatur? Sed signum hoc non ad principes tantum, verumetiam ad populos pertinet. Ait enim : « Et propter multiplicationem iniquitatis, refriges-

[1] Matth. xxiv, 4, 5. — [2] Ibid. 6, 7. — [3] Ibid. — [4] Luc. xxi, 11. — [5] Matth. xxiv, 42. — [6] Ibid. 10. — [7] Id. x, 16. — [8] Ibid. 6 et 9.

» cet multorum charitas[1]. » Præsentium-ne quisquam, se sinceram et absque simulatione adversus proximum amicitiam habere gloriaturus est? Nonne persæpe et labia osculantur, et vultus arridet, et hilares sunt oculi; cum pectus machinatur dolum, et struit mala qui pacifica loquitur[2]?

VIII. Habes quoque et hoc signum: « Et prædicabitur » Evangelium hoc regni in toto orbe in testimonium omnibus gentibus; et tunc finis adveniet[3]. » Et fere, ut videmus, universus mundus doctrina de Christo oppletus est.

IX. Et quid postea fiet? Dicit in consequentibus: « Quando » igitur videritis abominationem desolationis, quæ dicta » est a Daniele propheta, stantem in loco sancto; qui legit » intelligat[4]. » Et rursus, « Tunc si quis vobis dixerit: Ecce » hic est Christus, aut, Ecce illic, ne credatis[5]. » Fraternum odium Antichristo dat deinceps locum. Præparat enim diabolus scissuras populorum ut ipse cum venerit favorabilius recipiatur. Absit vero ut quisquam eorum, qui hic adsunt, vel quicumque sunt alibi, Christi servorum, ad hostem accurrat. De hoc scribens apostolus Paulus perspicuum signum dedit, dicens: « Quoniam nisi venerit prius » defectio, et revelatus fuerit homo peccati, ille filius per» ditionis, qui adversarius est, et extollitur adversus omnem » qui dicitur Deus aut numen; adeo ut in templo Dei sedeat, » ostentans et jactans se ipsum esse Deum. Non meminis» tis quod, cum adhuc essem apud vos, hæc dixerim vobis? » Et nunc quid detineat, scitis, ut reveletur in suo tem» pore. Nam mysterium jam agitur iniquitatis. Tantum qui » tenet in præsentia, [teneat], donec de medio tollatur. » Et tunc patefiet ille iniquus, quem Dominus conficiet » spiritu oris sui, et abolebit claritate adventus sui. Cujus » est adventus secundum operationem Satanæ, in omni po-

[1] Matth. XXIV, 12. — [2] Psal. XXVII, 3. — [3] Matth. XXIV, 14. — [4] Ibid. 15. — [5] Ibid. 23.

»tentia et signis et prodigiis mendacii, et cum omni de»ceptione injustitiæ iis, qui pereunt[1]. »Hæc quidem Paulus. Nunc vero defectio est : defecerunt enim homines a recta fide. Et alii quidem Filio-paternitatem prædicant; alii vero Christum ex non extantibus ad esse perductum dicere audent. Et prius quidem conspicui erant hæretici; nunc autem occultis hæreticis repleta est Ecclesia. Defecerunt enim homines a veritate, et pruriunt auribus[2]. Sermo [ad persuadendum artificiose compositus agitur?] omnes suaviter audiunt : sermo ad animi conversionem comparatus? omnes avertuntur. Defecerunt plurimi a rectis doctrinis, et malum propensius eligunt, quam se applicent bono. Hæc igitur « Defectio est, » et expectandus jam inimicus. Et jam ex parte præcursores suos mittere occœpit, ut ipse ad prædam paratus subsequatur. Tibi igitur provide, o homo, et animam securam redde. Testificatur nunc tibi Ecclesia in præsentia Dei viventis[3]; et quæ Antichristum spectant, prænuntiat tibi antequam adveniant. Eaque sive tuo tempore futura sint nescimus, sive posterius, nescimus : optimum tamen est te horum gnarum præmuniri.

X. Christus verus, unigenitus Dei Filius non amplius de terra venturus est. Si quis venerit in desertis fictas species obtendens, ne exeas[4]. « Si dixerint : Ecce hic Christus, »ecce illic, ne credideris[5]. » Ne in posterum ad terram atque ima respice, e cœlis enim descendet Dominus : non solus sicut antea, sed multo comitatu, innumerabilium Angelorum satellitio stipatus[6] : neque abscondite « Sicut »pluvia in vellus[7], » sed ut fulgur, conspicue collucens[8]. Ipse enim dixit : « Sicut fulgur exit ab Oriente, et conspi»citur usque ad Occidentem, ita erit et adventus Filii ho-

[1] 2 Thess. II, 3-10. — [2] 2 Tim. IV, 3, 4. — [3] Ibid. I. — [4] Matth. XXIV, 26. — [5] Marc. XIII, 21. — [6] Act. I, 11, et Judæ 14. — [7] Psal. LXXI, 6. — [8] Luc. XVII, 24.

» minis. » Et iterum : « Et videbunt Filium hominis venien- » tem super nubes cœli, cum potestate et gloria multa. » Et mittet Angelos suos cum tuba magna [1], » et quæ sequuntur.

XI. Sed quemadmodum ante, cum ipse hominem suscepturus foret, expectareturque Deus e virgine nasciturus ; rem eam diabolus in antecessum calumniæ subjecerat, callida arte apud idolorum cultores falsorum deorum, generantium et ex mulieribus genitorum fabulas inveniendo; ut cum falsitas præoccupasset, jam, ut existimabat, nec veritas reperiret fidem : sic cum verus Christus secundo venturus erit, simplicium, et circumcisorum præsertim, expectationem Adversarius in occasionem sumens, producet quemdam hominem magum, ac fallacis veneficiorum incantationumque perversæ artis peritissimum ; qui et romani imperii dominationem usurpabit, et falso se Christum appellaturus est, et per hanc Christi appellationem Judæos, qui Unctum [sive Messiam ac Christum] expectant, decipiet, Gentilesque magicis præstigiis ac dolis pertrahet.

XII. Veniet porro præfatus iste Antichristus, cum romani imperii completa fuerint tempora, jamjamque mundi finis proximus erit. Decem simul Romanorum reges exurgent, in diversis forte locis, uno tamen eodemque tempore regnantes. Post hos vero undecimus erit Antichristus, magicæ artis adminiculo romanum imperium usurpans. Tres eorum, qui ante se regnaverint, « Humiliabit, » septem vero reliquos suæ ditioni subjectos habens [2]. Ac primum quidem veluti eruditus ac prudens quispiam clementiam, temperantiam, humanitatemque simulabit : at Judæis per signa, falsaque ex magicis fraudibus prodigia, quasi ille expectatus Christus esset, deceptis ; omnibus deinceps

[1] Matth. xxiv, 27-31. — [2] Dan. vii, 24.

crudelitatis et sceleris inscribetur notis, ita ut omnes injustos et impios qui ipsum præcessere, improbitate superet: sanguinarium, præfractæ duritiæ, immisericordem et versipellem[1], cum adversus omnes, tum vero maxime contra nos Christianos, animum gerens. Postquam vero tres annos et menses sex duntaxat talia designaverit, ab secundo unigeniti Filii Dei Domini et Salvatoris nostri Jesu, veri Christi, glorioso de cœlis adventu abolebitur : qui spiritu oris sui Antichristum interficiens[2], illum igni tradet sempiterno.

XIII. Hæc autem docemus, non comminiscentes, sed ex divinis, quas legit Ecclesia, Scripturis, et maxime ex recens lecta Danielis prophetia, edocti : sicut et Gabriel archangelus interpretatus est his verbis : « Quarta bestia, quartum erit regnum in terra, quod omnia regna superemi- nebit[3]. » Hoc autem Romanum esse ecclesiastici auctores tradiderunt. Cum enim primum quod illustre fuerit, sit Assyriorum imperium : alterum, Medorum simul et Persarum, et tertium post hæc, Macedonum; quartum imperium est præsens Romanorum. Tum in consequentibus Gabriel interpretando ait : « Decem cornua ipsius, decem reges exurgent; et post ipsos exurget rex alter, qui omnes se anteriores malis superabit[4] : » non solum illos decem dicit, sed et omnes quotquot præcessere. « Et tres reges humiliabit[5]; » ex illis decem prioribus, ut planum est. Ex illis vero decem tres humilians, prorsus ipse octavus regnabit[6]. «Et verba, inquit, contra Altissimum loquetur[7] : » blasphemus vir et legum contemptor, qui non a patribus regnum acceperit, sed magicis artibus principatum rapuerit.

[1] Dan. VIII, 24. — [2] 2 Thess. II, 8. — [3] Cat. IV, 35. — [4] Dan. VII, 23. — [5] Ibid. 24. — [6] Ibid. — [7] Apoc. XVII, 11. — [8] Dan. VII, 25.

XIV. Quis autem iste est, aut cujusmodi ad operationem pertinet? interpres esto Paule. « Cujus est, inquit, » adventus secundum operationem Satanæ, in omni potes- » tate et signis et prodigiis mendacii[1], » hoc innuens Satanam eo tanquam instrumento usurum, in propria persona per ipsum operantem. Gnarus enim nullam de cætero moram suo judicio fore, jam non per ministros suos ex more, sed per se ipsum deinceps apertius bellum geret. « In om- » nibus vero signis et prodigiis mendacii. » Qui enim mendacii pater est[2], mendacii opera fictis speciebus ostentabit; ita ut plebes resuscitatum mortuum se videre putent, qui tamen non resuscitetur; et claudos ambulantes, et cæcos visum recipientes, cum nulla hujusmodi fiat sanatio.

XV. Rursumque ait : « Qui adversatur, et extollitur » super omnem qui dicitur Deus aut Numen : » (Supra omnem Deum : idola quippe odio habiturus est Antichristus.) « Ita ut ipse in templo Dei sedeat[3]. » Quale autem templum? Eversum intelligit illud Judæorum; absit enim, ut istud in quo sumus dicat. Cur autem hoc dicimus? ne nobis ipsis gratificari videamur. Si enim ad Judæos tanquam Christus venturus est, et a Judæis adorari volet; ut ipsos magis decipiat, templi studium maximum ostentabit; suspicionem spargens se eum esse ex genere Davidis, qui templum a Salomone constructum reparaturus sit. Veniet autem Antichristus tunc, cum in templo Judæorum lapis super lapidem non manebit[4], juxta Salvatoris denuntiationem. Quando enim vel vetustate collapsi, vel ædificationis prætextu dejecti, vel quamcumque ob aliam causam eversi fuerint lapides omnes : non exterioris dico ambitus, sed interioris ædis ubi Cherubim erant; tunc veniet ille « In » omnibus signis et portentis mendacii[5]; » adversus idola

[1] 2 Thess. II, 9.— [2] Joan. VIII, 44.— [3] 2 Thess. II, 4.— [4] Matth. XXIV, 2. — [5] 2 Thess. II, 9.

omnia se efferens : et initiis quidem humanitatem simulans, postea vero feritatem maxime adversum Sanctos Dei demonstrans. Dicit enim [Daniel :] « Videbam, et cornu » illud bellum gerebat cum Sanctis [1]. » Et rursus alio in loco : « Erit tempus afflictionis : afflictio qualis non fuit ex » quo gens extitit super terram, usque ad tempus illud [2]. » Terribilis est fera, draco magnus hominibus insuperabilis, paratus ad devorandum. De quo tametsi plura ex divinis Scripturis dicenda habeamus, modum tamen tenentes his interim contenti erimus.

XVI. Idcirco adversarii hujus vim pernoscens Dominus, piis veniam concedit aiens : « Tunc qui in Judæa erunt, » fugiant in montes [3]. » Si quis vero sibi firmitatis maximæ conscius sit, ut adversus Satanam repugnet, persistat; (non enim robur et nervos Ecclesiæ desperatos habeo,) et dicat : « Quis nos separabit a charitate Christi [4] ? etc. » Verum qui timidi sumus, nos in tuto ponamus; qui vero fiduciæ pleni, ad pugnam perstemus. « Erit enim tunc afflictio magna, » qualis non fuit ab initio creaturæ usque ad hoc tempus, » neque deinceps erit [5]. » Attamen Deo sit gratia, qui afflictionis magnitudinem paucis diebus circumscripsit. Dicit enim : « Sed propter electos decurtabuntur dies illi [6]. » Regnabit vero Antichristus tres annos et dimidium duntaxat. Quod non ex apocryphis dicimus, sed ex Daniele. Ait namque : « Et dabitur in manu ejus usque ad tempus, » et tempora, et dimidium temporis [7]. Tempus » est annus unus, in quo sensim augmentum capiet ejus adventus : « Tempora » vero, duo reliqui impietatis anni; quæ in summam collecta annos tres conficiunt : et « Dimidium tempo- » ris, » sunt sex menses. Iterumque alibi hoc ipsum ait Daniel : « Et juravit per viventem in sæculum, quod in tempus,

[1] Dan. VII, 21. — [2] Id. XII, 1. — [3] Matth. XXIV, 16. — [4] Rom. VIII, 35. — [5] Matth. XXIV, 21. — [6] Ibid. 22. — [7] Dan. VIII, 25.

» et tempora, et dimidium temporis[1]. » Fortassis etiam nonnulli in hanc sententiam interpretati sunt quod sequitur : « Dies mille ducenti nonaginta, » et hoc quoque : « Beatus qui sustinet, et pervenit in dies mille trecentos » triginta-quinque[2]. » Propter, hoc occultari oportet et fugere : fortassis enim non absolvemus civitates Israël, donec veniat Filius hominis[3].

XVII. Quisnam ille beatus, qui pro Christo tunc cum pietate martyrium perferet? Ego enim super omnes martyres, illius temporis martyres esse dixerim. Qui enim ante hæc tempora fuere, cum solis hominibus luctati sunt. Qui vero sub Antichristo, cum Satana ipso in propria persona congredientur. Et illi quidem reges, qui prius persecutionem exercuere, solummodo neci dabant; mortuos vero se suscitare non simulabant, neque signorum ac portentorum species ostentabant. Hic autem conjuncta cum terroris tum deceptionis prava incitatio; « Ita ut seducerentur, si fieri posset, etiam electi[4]. » Ne quando cuiquam eorum, qui tunc erunt, ista succurrat cogitatio : quid amplius fecit Christus? qua enim virtute iste hæc operatur? certe nisi Deus voluisset, non permisisset. Cautum te facit, et prædicit Apostolus. « Et propterea mittet eis Deus operationem erroris[5] : (illud autem, « Mittet, » pro, fieri concedet, positum est.) Non, ut excusentur, sed : « Ut condemnentur. » Quare? « Qui non crediderunt veritati, hoc » est vero Christo; sed approbaverunt injustitiam[6], » hoc est Antichristum. Permittit vero ista Deus cum in persecutionibus, quæ diversis temporibus exurgunt, tum illo tempore, non quod prohibere non possit; sed per patientiam pro more suo proprios pugiles coronare volens, eodem quo suos Prophetas et Apostolos modo : ut post modici

[1] Dan. XII, 7.— [2] Ibid. 1, et 11, 12. — [3] Matth. X, 23. — [4] Id. XXIV, 24. — [5] 2 Thess. II, 10, 11. — [6] Ibid.

temporis laborem, æternum cœlorum regnum hæreditarium possideant; sicut Daniel ait : « Et in tempore illo salvus fiet populus tuus omnis, qui descriptus est in libro. » (Manifestum est vero eum de libro vitæ dicere :) « Et multi eorum qui in aggere terræ dormiunt, excitabuntur; hi quidem in vitam æternam, isti autem in opprobrium et ignominiam sempiternam. Et qui intelligentes fuere, fulgebunt sicut splendor firmamenti; et a justis multis tanquam stellæ in sæcula et amplius [1]. »

XVIII. Te ipsum igitur præmuni, o homo; habes signa Antichristi; neque solus ea recordare, sed et omnibus absque invidia communica [2]. Si filium secundum carnem habes, illum jam instrue et mone; et si quemquam per catechesim genuisti, hunc quoque cautum redde, ne falsum [Christum] sicuti verum recipiat. « Jam enim mysterium perficitur iniquitatis [3]. » Terrent me bella nationum; terrent ecclesiarum scissiones; terret mutuum fratrum odium, et hæc quidem dicantur tantum, absit vero ut nostris temporibus compleantur; cauti tamen interim fiamus. Atque hactenus de Antichristo.

XIX. Suscipiamus vero et expectemus Dominum de cœlis in nubibus venturum. Tubæ angelicæ tunc insonabunt. Qui mortui erunt in Christo primum resurgent; pii qui vivent in nubibus rapientur; hoc laborum præmium recepturi, ut humana sorte sublimius honorentur, quoniam supra vires humanas decertarunt. Quemadmodum Paulus apostolus scribens ait : « Quoniam ipse Dominus in jussu, in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo; et mortui in Christo resurgent primum; deinde, nos qui vivemus, qui reliqui erimus, simul cum ipsis rapiemur in nubibus in occursum Domini in aëra, atque ita semper cum Domino erimus [4]. »

[1] Dan. XII, 1-3.— [2] Sap. VII, 13.— [3] 2 Thess. II, 7.— [4] 1 Thess. IV, 15-16.

XX. Vidit hunc Domini adventum et mundi consummationem Ecclesiastes dicens : « Lætare juvenis ex juven- » tute tua ; » et in sequentibus : « Et repelle iram a corde » tuo, et remove pravitatem a carne tua, et memento creatoris tui ; quandiu non venerint dies maligni ; quandiu non » obscuratus fuerit sol, et lumen, et luna, et stellæ ; et ca- » ligine involutæ quæ vident in foraminibus [1]. » Cernendi in nobis facultatem significans. « Quandiu non eversus fuerit » funiculus ex argento [2] : » astrorum complexum dicit ; horum enim conspectus argento similis : « Et contritum » anthemium auri, » his verbis solem, cujus aurea species, indicans. Anthemis enim nota herba est, multos habens in ambitu, radiorum ad instar, foliorum surculos : « Et » resurgent ad vocem passeris, et quidem de excelso vide- » bunt ; et terrores in via [3]. » Quid videbunt ? « Tunc » videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, et » lamentabuntur tribus contra tribus [4]. » Quid vero fit veniente Domino ? « Florebit amygdalus, et crassescet locusta, » et dissipabitur capparis [5]. » Quemadmodum vero interpretes aiunt, amygdalus florens præteritam hyemem designat. Futurum est autem ut illo tempore post hyemem corpora nostra cœlesti flore florescant. « Et crassescet locusta ; » pennigera nimirum anima corpore se induens. « Et dissipabitur capparis ; » hoc est iniqui spinis similes dispergentur.

XXI. Vides quî omnes Domini adventum prænuntiant. Cernis quomodo norunt vocem passeris. Qualem vocem, videamus. « Quoniam ipse Dominus in jussione, in voce » Archangeli, et in tuba Dei descendit de cœlo [6]. » Archangelus proclamabit, et dicet omnibus : « Surgite in occur- » sum Domini [7]. « Terribilisque est descensio Domini [8].

[1] Eccl. xi, 9, 10, et xii, 1-3. *Id est*, pupillæ oculorum. — [2] Eccl. xii, 6.— [3] Ibib. 4, 5.— [4] Matth. xxiv, 30. Zach. xii, 12. — [5] Eccl. xii, 5.— [6] 1 Thess. iv, 15.— [7] Matth. xxv, 6, 7.— [8] Ephes. v, 14.

David ait : « Deus manifeste veniet : Deus noster, et non silebit. Ignis in conspectu ejus ardebit ; et in circuitu ejus procella vehemens [1], etc. » Veniet ad Patrem, juxta Scripturam, quæ modo lecta est, Filius hominis in nubibus cœli : « fluvio igneo, » quo probantur homines, « tractim decurrente [2]. » Si quis aurea habeat opera, illustrior fiet [3]. Si quis stipulæ similem ac soliditate destitutam operationem habuerit, ab igne comburetur. « Et Pater sedet vestimentum suum habens nivis instar candidum, et capillos capitis instar lanæ mundæ [4]. » Hæc porro humano more sunt dicta : Quam vero ob causam ? quia rex est eorum qui peccatis coinquinati non fuere. « Dealbabo enim, inquit, peccata vestra sicut nivem et sicut lanam [5] : » quod est vel condonatorum vel non admissorum peccatorum signum. Veniet autem de cœlis Dominus in nubibus, qui in nubibus ascendit [6] ; ipse enim dixit : « Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute et gloria multa [7]. »

XXII. Sed quodnam est ejus adventus signum, ne forte [illum] audeat contraria potestas imitari ? « Et tunc, inquit, apparebit signum Filii hominis in cœlo [8]. » Signum autem verum et Christi proprium crux est. Lucidæ crucis signum Regem præcedit, demonstrans eum, qui prius crucifixus fuit ; ut videntes qui eum ante pupugerunt et insidiis circumvenere Judæi, deplorent tribus contra tribus dicentes : « Hic est qui alapis cæsus est ; hic est cujus vultum illi conspuere : hic est quem vinculis circumdedere ; hic est quem crucifixum prius contemptui habuere [9]. Quonam, inquient, fugiemus a facie iræ tuæ [10] ? Angelicis vero exercitibus cincti nusquam sane fugere poterunt [11]. Signum crucis hos-

[1] Psal. XLIX, 3, 4. — [2] Dan. VII, 10-13. — [3] 1 Cor. III, 12-15. — [4] Dan. VII, 9. — [5] Isaï. I, 18. — [6] Act. I, 9, 10. — [7] Matth. XXIV, 30. — [8] Ibid. — [9] Zach. XII, 10-12. Joan. XIX, 37. Apoc. I, 7. Matth. XXIV, 30. — [10] Apoc. VI, 16. — [11] Nahum. I, 6.

tibus terror erit; gaudium vero amicis, qui in eum credidere, vel eum prædicavere, vel pro eo passi sunt. Quis ille tum felix, qui amicus Christi reperietur? Non proprios servos despiciet tantus gloriosus Rex, qui Angelorum satellitio comitatus erit, qui Patris consessor. Ut enim ne cum inimicis confundantur electi, « Mittet Angelos suos cum tuba » magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis [1]. » Lotum non neglexit, qui unus erat; quomodo ergo justos multos negliget? « Venite, benedicti Patris mei [2], » aiet eis qui tunc nubium curribus vehentur, et ab Angelis collecti fuerint.

XXIII. Sed inquiet aliquis eorum qui adsunt : « Inops sum, et illo fortassis tempore infirmus in lecto inveniar; aut ego mulier in pistrino deprehendar [3]. Anne ergo contemnemur? » Confide, homo; judex personas non respicit. « Non secundum gloriam judicabit, neque secundum » facundiam arguet [4]. » Non anteponit eruditos indoctis, neque pauperibus divites. Etiamsi in agro fueris, assument te Angeli [5]. Ne existimes quod terrarum dominos accipiet, te vero agricolam relinquat. Etiamsi servus vel pauper fueris, nihil sollicitus esto. Qui formam servi suscepit [6], servos non aspernabitur. Etiamsi æger in lecto jacueris, scriptum est : « Tunc duo erunt in lecto uno; unus assu» metur, et alter relinquetur [7]. » Quamvis necessitate cogente in pistrinum deditus fueris, sive vir, sive mulier; tametsi pueros habueris, ac molæ assideas, non tamen præteribit te « Qui eduxit vinctos in fortitudine [8]. » Qui Josephum ex servitute et carcere ad regnum provexit, te quoque ex afflictionibus in cœlorum regnum redemptum perducet. Solummodo confide, solummodo operare, so-

[1] Matth. XXIV, 31. — [2] Id. XXV, 34. — [3] Luc. XVII, 34, 35. — [4] Isaï. XI, 3. — [5] Matth. XXIV, 40. — [6] Philip. II, 27. — [7] Luc. XVII, 34. — [8] Psal. LXVII, 7.

tummodo alacriter decerta; nihil enim tibi deperibit. Descripta est tua omnis oratio et psalmorum modulatio; descripta omnis eleemosyna; descriptum omne jejunium; descriptum omne conjugium pulchre et caste observatum; descripta continentia [1] propter Deum tolerata. Primas vero in [Dei] descriptionibus coronas habet virginitas et integritas, et tanquam Angelus collucebis. At sicut læta jucunde audivisti, sic rursus patienter eis adversa audito. Descripta est omnis tua rapina; descripta omnis scortatio tua; descriptum tuum omne perjurium, blasphemia, veneficium, furtum, homicidium. Omnia hæc in posterum describentur, si nunc post baptismum eadem commiseris. Nam quæ illum præcessere delentur.

XXIV. « Quando autem venerit, inquit, Filius hominis » in gloria sua, et omnes Angeli cum eo [2]. » Vide homo quam multis testibus judicium ingrederis. Aderit tunc universum hominum genus. Cogita igitur quam numerosa sit Romanorum natio. Reputa qualis barbarorum nunc in vivis degentium multitudo, et quam magna ante centum annos e vivis excesserit. Pensa ante annos mille quanta sepulta sit. Revolve animo qui ab Adamo usque in præsentem diem extiterunt. Ingens quidem multitudo : adhuc tamen parva, plures namque Angeli. Hi sunt nonaginta novem oves illæ [3], cum una tantum sit humanum genus. Nam pro magnitudine locorum quorumlibet, incolarum æstimandus est numerus. Terra universa puncti instar est in medio unius cœli : tantamque cœlum quod illam ambit, incolentium multitudinem continet, quantam ipsum habet amplitudinem, et cœli cœlorum omni æstimatione superiorem numerum complectuntur. Scriptum est siquidem : « Mille » millia ministrabant ei, et decies millies dena millia assis-

[1] *Id est,* viduitas. — [2] Matth. xxv, 31. — [3] Id. xviii, 12, et Luc. xv, 4.

» tebant ei [1]. » Non quod eo solo numero finiatur multitudo, sed quod ampliorem exprimere Propheta non potuerit. Aderit igitur tunc in judicio Deus omnium pater, una sedente Jesu Christo, et simul præsente Spiritui sancto. Advocabit nos omnes angelica tuba, ea quæ gessimus ferentes. Nonne jam ex hinc sollicitudine ac metu agi oportet? Ne exiguam pœnam esse putes, o homo, separato etiam supplicio, tam multis testibus condemnari. Nonne malumus pluries emori, quam ab amicis condemnationem subire?

XXV. Paveamus igitur, fratres, ne nos condemnet Deus, qui inquisitione, vel argumentis [aut accusatoribus] ad condemnationem opus non habet. Ne dixeris : « Nocte scortatus sum, vel magiæ operam dedi, aut aliud quid egi, nec aderat ibi hominum quisquam. » Ex tua conscientia judicaberis, « Inter cogitationes accusantes, aut etiam excusan- » tes; in die quando judicaverit Deus occulta hominum [2]. » Terribilis judicis vultus veritatem te dicere coget, seu potius etiamsi non dixeris convincet : tua enim ipsius sive peccata, sive justa opera circumindutus excitabere. Et hoc ipse judex declaravit, aiens : (Christus enim est qui judicat. « Neque enim Pater judicat quemquam, sed judicium » omne dedit Filio [3] : » non se spolians potestate, sed per Filium judicans. Nutu igitur Patris judicat Filius : non enim sunt alii Patris aliique Filii nutus, sed unus et idem utriusqe.) Quid igitur ait Judex, utrum ferenda tibi sint opera tua, necne? « Et congregabunt coram ipso omnes » gentes [4]. » Oportet enim coram Christo genu omne flecti, cœlestium et terrestrium et infernorum [5]. « Et separabit » eos alteros ab alteris, sicut pastor segregat oves ab hœ- » dis [6]. » Pastor quomodo segregat? numquid ex libro in-

[1] Dan. VII, 10.— [2] Rom. II, 15.— [3] Joan. V, 22.— [4] Matth. XXV, 32. — [5] Rom, XIV, 10, et Philip. II, 10. — [6] Matth. XXV, 32.

quirens quænam sit ovis, quinam vero hœdus; aut non potius ex conspicuis judicat? Nonne ovem lana declarat, villosa vero et aspera cutis hœdum prodit? Sic et tu, si a peccatis modo purgatus fueris, tuas actiones deinceps tanquam lanam mundam habiturus es [1] : mansuraque est tua vestis impolluta, et dices semper : « Exui tunicam meam, » quomodo induar illam [2]? » ex amictu agnosceris ovis. Si vero villosus reperieris, instar Esaü ut pilis asperi ita et mente pravi, qui propter cibos primogeniti jura amisit, et prærogativam vendidit [3]; in sinistris constituere [4]. Absit autem ut præsentium quisquam excidat a gratia, aut propter pravas actiones in sinistris peccatorum ordinibus reperiatur.

XXVI. Tremendum vere judicium est, et propter ea quæ denuntiantur [secutura] verus timori locus. Regnum cœlorum proponitur, et ignis æternus præparatus est [5]. Quonam igitur modo, ait quispiam, ignem effugiemus? quove modo in regnum ingrediemur? « Esurivi, inquit, et » dedistis mihi manducare [6]. » Addiscite viam. Non est nunc allegoria opus, sed ut ea, quæ dicuntur, opere perficiamus. « Esurivi, et dedistis mihi manducare : sitivi, et dedistis » mihi potum. Hospes fui, et collegistis me : nudus, et ope» ruistis me. Infirmus, et visitastis me : in carcere fui, et » venistis ad me [7]. » Hæc si feceris, una regnabis; si prætermiseris, condemnaberis. Jam nunc ergo hæc operari incipe, et persevera in fide : ne fatuarum virginum exemplo oleum emptum abiens excludaris [8]. Ne fiduciæ plenus esto, quod lampadem solummodo teneas : sed illam ardentem conserva. Luceat tua lux bonorum operum coram hominibus [9], nec blasphemetur propter te Christus [10]. Feras indu-

[1] Isaï. I, 18. — [2] Cant. V, 3. — [3] Gen. XXV, 25, et Hebr. XII, 16. — [4] Matth. XXV, 33. — [5] Ibid. 41. — [6] Ibid. 35. — [7] Ibid. 36. — [8] Ibid. 10-12. — [9] Id. V, 16. — [10] Rom. II, 24.

mentum incorruptionis [1], in bonis operibus emicans [2] : et quodcumque a Deo rite administrandum suscepisti negotium, e re administra [3]. Creditæ tibi pecuniæ? recte dispensa. Verbum doctrinæ tibi concreditum est [4]? pulchre administra. Audientium animas adjungere [fidei] potes [5]? facito illud diligenter. Multæ sunt præclaræ administrationis januæ. Tantum, ne quis ex nobis condemnatus abjiciatur, ut cum fiducia occurramus æterno regi Christo qui regnat in sæcula. Regnat enim in sæcula, qui judicat vivos et mortuos, pro vivis et mortuis mortuus. Et sicut Paulus dicit : « Ad hoc enim Christus est mortuus, et vixit, ut et mortuis » et vivis dominetur [6].

XXVII. Quod si forte aliquem audiveris dicentem, quod finem habeat Christi regnum, hanc hæresim execrare : draconis est alterum caput [7], quod novissime circa Galatiam succrevit. Ausus est quidam [8] dicere post mundi finem regnaturum non esse Christum : nec pronuntiare veritus est, quod Verbum e Patre egressum, ipsum rursus in Patrem resolutum amplius non erit; talia in sui ipsius perniciem blasphema vomens. Non enim audivit Dominum dicentem : « Filius manet in sæculum [9]. » Non audivit Gabrielem aientem : « Et regnabit super domum Jacob in » sæcula, et regni ejus non erit finis [10]. » Vide quod dicitur. Nunc homines hæretici contra Christum docent : et Gabriel archangelus de perpetua Salvatoris permansione docuit. Cuinam ergo magis fidem adhibeas? nonne Gabrieli? Præsens Danielis testimonium audi : « Videbam in visione » noctis, et ecce cum nubibus cœli tanquam Filius hominis » veniens; et usque ad Antiquum dierum pervenit. Et datus

[1] 1 Cor. xv, 53. — [2] 1 Tim. II, 10. — [3] Matth. xxv, 14-30, vel Luc. XII, 42. — [4] 2 Tim. II, 16. — [5] Act. II, 42. — [6] Rom. XIV, 9. — [7] Apoc. XII, 3. — [8] Marcellus Ancyranus. — [9] Joan. VIII, 35. — [10] Luc. I, 32.

» est ipse honor, et principatus, et regnum. Et omnes po- » puli, tribus, linguæ servient ipsi. Potestas ejus potestas » æterna, quæ non pertransibit, et regnum ejus non des- » truetur [1]. » Hæc tene potius, his crede : quæ vero hæresis effutit, procul rejice. Manifestissima namque de nunquam finiendo Christi regno audivisti.

XXVIII. Habes et aliquid simile in explicatione lapidis e monte sine manibus abscissi [2], qui est Christus quantum ad carnem : « Et regnum ejus populo alteri non derelin- » quetur [3]. » Et David aliquando ait : « Thronus tuus, Deus, » in sæculum sæculi [4]. » Alias vero : « In initio tu, Domine, » terræ fundamenta jecisti, » et quæ sequuntur. « Ipsi peri- » bunt, tu autem permanes, etc. Tu autem idem ipse es, et » anni tui non deficient [5]. » Quæ quidem Paulus ad Filium interpretans retulit [6].

XXIX. Vis autem cognoscere, unde in talem insaniam devenere qui contraria docent? Legerunt prave, quod ab Apostolo recte scriptum est : « Oportet enim ipsum regnare, » donec posuerit omnes inimicos suos sub pedibus suis [7]. » Et dicunt : « Quando inimici positi fuerint sub pedes ejus, non amplius regnabit; » perverse stulteque hoc dicentes. Qui enim prius quam hostes debellaverit, regnat; nonne multo magis post superatos hostes regnaturus est?

XXX. Ausi sunt et hoc dicere, quod illa sententia : « Cum subjecta fuerint ipsi omnia, tunc et ipse Filius sub- » jicietur ei, qui omnia ipsi subjecit [8]; » [hæc, inquam, sen- tentia] significet Filium resolutum iri in Patrem. Jamvero, o omnium maxime impii, vos Christi opificia æternum manebitis; Christus vero, per quem et vos et omnia facta sunt [9], interibit funditus? blasphema vox sane. Quomodo

[1] Dan. VII, 13, 14.— [2] Id. II, 34.— [3] Ibid. 44.— [4] Psal. XLIV, 7. — [5] Id. CI, 26-28.— [6] Hebr. I, 8, 10.— [7] 1 Cor. XV, 25. — [8] Ibid. 28. — [9] Joan. I, 3.

autem subjicientur ipsi omnia? intereuntia-ne, an manentia? Ergo-ne cætera, quæ Filio subjiciuntur, manebunt? Filius vero Patri subjectus, non manebit? subjicietur porro, non quasi tunc Patri parere incipiat, (ab æterno enim « Quæ placita sunt ei facit semper [1] : » sed quia tunc quoque obediet, non coactam præstans obedientiam, sed spontaneam obsequendi voluntatem. Non enim servus est, ut ex necessitate subjiciatur; sed filius est, ut ex animi sententia et ex amore obsequatur.

XXXI. Quæramus vero ex illis, illud « Quousque, » et « Donec » qualem vim habeat. Ego enim hac ipsa voce, cominus conserens manus, errorem evertere tentabo. Quando illi ausi sunt dicere, dicto illo, « Donec posuerit » inimicos suos sub pedes suos [2], » finem ejus significari; æternumque Christi regnum terminis circumscribere, ac non finiendam potestatem verbis finire non timuerunt. Age igitur, similia legamus apud Apostolum : « Sed regnavit » mors ab Adamo usque ad Moysen [3]. » Ergo-ne huc usque moriebantur homines, nec amplius quisquam post Moysen mortuus est, aut post legem nulla mors hominum fuit? at vides verbum « Usque » temporis finem non notare : contra autem id Paulum significasse; quod quamvis Moyses justus et admirandus vir fuerit, nihilominus mortis sententia in Adamum dicta, ad illum quoque et qui eum secuti sunt, pervenit : idque, tametsi non peccavissent similiter ut Adam, lignum per transgressionem degustando [4].

XXXII. Aliam similem sententiam audi. « Nam usque » ad hodiernam diem, quando legitur Moyses, velamen su» per cor illorum positum est [5]. » Illud, « Usque in hodier» nam diem, » an-ne usque ad Paulum tantum? nonne usque in præsens, et usque ad consummationem? Si autem

[1] Joan. VIII, 29. — [2] 1 Cor. XV, 25. — [3] Rom. V, 14. — [4] Ibid. — [5] 2 Cor. III, 14.

dicit Paulus Corinthiis, « Ad vos enim etiam usque pertigi» mus in Evangelio Christi; spem habentes, augescente fide » vestra, in regiones ultra vos positas Evangelium nos illa» turos [1] : » perspicue cernis illud, « Usque, » finem non designare, sed aliquid etiam quod consequatur, habere. Quomodo te igitur in memoria recensere oportet illud : « Donec posuerit inimicos? » Quemadmodum alibi dicit idem Paulus : « Et vos ipsos adhortamini quotidie, quoad » hodiernus dies appellatur [2]; » videlicet semper et continuo. Nam sicuti principium dierum Christi dicere non oportet [3], ita neque finem regni ejus a quoquam dici patiare. « Regnum enim illius regnum æternum [4], » ut scriptum est.

XXXIII. Ac plura quidem alia ex divinis Scripturis, de nunquam finiendo Christi regno in sæcula, testimonia cum habeam, his quæ prius attuli contentus ero propter provectam diem. Tu autem auditor, illum solum regem adora, omnem hæreticum errorem devitans. Si autem Dei gratia suppetierit, reliqua ad Fidem pertinentia vobis suo tempore explicabuntur. Universorum autem Deus vos omnes custodiat, signorum consummationis mundi memores, et invictos ab Antichristo manentes. Audivisti signa venturi plani. Accepisti demonstrationes veri Christi ex cœlis manifeste venturi. Et illum quidem, qui mendax, fuge; hunc autem, qui verus est, expecta. Viam edoctus es, qua dum judicabere in dextris reperiaris. Depositum de Christo custodi, in bonis operibus decore te gerens : ut regnum cœlorum consequaris, cum fiducia astans coram judice : per quem et cum quo gloria Deo, cum Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

[1] 2 Cor. x, 14, 15. — [2] Hebr. III, 13. — [3] Id. VII, 3. — [4] Dan. III, 100. — [5] Num. XXVI. — [6] 1 Tim. VI, 20. — [7] Id. II, 10.

CATECHESIS XVI.

ILLUMINANDORUM,

Hierosolymis ex tempore pronuntiata in illud : Et in unum sanctum Spiritum, Paracletum, qui locutus est in Prophetis. *Et lectio ex Epistola ad Corinthios :* De spiritalibus autem, fratres, nolo vos ignorare : *et in sequentibus :* Divisiones autem donorum sunt; idem vero Spiritus [1], *et quæ sequuntur.*

ARGUMENTUM.

I. *Sancti Spiritus gratia opus est, ut de sancto Spiritu recte dicatur. — Qui de Spiritu sancto, sive ex ignorantia, sive ex pietatis opinione, prava sentiunt, a condemnatione non immunes.* II. *Quæ scripta non sunt, non curiose scrutanda.* III. *Unus est Spiritus sanctus, quemadmodum unus Pater, et Filius unus.* IV. *Non alius Veteris, alius Novi Testamenti Spiritus.* V. *Non tres Deos prædicamus; sed unum. — Superior Hierosolymis Apostolorum Ecclesia. — Omnium mysteriorum prærogativæ Hierosolymis. — Spiritus sanctus Christi gloriæ consors.* V. *Impossibile est sancti Spiritus substantiam edicere.* VI. *Variæ hæreses contra Spiritum sanctum. — Gnostici.* VII. *Marcion Vetus Testamentum detruncavit.* VIII. *Montanus et ejus prophetissæ. — Immania et impura Montanistarum mysteria.* IX. *Manes omnium hæreseon deterrimam*

[1] 1 Cor. XII, 1-4.

conflavit. —Apostoli ducentis ante Manem annis defuncti. X. *Manes quodam modo Simone deterior.* XI. *Testimonia ex Scripturis de Spiritu sancto.* XII. *Cur gratia sancti Spiritus aquæ nomine appellata. — Spiritus sancti effectus varii pro varietate donorum. — Spiritus sancti in animis hominum mirandæ effectiones.* XIII. *De nomine Spiritus. Id multis rebus commune. — Spiritus nomen diversis prorsus rebus tributum.* XV. *Dæmones dicti Spiritus, quia corpora crassa non habent. — Calamitosus hominis a dæmone occupati status.* XVI. *Contrarii sáncti Spiritus effectus. — Quam lucem menti obfundat.* XIX. *Puellæ conjugium apparantes sæpe aufugerunt. — Bonarum cogitationum et propositorum auctor Spiritus sanctus. — Vis exorcismorum in dæmones.* XX. *De nomine Paracleti.* XXI. *Spiritus sancti virtute Martyres Domino testificantur.* XXII. *Spiritus sanctus omnium cogitàtiones præsens videt. — Toto orbe Christianorum mentes illustrat, et variis replet donis ac virtutibus. — Spiritus sanctus oculos habentes illuminat.* XXIII. *Omnium in cælo et in terra magister et sanctificator est. — Spiritu sancto omnia opus habent. — Nulla creaturarum Spiritui honore par, aut ullatenus conferenda.* XXIV. *Pater dat Filio, et Filius Spiritui sancto.* XXV. *Spiritus sanctus in septuaginta seniores Mosis tempore descendit.* XXVII. *Spiritus sanctus in omnes veteres justos et Prophetas delapsus.* XXIX. *Testimonia de Spiritu sancto ex Prophetis.* XXXI. *Continuatur idem argumentum.* XXXI. *Conclusio.*

I. Spiritali vere opus est gratia [1], ut de Spiritu sancto disseramus : non ut pro rei dignitate dicamus, impossibile

[1] Vide D. Guillon, tom. VIII, pag. 408-410.

est enim; sed ut quæ e Scripturis divinis deprompta sunt dicendo, sine periculo decurramus. Magnus enim vere in Evangeliis designatur timor, cum Christus aperte dixerit: « Quisquis autem dixerit verbum contra Spiritum sanctum, » non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in fu- » turo [1]. » Et est persæpe verendum, ne quis aut ex ignorantia, aut ex opinata pietate, quod minime oporteat de illo prolocutus, condemnationem reportet. Judex vivorum et mortuorum Christus pronuntiavit hujusmodi hominem veniam non habere: si quis igitur offendat, quid illi spei superest?

II. Ipsius itaque gratiæ Jesu Christi opus fuerit concedere, et nobis ut absque defectu loquamur, et vobis ut intelligenter audiatis; intelligentia enim opus est non dicentibus tantum, verumetiam audientibus; ut ne alia audientes, alia in mente prave concipiant. Dicamus igitur nos de Spiritu sancto ea tantum, quæ scripta sunt: si quid vero scriptum non fuerit, ne curiose scitemur. Ipse Spiritus sanctus elocutus est Scripturas: ipse de se ipso quoque dixit quæcumque voluit, seu quæcumque capere potuimus. Dicamus ergo quæ ab ipso dicta sunt: nam quæ ille non dixit, nos non audemus.

III. Unus est solus sanctus Spiritus, Paracletus. Et quemadmodum unus est Deus [2], Pater, neque est secundus Pater; et sicut unus est unigenitus Filius et Verbum Dei, fratremque non habet: sic unus est solummodo Spiritussanctus, neque est secundus Spiritus ipsi honore par. Est igitur sanctus Spiritus, maxima potestas, divinum quiddam et investigabile. Vivit enim, et rationabilis est, sanctificator rerum omnium a Deo per Christum effectarum. Ille justorum animas illustrat: ille et in Prophetis; ille et in Apostolis in Novo Testamento. Odio habeantur qui sancti Spi-

[1] Matth. XII, 32. — [2] I Cor. VIII, 6.

ritus operationem separare audent. Unus Deus, Pater, Veteris et Novi Testamenti dominus : et unus Dominus, Jesus Christus, qui in Veteri prophetatus est et in Novo advenit : et unus Spiritus sanctus, qui per Prophetas de Christo prædicavit, et post adventum Christi descendit, eumque demonstravit [1].

IV. Nemo igitur e Novo Testamento Vetus dividat; nullus dicat alium ibi, et alium hic Spiritum esse : alioquin in ipsum offendet Spiritum sanctum, qui cum Patre et Filio honoratur, et sancti baptismatis tempore in sancta Trinitate simul comprehenditur. Unigenitus enim Dei Filius Apostolis dixit diserte : « Euntes docete omnes gentes, » baptizantes eos in nomen Patris, et Filii, et sancti Spi- » ritus [2]. » Spes nostra est in Patrem, et Filium, et sanctum Spiritum. Non tres Deos annuntiamus ; conticescant enim Marcionistæ : verum cum sancto Spiritu, per unum Filium, unum Deum prædicamus. Indivisa est fides, inseparabilis pietas. Neque separamus sanctam Trinitatem, velut nonnulli faciunt; neque confusionem juxta Sabellium facimus. Sed cum pietate novimus unum Patrem, qui nobis Salvatorem misit, Filium : novimus unum Filium, qui se pollicitus est missurum a Patre Paracletum [3] : novimus Spiritum sanctum, qui locutus est in Prophetis; et in Pentecoste super Apostolos in ignitarum linguarum specie delapsus est, isthic in Hierusalem, in superiore Apostolorum Ecclesia [4]. Omnium enim apud nos sunt prærogativæ. Huc Christus de cœlis descendit; huc Spiritus sanctus de cœlis delapsus est. Ac maxime conveniens erat, ut quemadmodum ea, quæ Christum et Golgothæ locum respiciunt, in hoc Golgotha dicimus; sic et de sancto Spiritu in superiore diceremus Ecclesia. Verum quoniam qui illic

[1] Matth. III, 16. — [2] Id. XXVIII, 19. — [3] Joan. XV, 26. — [4] Act. I, 1-3.

descendit, ejus qui isthic crucifixus est gloriæ consors est, idcirco in hoc loco verba facimus de eo, qui illic descendit: pius enim cultus separationem non admittit.

V. Propositum est deinceps quædam de Spiritu sancto proloqui : non quidem substantiam ejus [ac naturam] accurate enuntiare, impossibilis quippe res; sed diversas quorumdam circa eumdem aberrationes notare, ne forte earum ignoratione præcipites feramur; errorisque vias præcidere, ut una regia via incedamus. Quod si nunc cautionis ergo quid ab hæresibus dictum fuerit recenseamus, id totum in caput illorum convertatur : nos vero immunes simus, tam nos qui narramus, quam vos qui auditis.

VI. Namque impiissimi circa omnia hæretici, etiam adversus sanctum Spiritum linguam acuere [1], et infanda dicere sunt ausi, quemadmodum Irenæus auctor in suis adversus hæreses libris scripsit. Alios quidem non veritum est se ipsos Spiritum sanctum dicere : quorum primus est Simon, ille in Actis Apostolorum magus; ejectus enim, talia docere non dubitavit [2]. Ii vero, qui Gnostici vocantur et impii [sunt,] alia quoque contra Spiritum effati sunt : et rursum alia improbi Valentiniani. At conscleratissimus Manes se ipsum ausus est dicere Paracletum a Christo missum. Alteri veroa lium in Prophetis, aliumque in novo Spiritum commenti sunt; adeo diversus est illorum error, seu potius blasphemia. Hujusmodi igitur homines oderis, et fuge blasphemantes Spiritum sanctum, quibus non est remissio. Quænam tibi cum spe omni carentibus societas, qui in Spiritum quoque sanctum nunc baptizandus es? Si is, qui adhæret furi et currit cum eo [3], supplicio obnoxius est; ille, qui in Spiritum sanctum impingit, quam spem est habiturus?

VII. Odio sint et Marcionistæ, qui Veteris Testamenti

[1] Psal. CXXXIX, 4. — [2] Act. VIII, 9. — [3] Psal. XLIX, 18.

verba e Novo detraxerunt. Primus enim Marcion, alienissimus a Deo vir, qui primus Deos tres asseruit; cum videret in Novo Testamento insertas esse Prophetarum de Christo testificationes, ea antiqui fœderis testimonia recidit, ut Rex [noster] a testimoniis desertus remaneret. Odio habeantur memorati jam supra Gnostici [sive scientes,] ut illi quidem dici volunt, ignorantia vero pleni; qui ea de Spiritu sancto dicere ausi sunt, quæ ego commemorare non ausim.

VIII. Odio sint Cataphryges et Montanus illis malorum auctor, atque ambæ illius, scilicet, prophetissæ Maximilla et Priscilla. Montanus enim ille, amens et furiosus vere, (neque enim talia, nisi fureret, loqueretur,) se ipsum ausus est Spiritum sanctum edicere; homo abjectissimus, atque omni impuritate et lascivia coopertus. Id enim signis indicare sufficiat, mulierum, quæ hic astant, reverentiæ causa. Qui cum Pepusam, perexiguus hic in Phrygia viculus, occupasset, eique falso Hierosolymæ nomen indidisset, prætextu suorum quæ vocant mysteriorum, infelicissimos mulierum parvos filios jugulans, in nefastas epulas concidebat, Propterea ad hæc usque nupera tempora cum persecutio desæviret, nos horum facinorum suspicione laborabamus; eo quod isti quoque Montanistæ, falso quidem, sed tamen communi nobiscum nomine Christiani vocarentur. Ille, inquam, ausus est se ipsum Spiritum sanctum appellare: ille omnis impietatis et diritatis plenus, ille indeprecabili obnoxius condemnationi.

IX. Huic succenturiatus est, ut ante est dictum, et impiissimus Manes, qui omnium hæreseum vitia collegit: ipseque ultimum perditionis barathrum existens, omnium simul hæreticorum deliramenta complexus, recentiorem confecit et prædicavit errorem, aususque est dicere se esse illum Paracletum, quem se Christus missurum polli-

citus erat. Atqui Servator eum promittendo aiebat Apostolis : « Vos autem sedete in civitate Hierusalem, donec in» duamini ex alto virtutem [1]. » Quid igitur? Anne defuncti ab ducentis annis Apostoli Manem expectabant, ut tandem virtutem induerentur? Et quisquam dicere audeat illos jam tum Spiritu sancto non fuisse plenos? Enimvero scriptum est : « Tunc imponebant manus, et accipiebant Spi» ritum sanctum [2]. Nonne id ante Manem, multisque ante eumdem annis contigit, post quam in die Pentecostes Spiritus sanctus descendisset?

X. Quamobrem damnatus est Simon magus? Num-ne ideo quod ad Apostolos accedens dixerit : « Date et mihi » hanc potestatem, ut cuicumque manus imposuero, Spi» ritum sanctum accipiat [3]? » Non enim dixit : « Date et mihi Spiritus sancti participationem, » sed « Potestatem; » ut aliis venderet rem minime venalem, quam ipse assecutus non fuerat. Viris nihil possidendi propositum tenentibus obtulit pecunias; idque cum videret eos, qui venditarum rerum pretia afferebant, et ad Apostolorum ponebant pedes [4]. Nec reputabat eos, qui opes in pauperum alimentum oblatas pedibus conculcabant, nunquam sane Spiritus sancti potestatem pretio daturos esse. Illi autem quid aiunt Simoni? « Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum » Dei existimasti pecunia te consequi [5]; » alter enim es Judas, qui gratiam Spiritus te venditurum sperasti. Si igitur Simon [Spiritus] potestatem pretio consequi volens, « In perditionem » traditur, quantæ impietatis reus est Manes qui se ipsum Spiritum sanctum esse jactavit? Oderimus viros odio dignos; quos Deus aversatur, aversemur nos. Dicamus et ipsi cum omni fiducia de hæreticis omnibus : « Nonne eos qui te oderunt, Domine, oderam, et

[1] Luc. XXIV, 49. — [2] Act. VIII, 17. — [3] Ibid. 19. — [4] Id. IV, 34, 35. — [5] Id. VIII, 20.

» super inimicos tuos tabescebam [1] ? » Est enim et laudabilis inimicitia, sicut scriptum est : « Et inimicitias ponam inter » te, et inter semen illius [2]. » Amicitia namque cum serpente, inimicitiam cum Deo et mortem conciliat [3].

XI. Hæc igitur a nobis de ejectis illis dicta sunto. Deinceps vero ad Scripturas divinas revertamur, et bibamus aquas de vasis nostris [4], (sanctis Patribus,) et de puteorum nostrorum fonte. Bibamus de aqua vivente, « Quæ salit in » vitam æternam [5]. Hoc autem dixit Salvator de Spiritu, » quem accepturi erant credentes in eum [6]. » Vide enim quid dicat : « Qui credit in me, » non simpliciter et perfunctorie, sed, « Sicut dicit Scriptura, » (remisit te ad Vetus Testamentum;) « flumina de ventre ejus fluent aquæ vi» ventis [7], » non flumina sub sensus subjecta, simplici et vulgari sensu terram spinas et ligna ferentem irrigantia; sed animabus lucem infundentia. Et alibi ait : « Sed aqua, » quam dabo ei, fiet in eo fons aquæ vivæ salientis in vitam » æternam [8]. » Novum aquæ genus, quæ vivit, et salit; salit vero super dignos.

XII. Quid autem causæ est quod Spiritus gratiam aquæ vocabulo nuncupavit ? Quod videlicet per aquam omnia consistunt; quod herbarum et animantium effectrix est aqua; quod ex cœlis imbrium aqua descendit; quod unius modi et formæ ipsa labitur, multiformes vero parit effectus. Fons enim unus totum hortum rigat [9] : unus vero et idem imber toto in orbe descendit; qui in lilio candidus efficitur, in rosa ruber, in violis et hyacinthis purpureus, atque in diversis rerum generibus diversus et varius. Et alius quidem existit in palma, alius rursum in vite, inque omnibus omnia; cum sit unius modi, nec alius a se ipso

[1] Psal. cxxxviii, 21.— [2] Gen. iii, 15.— [3] Jacob. iv, 4. — [4] Prov. v, 15. — [5] Joan. iv, 14, et vii, 38. — [6] Ibid. 39. — [7] Ibid. 38.— [8] Id. iv, 14. — [9] Gn. ii, 10.

existat; non enim se ipsum commutans imber, alius atque alius descendit; sed suscipientium se structuræ accommodans, unicuique id, quod ei competens est, efficitur. Ad eumdem modum et Spiritus sanctus, cum unus sit, et unius modi, et indivisibilis, unicuique gratiam prout vult dividit [1]. Et quemadmodum lignum aridum aquam concipiens germina emittit; sic et anima peccatrix, per pœnitentiam Spiritus sancti dono dignata, justitiæ racemos portat. Cumque ille unius et ejusdem modi sit, multiplices tamen Dei nutu, et in Christi nomine virtutes operatur. Nam alterius quidem utitur lingua ad sapientiam: alterius mentem prophetia illustrat. Huic fugandorum dæmonum potestatem impertit, illi divinas Scripturas interpretandi donum largitur. Alterius temperantiam [aut castitatem] corroborat, alium quæ ad misericordiam [vel eleemosynam] pertinent, docet: alium jejunare et asceticæ vitæ exercitationes tolerare docet: alium res corporis contemnere: alium ad martyrium præparat; alius in aliis, ipse vero a se nunquam alius, sicut scriptum est: « Unicuique » vero datur manifestatio Spiritus ad id quod expedit. Nam » huic quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ: alii » vero sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum: alii » vero fides in eodem Spiritu: alii vero dona sanationum in » eodem Spiritu: alteri vero operationes potestatis: alii » prophetia: alii discretiones spirituum: alteri genera lin- » guarum: alteri vero interpretatio linguarum. Hæc vero » omnia efficit unus et idem Spiritus, dividens peculiariter » unicuique sicuti vult [2]. »

XIII. Verum, quoniam de Spiritu, uno et communi nomine, multa eaque diversa in divinis Scripturis posita sunt, metusque est ne quis ex ignorantia confundat, nesciens qualem ad Spiritum id quod scriptum est referatur: operæ-

[1] 1 Cor. XII, 11. — [2] Ibid. 7-11.

pretium fuerit nunc certa quadam nota signare, qualem esse dicat Scriptura eum qui Sanctus est. Nam sicut Aaron vocatur Christus [1]; David quoque, et Saül, aliique, Christi appellantur [2], unus tamen est verus Christus; sic et Spiritus appellatione diversis rebus attributa, optimum est videre quinam sit is qui peculiari ratione Spiritus sanctus appellatur. Multa enim vocantur spiritus. Nam et Angelus nominatur spiritus; anima nostra spiritus dicitur; et ventus iste, qui spirat, spiritus appellatur: et virtus magna vocatur spiritus : et impura actio spiritus dicitur; et Dæmon adversarius vocatur spiritus. Cave ergo ne, ista cum audis, ex similitudine appellationis alterum pro altero quandoque sumas. De anima namque nostra ait Scriptura : « Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam [3]. » Deque eadem anima rursus dicit : « Qui fingit spiritum hominis in ipso [4]. » De Angelis vero in Psalmis dicit : « Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis [3]. » De vento autem loquitur : « In spiritu violento conteres navigia Tharsis [5]; » et, « Quemadmodum in sylva lignum a spiritu agitatur [6]; » et, « Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellæ [7]. » De bona vero doctrina ipse Dominus dicit : « Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus sunt, et vita sunt [8], » id est, spiritualia sunt. Spiritus vero sanctus non per linguam loquendo profertur; sed vivens est, præbens ut sapienter loquamur, verba faciens ac loquens ipse.

XIV. Vis addiscere quod verba faciat et loquatur? Philippus ex Angeli revelatione descendit in viam, quæ Gazam ferebat, quando ille eunuchus veniebat, et dixit Spiritus Philippo : « Accede, et adjunge te ad currum istum [9]. »

[1] Levit. IV, 5. — [2] Psal. CXXXI, 10, et 1 Reg. XXIV, 7. — [3] Psal. CXLV, 4. — [4] Zach. XII, 1. — [5] Psal. CIII, 4. — [6] Id. XLVII, 8. — [7] Isaï. VII, 2.— [8] Psal. CXLVIII, 8.— [8] Joan. VI, 64.— [9] Act. VIII, 26-29.

Cernis Spiritum loquentem audienti? Et Ezechiel sic dicit: « Factus est super me Spiritus Domini, et dixit ad me : » Hæc dicit Dominus [1]. » Iterumque : « Dixit Spiritus sanc- » tus » Apostolis Antiochiæ versantibus : « Segregate mihi » Barnabam et Saulum in opus, ad quod advocavi eos [2]. » Vides Spiritum viventem, segregantem, et advocantem, et cum potestate mittentem. Et Paulus ait : « Nisi quod Spi- » ritus sanctus per unamquamque civitatem testificatur » mihi, dicens, quod vincula et afflictiones mihi manent [3]. » Bonus enim ille Ecclesiæ sanctificator, et auxiliator et doctor, Spiritus sanctus, Paracletus, de quo dixit Salvator : « Ille vos docebit omnia; » (non dixit tantum, « Docebit, » sed, « Et in memoriam revocabit quæcumque dixi vobis [4]. » Non enim alia sunt Christi documenta, et Spiritus sancti alia, sed plane eadem.) [Ille, inquam, Spiritus] quæ eventura erant, Paulo ante testatus est [5]; ut ex eorum prænotione confirmato magis esset animo. Hæc autem vobis dicta sunt propter eam sententiam : « Verba quæ ego » locutus sum vobis, spiritus sunt [6]; » ut ne [spiritum] hunc labiornm elocutionem esse existimes, verum bonam doctrinam.

XV. Spiritus etiam vocabulo peccatum appellatur, ut ante diximus, sed altera et contraria ratione : velut cum dicitur : « Spiritu fornicationis aberraverunt [7]; » vocatur etiam spiritus, immundus spiritus dæmon [8]; sed cum hac adjectione, « Immundus. » Unicuique enim [spiritui] adjectum est cognomen, quod propriam notam designet. Si de hominis anima dicit, « Spiritus, » cum hac additione, « Hominis [9], » dicit. Si de vento dicat, « Spiritum procel- » læ » ait. Si peccatum notet, « Spiritum fornicationis »

[1] Ezech. xi, 5. — [2] Act. xiii, 2. — [3] Id. xx, 23. — [4] Joan. xxiv, 26. — [5] Act. xx, 23. — [6] Joan. vi, 64. — [7] Osee iv, 12. — [8] Luc. xi, 24. — [9] 1 Cor. ii, 21.

dicit. Si dæmonem significet, « Spiritum immundum » appellat; ut noverimus qua de re peculiariter sit sermo, neque putes de sancto isto [Spiritu] dici. Absit. Istud enim spiritus nomen, medium ac commune est; et quidquid spissum ac densum corpus non habet, spiritus universe dicitur. Cum igitur dæmones hujusmodi corpora non habeant, spiritus appellantur. Sed grande intercedit discrimen. Nam impurus dæmon, quando in animam hominis irruperit, (liberet vero Deus ab hoc malo omnes animas tam eorum qui hic adsunt, quam absentium,) tanquam lupus sanguinem vorans, ad devorandum paratus, in ovem irruens, sic venit. Sævissimus hujus adventus; gravissimus sentienti. Obscuratur mens caligine. Injustus ille impetus est, alienam possessionem invadentis. Alieno enim corpore, et alieno instrumento, tanquam proprio abuti vi facta conatur. Stantem dejicit [1]; familiaris est enim illius qui de cœlo cecidit [2]; linguam invertit, labia contorquet; sermonum loco spumam exprimit : tenebris mergitur homo; apertus est oculus, et per illum anima nihil videt, et palpitat tremebundus ante mortem homo miserabilis. Vere hominum hostes sunt dæmones, qui illis tam fœde atque immisericorditer abutuntur.

XVI. Non est hujusmodi Spiritus sanctus. Procul ista cogitatio. Nam in bonum e contrario et in salutem se res habet. Primum enim mansuetus et lenis ejus accessus : suavis et fragrans ejus sensio : jugum levissimum. Adventum ejus antevertunt præmicantes luminis ac scientiæ radii. Germani tutoris visceribus præditus venit. Venit namque salvare, sanare, docere, monere, roborare, consolari, illustrare mentem; primum ejus a quo suscipitur, dehinc ejus opera aliorum. Et quemadmodum is, qui in tenebris prius versabatur, sole postea derepente conspecto, lucem

[1] Marc. IX, 17-19. — [2] Luc. X, 18.

in corporis oculo recipit, quæque antea non videbat perspicue cernit : ita et qui Spiritus sancti dono dignus habitus est, animo illuminatur, et supra hominem evectus videt quæ nesciebat. Posito in terra corpore, anima cœlos tanquam in speculo contuetur. Videt ut Hesaïas, « Dominum » sedentem super thronum excelsum et elevatum [1]. » Cernit ut Ezechiel, « Eum qui est super Cherubim [2]. » Videt ut Daniel, « Myriadas myriadum, et millia millium [3], » exiguusque homo initium mundi et finem videt, et medium temporum spatium; et regum successiones cernit, quæ non addidicit; adest enim verus lucis præbitor. Parietibus includitur homo; vis tamen scientiæ longe protenditur, ut ea etiam, quæ ab aliis fiunt, conspiciat.

XVII. Non intererat Petrus cum Ananias et Sapphira possessiones suas venderent : per Spiritum tamen præsens erat. « Quare, inquit, Sanatas implevit cor tuum, ut men» tireris Spiritui sancto [4]? » Accusator non erat; nullus testis : unde factum addidicerat? « Nonne manens tibi » manebat, et id quod vendidisti in tua erat potestate? » quare posuisti in corde tuo rem istam [5]? » Illitteratus homo Petrus per Spiritus gratiam ea didicit, quæ neque ipsi Græcorum sapientes novissent. Simile habes exemplum etiam de Elisæo. Cum enim Naïmanis lepram gratis sanasset, Giezi pretium accepit, alieni officii præmium intercipiens; sumtasque a Naïmane pecunias tenebroso in loco constituit [6]. Verum tenebræ Sanctis non tenebrescunt [7]. Nam reversum illum percontatur Elisæus : et quomodo Petrus ait : « Dic mihi : Num tanti agrum vendidistis [8]? » similiter ille interrogat : « Undenam, Giezi [9]? » non ignorans, sed lugens proferebat illud « Unde? » Ex tenebris ve-

[1] Isaï. vi, 1. — [2] Ezech. x, 1, 2, et seq. — [3] Dan. vii, 10. — [4] Act. v, 3. — [5] Ibid. 4. — [6] 4 Reg. v, 14-24. — [7] Psal. cxxxviii, 12. — [8] Act. v, 8. — [9] 4 Reg. v, 25.

nisti, et in tenebras ibis. Leprosi sanitatem vendidisti, et lepræ tibi hæreditas adhærebit. Implevi, inquit, mandatum ejus, qui mihi dixit : « Gratis accepistis, gratis date [1]. » Tu vero gratiam vendidisti ; accipe et manupretium venditionis. Sed quid ait ad illum Elisæus? « Nonne cor meum » profectum est tecum [2]? hic eram ego corpore circumclusus; sed Spiritus mihi a Deo collatus etiam longinqua vidit, et quæ alibi fiebant mihi perspicue demonstravit. » Vides quomodo non solum ignorantiam repellit, sed et scientiam immittit. Vides quomodo animas collustrat Spiritus sanctus.

XVIII. Hesaïas ante annos fere mille fuit, et vidit tanquam vile tentorium Sionem; quæ civitas adhuc stabat, fororum multitudine exornata, et dignitate amicta. Illud tamen ait : « Sion tanquam ager arabitur [3]; » prædicens id quod nostris temporibus impletum est. Et vide prophetiæ accuratam veritatem; ait enim : « Relinquetur filia » Sion, tanquam tentorium in vinea, et sicut tugurium vi- » gilum in cucumerario [4]. » et revera cucumerariis refertus nunc est locus. Vides-ne quomodo Sanctos illuminat Spiritus sanctus? Ne igitur nominis similitudine deceptus in alia abripiare, sed quod accurate verum est conserva.

XIX. Si aliquando sedenti tibi, de castitate aut virginitate succurrit cogitatio, illius doctrina est. Nonne multoties puella, jam ad nuptiales thalamos constituta, aufugit, illo de virginitate instruente? nonne persæpe homo in palatiis conspicuus, opes et dignitatem conspuit a Spiritu sancto edoctus? nonne plerumque adolescens speciosam formam conspiciens oculos compressit, et videre declinavit, et inquinamentum effugit? Unde illud factum, rogas? Spiritus

[1] Matth. x, 8. — [2] 4 Reg. v, 26. — [3] Mich. iii, 12. — [4] Isaï. i, 8.

sanctus adolescentis mentem edocuit. Tot sunt avaritiæ cupiditates in mundo, et paupertatem voluntariam sectantur Christiani. Quamobrem? propter Spiritus sancti intimam præceptionem. Pretiosa res vere Spiritus sanctus, bonus. Merito baptizamur in Patrem, et in Filium, et in Spiritum sanctum [1]. Homo corpus adhuc circumferens cum ferissimis multis luctatur dæmonibus; et sæpe dæmon qui ferreis vinculis a multis retineri non poterat, ab illo per virtutem Spiritus sancti in eo existentem, verbis precum retentus et domitus est : ac simplex exorcizantis insufflatio invisibili [hosti] ignis efficitur. Magnum igitur a Deo habemus auxiliatorem et protectorem; magnum Ecclesiæ doctorem, magnum pro nobis propugnatorem. Ne formidemus dæmonas, neque diabolum ; major est enim qui propugnator noster est. Tantum illi ostia aperiamus. « Circumit enim quærens dignos [2], » et requirens quemnam muneribus impertiat.

XX. Vocatur autem Paracletus [sive consolator] eo quod consoletur, hortatu erigat, et sublevet infirmitatem nostram. « Siquidem hoc ipsum, quid oraturi simus sicut » oportet, non novimus : verum ipse Spiritus intercedit » pro nobis gemitibus inenarrabilibus [3], » apud Deum nempe, ut res ipsa declarat. Sæpe propter Christum contumeliis affectus quispiam, injuste dedecori habitus est; martyrium imminet, tormenta undique, et ignis, et gladii, et bestiæ, et præcipitium. Sed Spiritus sanctus suggerit dicens : « Sustine Dominum [4], » o homo. Exigua sunt quæ [in te] fiunt, magna quæ donabuntur. Modici temporis laborem perpessus, æternum furorus es cum angelis. « Non » sunt dignæ perpessiones hujus temporis, ad gloriam quæ » erga nos revelanda est [5]. » Homini depingit regnum cœ-

[1] Matth. XXVIII, 19. — [2] Sap. VI, 17, juxta Vulgatam, et 16, juxta Græcum. — [3] Rom. VIII, 26. — [4] Psal. XXVI, 14. — [5] Rom. VIII, 18.

lorum, demonstrat et deliciarum paradisum [1]; ac martyres, corporeo quidem vultu judicibus necessario præsentes, virtute tamen et in potentia paradiso jam versantes, dura illa quæ videntur conspuebant.

XXI. Vis autem nosse Spiritus sancti potestate martyres testimonium reddere? Dicit ad Discipulos Salvator : « Cum traxerint vos ad synagogas, et magistratus ac po» testates, ne solliciti sitis qua defensione utamini, aut quid » dicatis. Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora, » quæ oporteat dicere [2]. » Impossibile est namque pro Christi testimonio martyrium perpeti, nisi per Spiritum sanctum quis perpetiatur. Si enim « Nemo potest dicere » Dominum Jesum Christum, nisi in Spiritu sancto [3]; » ecquis suam ipsius vitam pro Jesu daturus est, nisi in Spiritu sancto?

XXII. Magnum quiddam, et omnipotens in donis, et admirabile, Spiritus sanctus. Cogita quot nunc hic assidetis : quot animæ assumus. Unicuique convenienter operatur; et medius astans uniuscujusque compositionem videt [4]; videt et cogitationem et conscientiam, quidque et loquamur et mente agitemus. Magnum quidem est id quod modo dixi, sed adhuc tenue. Consideres velim mente ab eo illustratus, quot sint totius hujusce parœciæ Christiani; quotque totius provinciæ Palæstinæ. Rursus protende mentem ab hac provincia in totum Romanorum imperium; et ab hoc aspectum converte in mundum universum; Persarum genera, et Indorum nationes, Gothos et, Sauromatas, Gallos, Hispanosqne, Mauros et Afros, et Æthiopas, et reliquos quorum nec nomina novimus : multi sunt enim populi, quorum ne ipsa quibem nomina ad notitiam nostram devenere. Conspice cujusque gentis episcopos, presbyteros,

[1] Gen. II, 15. — [2] Luc. XII, 11, 12. — [3] I Cor. XII, 3. — [4] Agg. II, 6.

diaconos, monachos, virgines, et reliquos laïcos : et vide magnum rectorem ad præsidem, donorumque largitorem; quomodo in omni mundo illi pudicitiam, isti perpetuam virginitatem, huic misericordiam [vel eleemosynæ conferendæ studium,] alii paupertatis studium, alteri adversantium spirituum effugandi vim attribuit. Et quemadmodum lux uno radii conjectu omnia collustrat, sic et Spiritus sanctus eos, qui oculos habent, illuminat. Nam si quis cæcutiens gratia minime donatur, ne Spiritum ille, sed suam ipsius incredulitatem accuset.

XXIII. Vidisti potestatem illius, quam in universo mundo exercet. Jam ne humi defixa sit mens tua, sed et ad supera conscende. Cogitatione ascende usque in primum cœlum, et contemplare tam multa quæ ibi existunt innumerabilia Angelorum millia. Cogitatione etiam, si potes, ad altiora enitere. Conspice Archangelos, conspice et Spiritus; vide Virtutes, vide Principatus; vide Thronos, Dominationes vide. Horum omnium a Deo datus præfectus, et magister et sanctificator, Paracletus. Eo opus habent Elias, et Elisæus, et Hesaïas, ex hominum ordine; eo ex Angelorum sorte Michaël et Gabriel. Nulla generatarum [seu creatarum] rerum ipsi honore par. Nam omnia Angelorum genera, et exercitus omnes simul collecti, nullam cum Spiritu sancto paritatem æqualitatemque sustineant. Hæc omnia tegit et obscurat summe bona Paracleti potestas. Illi siquidem in ministerium mittuntur [1] : hic vero scrutatur etiam profunda Dei, sicut Apostolus ait : « Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim novit hominum ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in ipso? sic et quæ Dei sunt, nemo novit præter Spiritum Dei [2]. »

XXIV. Hic de Christo in Prophetis prædicavit : hic in Apostolis operatus est; hic ad hodiernam usque diem in

[1] Hebr. 1, 14. — [2] 1 Cor. 11, 10, 11.

baptismate animas obsignat. Et Pater quidem dat Filio, et Filius communicat Spiritui sancto. Ipse enim Jesus est, non ego, qui ait : « Omnia mihi tradita sunt a Patre meo [1]. » Deque sancto Spiritu dicit : « Cum venerit ille, Spiritus » veritatis, etc., ille me glorificabit, quoniam ex meo acci- » pit, et annuntiabit vobis [2]. » Pater per Filium cum sancto Spiritu omnia donat. Non alia sunt Patris dona, et alia Filii, aliaque Spiritus sancti. Una enim salus est, una potestas, fides una. Unus Deus, Pater; unus Dominus, unigena ejus Filius; unus Spiritus sanctus, Paracletus [3]. Atque ista nobis scire sufficiat : naturam vero vel substantiam ne sollicite anquirito. Si enim scriptum esset, diceremus; quod scriptum non est, non audeamus. Satis nobis est ad salutem nosse, quod est Pater, et Filius, et sanctus Spiritus.

XXV. Hic Spiritus in septuaginta seniores Mosis tempore descendit. (Sed prolixitas orationis, dilectissimi, ne vobis tædium pariat. Ipse autem, de quo loquimur, vim unicuique nostrum largiatur, et nobis qui dicimus, et vobis qui auditis.) Hic Spiritus, ut aiebam, delapsus est in illos septuaginta sub Moyse seniores. Hæc autem tibi dico ut illud nunc astruam, quod novit omnia et operatur sicut vult. Selecti sunt septuaginta seniores ; « Et descendit Do- » minus in nube, et abstulit de Spiritu, qui erat super Moy- » sen, et imposuit super septuaginta viros seniores [4] : » non diviso Spiritu, sed gratia [ejus] secundum suscipientes, et pro illorum vi ac potestate distributa. Verum aderant sexaginta octo, et prophetaverunt : Heldad vero et Modad aberant. Ut igitur declararetur non Moysen esse qui largiretur, sed Spiritum qui operabatur, Heldad et Modad, qui

[1] Matth. xi, 27.— [2] Joan. xvi, 13, 14.— [3] Ephes. iv, 5, et 1 Cor. viii, 6. — [4] Num. xi, 24, 25.

vocati quidem fuerant, nondum tamen occurrerant, prophetant ipsi quoque [1].

XXVI. Obstupuit Jesus Nave filius, Moysis successor [2], et accedens Moysi ait : « Audivisti quod Heldad et Modad prophetant? vocati sunt, et non occurrerunt : Domine mi » Moyses, prohibe illos [3]. » Ille autem : « Non possum eos prohibere. Cœlestis enim est gratia, tantumque ab eis prohibendis abhorreo, ut et ipse quoque habeam ex gratia. Atqui non puto te invidia commotum ista dixisse : « Ne tu » studio mei zelo accendaris [4], » quia prophetaverunt illi, tu vero nondum prophetas. Tempus præstolare : « Et quis » dabit omnem Domini populum prophetas esse, quando » dederit Dominus super illos Spiritum suum [5]? » Prophetice adjungit illud : « Quando dederit Dominus. » Nunc enim certe nondum dedit : tu igitur nondum habes. Ergo-ne Abraham, et Isaac, et Jacob, et Joseph non habuerunt? Qui ante illum extitere, nonne habebant? Verum palam est illud : « Quando dederit Dominus, » id significare, « Super omnes. » Nunc enim privata et restricta est gratiæ largitio : tunc autem effusa et abundans. Significabatur nempe id quod in Pentecoste apud nos futurum erat : nam et ipse apud nos descendit. Antea vero in multos quoque descenderat ; scriptum est enim : « Et Jesus Nave filius » repletus est Spiritu sapientiæ. Imposuit enim Moyses » manus super illum [6]. » Eamdem ubique tum in Veteri, tum in Novo Fœdere figuram designantem vides. Sub Moyse per impositionem manuum dabatur Spiritus. Et Petrus per impositionem manuum largitur Spiritum [7]. In te quoque qui baptizandus es, perventura est gratia. Quonam vero modo, non dico, nec enim tempus anteverto.

XXVII. Hic etiam in omnes Justos et Prophetas venit :

[1] Num. XI, 26. — [2] Ibid. 28. — [3] Ibid. 29. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Deut. XXXIV, 9. — [7] Act. VIII, 17.

Enos dico, Enoch, Noë et reliquos; Abraham, Isaac, Jacob. Nam quod et Joseph « In se Dei Spiritum habue» rit [1], » jam et ipse Pharao compertum habuit. De Moyse, et admirandis ejus ex Spiritu effectis sæpe audivisti. Hunc et fortissimus Job habuit, et omnes Sancti, etiamsi omnium nomina non percurramus. Hic et in tabernaculi structura missus, sapientia complevit Beseleel et socios sapientes [2].

XXVIII. In hujus Spiritus virtute, quemadmodum in Judicibus habemus, Othoniel judicavit [3], Gedeon roboratus est [4], Jephtaë victoriam reportavit [5], Debbora mulier bella tractavit [6]; et Sampson, dum adhuc juste operabatur, nec illum [Spiritum] contristabat, humanis viribus superiora egit [7]. Nam de Samuële et Davide aperte in Regnorum libris habemus, quomodo in Spiritu sancto prophetabant ipsi, et Prophetarum duces erant. Ac Samuël quidem « Videns » appellabatur [8]. David vero diserte: « Spiritus, inquit, Domini locutus est in me [9]. » Et in Psalmis : « Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me [10]. » Iterumque : « Spiritus tuus bonus deducet me in terra » recta [11]. » Et quemadmodum in Paralipomenis habemus, Spiritu sancto donati sunt Azarias sub rege Asaph [12]; et Oziel sub Josaphat [13]; et rursus alter Azarias qui lapidatus fuit [14]. Esdras vero ait : « Et Spiritum tuum bonum dedisti » ut erudires illos [15]. » De Elia vero qui assumptus est, atque Elisæo, spiritiferis et admirabilium rerum effectoribus, clarum est nobis etiam tacentibus, eos Spiritu sancto plenos extitisse.

XXIX. Si vero quisquam omnes tum duodecim, tum

[1] Gen. XLI, 38. — [2] Exod. XXXI, 2-6, et XXXVI, 1. — [3] Jud. III, 10. — [4] Id. VI, 34. — [5] Id. XI, 29 — [6] Id. IV, 4, et seq. — [7] Id. XIII, 25, et XIV, 6-19. — [8] 1 Reg IX, 9-11. — [9] 2 Reg. XXIII, 2. — [10] Psal. L, 13. — [11] Id. CXLII, 11. — [12] 2 Par. XV, 1. — [13] Id. XX, 14. — [14] Id. XXIV, 20, 21. — [15] 2 Esdr. IX, 20.

aliorum Prophetarum libros percurrerit, plurima de sancto Spiritu testimonia reperiet. Michæas quidem ex persona Dei ait : « Nisi ego impleverim fortitudinem in Spiritu Do» mini [1]. » Joël clamat : « Et erit post hæc, dicit Deus, » effundam de Spiritu meo super omnem carnem [2], etc. » Et Aggæus ait : « Idcirco quod ego vobiscum sum, dicit » Dominus omnipotens, et Spiritus meus interest in me» dio vestri [3]. » Zacharias similiter : « Verumtamen ser» mones meos et mandata mea recipite, quæcumque ego » præcipio in Spiritu meo servis meis Prophetis [4], » et alia.

XXX. Et Hesaïas ille vocalissimus præco : « Et requies» cet super eum Spiritus Dei : Spiritus sapientiæ et intel» ligentiæ, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ » et pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Dei [5], » significans eum quidem unum et indivisibilem esse, diversas tamen ejus effectiones, et iterum : « Jacob puer meus [6]. » Et postea : « Dedi Spiritum meum super illum [7]. » [Et rursus : « Ponam Spiritum meum] super semen tuum [8]. » Iterumque : « Et nunc Dominus omnipotens misit me, et » Spiritus ejus [9]. » Rursum : « Hoc illis a me testamentum, » dixit Dominus; Spiritus meus qui est super te [10]. » Et iterum : « Spiritus Domini super me, propterea unxit » me [11], » et quæ sequuntur. Et rursum in iis, quæ adversum Judæos ait : « Ipsi vero inobsequentes fuerunt, et ir» ritaverunt Spiritum sanctum ejus. « Et : « Ubi est qui » posuit in eis Spiritum sanctum [12] ? » Habes et in Ezechiele, (si tamen in audiendo jam delassatus non es), id quod jam commemoratum est : « Et cecidit super me » Spiritus, et dixit ad me : Dic : Hæc ait Dominus [13]. » Illud

[1] Mich. III, 8.— [2] Joël II, 28. — [3] Agg. II, 5, 6. — [4] Zach. I, 6. — [5] Isaï. XI, 2,3. — [6] Id. XLII, 1.— [7] Id. XLIV, 3.— [8] Id. XLVIII, 16. — [9] Id. LIX, 21.— [10] Id. LXI, 1. — [11] Id. LXIII, 10, 11.— [12] Ezech. XI, 5.

vero, « Cecidit super me, » recte est intelligendum, nimirum ut charitatem et clementiam designet; ac quemadmodum Jacob, reperto Josepho, « Cecidit super collum » ejus [1]; » et sicut in Evangeliis amantissimus ille pater, filium ex peregrinatione reversum « Cernens, misericordia » motus est, et currens cecidit super collum ipsius, et os» culatus est eum [2], » Rursumque in Ezechiele : « Et ad» duxit me in terram Chaldæorum ad captivos, in visione » in Spiritu Dei [3]. » Nam et alia prius, in his quæ de baptismate disseruimus, audisti : « Et aspergam super vos » aquam mundam, etc. Et dabo vobis cor novum, et spiri» tum novum dabo in vobis [4]. » Moxque : « Et Spiritum » meum dabo in vobis [5]. » Et iterum : « Et facta est super » me manus Domini, et eduxit me in Spiritu Domini [6]. »

XXXI. Idem sapientem effecit Danielis animam, ut seniorum judex esset adolescens. Damnata fuerat casta Susanna tanquam impudica. Vindex nullus : quis enim eam a principibus eripuisset ? Ad mortem ducebatur, in manibus lictorum jam erat [7]. Verum astitit auxiliator, Paracletus, Spiritus qui omnem intelligentem naturam sanctificat. « Huc ades, ait Danieli : juvenis seniores argue juvenilium peccatorum tabe infectos. Scriptum est enim : « Suscitavit » Deus Spiritum sanctum in puero juvenculo [8]. » Atque ut compendio percurramus, per Danielis sententiam pudica illa servata est. Testimonii causa hæc [verbo indicata] perstringimus; non enim hoc expositionis tempus. Agnovit et Nabuchodonosor esse in Daniele Spiritum sanctum. Ait enim ad eum : « Baltasar incantatorum prin» ceps, hoc ego cognovi quod Spiritus Dei sanctus in te » sit [6]. » Unum verum dixit, alterum falsum. Quod enim

[1] Gen. XLVI, 29. — [2] Luc. XV, 20. — [3] Ezech. XI, 24. — [4] Id. XXXVI, 25, 26. — [5] Ibid. 27.— [6] Id. XXXVII, 1. — [7] Dan. XIII, 41 et 45. — [8] Ibid. — [9] Dan. IV, 6.

Spiritum sanctum haberet, verum erat; non autem erat princeps incantatorum; magus namque non erat, sed ex Spiritu sapiens. Et antea quidem explicuerat illi visionem imaginis, quam ipse qui viderat nesciebat [1]. « Dic enim, » inquit, mihi visionem, quam ego, qui vidi, nescio [2]. » Vides sancti Spiritus potestatem. Quod ipsi qui videre nesciunt, ii qui non videre noverunt et interpretantur.

XXXII. Ac proclive esset bene multa ex Veteri Testamento colligere testimonia, et quæ ad Spiritum sanctum pertinent planius explicare. Verum parum temporis superest, et consulendum est ut vobis audiendi sit modus. Quapropter his, quæ ex veteri instrumento adduximus impræsentiarum contenti, ad eam, quæ superest ex novo, tractationem, si Deus faverit, in subsequenti Catechesi iterum accedemus. Deus autem pacis, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per charitatem Spiritus [3], vos omnes spiritalibus et cœlestibus dignetur donis. Cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Dan. II, 31. — [2] Id. V, 3 et 26. — [3] Rom. XV, 30.

CATECHESIS XVII.

ILLUMINANDORUM,

Hierosolymis extemporalis dicta; quæ de Spiritu sancto reliqua erant absolvens. Et lectio ex priori ad Corinthios : Huic quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ [1], *et quæ sequuntur.*

ARGUMENTUM.

I. *Hujus catechesis scopus.* II. *Spiritus sanctus, unus et indivisus. — Unus est Spiritus, quanquam sub diversis nominibus.* III. *Cur in fidei Symbolo dicitur :* In unum Spiritum, *etc.* IV. *Varia nomina Spiritus sancti.* V. *Spiritus sanctus, non evanidus flatus Patris aut Filii, sed vivens, et solida substantia præditus.* VI. *Spiritus sanctus in beata Virgine, Elizabeth, Joanne Baptista et Zacharia.* VIII. *Joannes ad hoc sanctificatus ut Dominum baptizaret. — Non conferebat Spiritum.* IX. *Spiritus sanctus in Christum baptismi tempore descendit.— Cur in columbæ specie Spiritus sanctus in Christum delapsus sit?* X. *Columbæ hujus figuram referebat columba illa tempore diluvii. — Principes ab ecclesiasticis viris ducuntur et docentur.* XI. *Christi voces de Spiritu sancto.* XII. *Spiritus sanctus Apostolis datus. — Prius statim post resurrectionem per insufflationem, sed non plena communicatione.* XIV. *Iterum vero die Pentecostes abundanti effusione.— Quomodo anima tota Spiritu baptizatur.* XVI. *Linguarum*

[1] 1 Cor. xii, 8.

donum. — Multitudo confluentium Hierosolymam ex omnibus mundi partibus. XVIII. *Comparatio doni linguarum per Spiritum cum babylonica linguarum confusione.* XVIII. *Apostoli Spiritui sancto vere inebriati. — Spiritus sancti in Novo Testamento quam in Veteri abundantior.* XX. *Proximum festum Paschatis.* XXI. *Conglobata sancti Spiritus operationum testimonia, ex Actibus Apostolorum et Epistolis ipsorum.* XXIV. *Spiritus sancti gratia in septem diaconis efficax.* XXV. *Eunuchus Æthiops Evangelii præco in patriam missus.* XXVI. *Spiritus sancti operationes in Paulo.* XXVII. *Petrus Apostolorum dux et cœli claviger. — Quæ Petrus ex sancto Spiritu operatus.* XXVIII. *Barnabas et Paulus Spiritu sancto animati.* XXIX. *Spiritus sanctus nos ab oneribus legis liberavit.* XXX. *Compendio referuntur gesta S. Pauli ex Spiritu, præmissa excusatione.* XXXII. *Paulus Spiritu sancto plenus : item omnes Apostoli, et qui eos subsecuti sunt in Trinitatem credentes.* XXXIII. *Spiritus sanctus subsistit, et vivit, et loquitur. — Varia et multiformis hæreticorum aberratio.* XXXIV. *Crebrior divinarum Scripturarum lectio ab studiosis. — Ordo Symboli verborum Sabellii errorem refellit.* XXXV. *Cavenda simulatio. — Omnibus locis, et per quoslibet datur baptismus.* XXXVII. *In baptismo non remissio tantum peccatorum, sed quandoque insigniora dona recipiuntur. — Fides est instar mercaturæ. — Spiritus sancti erga justos protectio.* XXXVIII. *Conclusio per invocationem sancti Spiritus.*

I. In præcedenti Catechesi [1] modicam quamdam testimoniorum ad Spiritum sanctum pertinentium partem, pro

[1] Vide D. Guillon, tom. VIII, pag. 410-412.

nostra virili parte auribus vestræ dilectionis proposuimus. In præsenti vero, ea quæ supersunt, ex Novo videlicet Testamento, Deo volente, quantum licebit attingemus. Tunc enim, ne in dicendo modum excederemus, propensum studium cohibuimus; inexhaustus enim de Spiritu sancto sermo. Nunc vero eorum, quæ restant, modicam iterum partem recitabimus : nostram enim tenuitatem rerum ex Scripturis depromendarum multitudine obrui nunc quoque ingenue fatemur. Humanis ratiocinationibus et inventis non utemur etiam hodierno die; minime enim expedit : sed divinarum duntaxat Scripturarum sententias memoriæ suggeremus. Hoc enim tutissimum, juxta beatum apostolum Paulum, qui ait : « Quæ et loquimur, non in sermonibus quos hu- » mana sapientia docet, sed quos docet Spiritus; spiritua- » libus spiritualia contendentes [1]. » Viatoribus porro ac navigantibus similia facimus; qui cum unum habent longinquissimi itineris scopum, ex destinato quidem properant; verum ob humanam infirmitatem variis urbibus ac portubus appellere consueverunt.

II. Nam etsi dividuntur habendæ de Spiritu sancto disputationes, ipse tamen indivisus est, cum unus idemque sit. Sicut enim cum de Patre dicebamus, alius nobis fuit de summo unicoque ejus principatu sermo; alius, quomodo Pater, aut omnipotens, dicitur; alius tandem quî sit universorum conditor : nec tamen ista Catecheseon divisio, fidei divisionem ullam significabat : unum enim erat, estque pietatis ac religionis propositum. Sicut etiam in his quæ de unigenito Dei Filio dissertavimus, modo ea quæ ad Divinitatem pertinent, modo quæ humanitatis sunt, docebamus; ita ut, dum in plures disceptationes, quæ de Domino nostro Jesu Christo erant dicenda partiremur, indivisam in ipsum fidem prædicaremus. Ita et nunc divisis de Spi-

[1] 2 Cor. II, 13.

ritu sancto Catechesibus, indivisam in ipsum annuntiamus fidem. Unus est enim et idem Spiritus, qui dona quidem sua « Peculiariter unicuique prout vult, dividit [1], » ipse autem indivisus manet. Non enim alius est Paracletus, præter Spiritum sanctum, sed unus et idem est, diversis appellationibus significatus : vivens et subsistens, et loquens, et operans; estque rerum omnium ratione præditarum, quæ a Deo per Christum factæ sunt, Angelorum atque hominum sanctificator.

III. Ne autem ob diversas sancti Spiritus appellationes, nonnulli ex ignorantia diversos hos Spiritus, et non unum ac eumdem, qui quidem solus est, arbitrarentur : idcirco Ecclesia catholica securitatis tuæ provida, tradidit in fidei confessione ut crederemus In unum sanctum Spiritum, Paracletum, qui locutus est in Prophetis : ut animadvertere possis multas quidem nuncupationes esse, unum vero solum Spiritum sanctum. De quibus appellationibus nunc vobis paucas e multis recitabimus.

IV. Vocatur quidem « Spiritus » juxta id quod modo lectum fuit : « Nam huic quidem per Spiritum datur sermo » sapientiæ [2]. » Dicitur autem « Spiritus veritatis, » sicut ait Salvator : « Cum autem venerit ille, Spiritus veritatis [3]. » Appellatur quoque « Paracletus, » ut idem dixit : « Si enim » ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos [4]. » Quod autem una et eadem res sit diversis nominibus appellata, palam ex his, quæ modo dicam, declaratur. Nam quod idem sit Spiritus sanctus et Paracletus, dictum fuit : « Paracletus autem ille, qui est Spiritus sanctus [5]. » Quod vero idem sit Paracletus cum Spiritu veritatis, dictum habetur : « Et alium Paracletum dabo vobis, ut vobiscum maneat in » æternum, Spiritum veritatis [6]. » Iterumque : « Cum autem

[1] 1 Cor. xii, 12. — [2] Ibid. 8. — [3] Joan. xvi, 13. — [4] Ibid. 7. — [5] Id. xiv, 26. — [6] Ibid. 16.

» venerit ille Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, » Spiritus veritatis [1]. » Vocatur autem « Spiritus Dei [2]. » sicut scriptum est : « Et vidi Spiritum Dei descendentem [3]. » Ac rursus : « Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, isti filii Dei sunt [4]. » Nominatur et « Spiritus Patris, » uti Servator ait : « Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus » Patris vestri, qui loquitur in vobis [5]. » Et iterum Paulus : « Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem [6], » et infra : « Ut det vobis, ut corroboremini per Spiritum ejus [7]. » Dicitur quoque « Spiritus Domini, » sicut ait Petrus : « Eccur » conspirastis inter vos, ut tentaretis Spiritum Domini [8] ? » Appellatur et « Spiritus Dei et Christi, » velut scribit Paulus : « Vos autem non estis in carne, sed in Spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si vero quis Spiritum » Christi non habet, hic non est ejus [9]. » Vocatur et « Spiritus Filii Dei, » sicut dicitur : « Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui [10]. » Nominatur etiam « Spiritus Christi, » sicut est scriptum : « In quod vel cujusmodi tempus declarabatur in eis Spiritus Christi [11], » Et rursus : « Per vestram deprecationem, et subministrationem » Spiritus Jesu Christi [12]. »

V. Præterea, plures alias sancti Spiritus nuncupationes reperias. Vocatur enim « Spiritus sanctificationis, » uti scriptum est : « Secundum spiritum sanctificationis [13]. » Dicitur et « Spiritus adoptionis, » ut ait Paulus : « Non enim accepistis spiritum servitutis ad timorem, sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus : Abba, Pater [14]. » Appellatur quoque « Spiritus revelationis, » quemadmodum scriptum est : « Det vobis spiritum sapientiæ et revelationis

[1] Joan. xv, 26. — [2] Id. I, 32. — [3] Matth. III, 16. — [4] Rom. VIII, 14. — [5] Matth. x, 20. — [6] Ephes. III, 14. — [7] Ibid. 16. — [8] Act. v, 9. — [9] Rom. VIII, 9. — [10] Gal. IV, 6. — [11] I Petr. I, 11. — [12] Philip. I, 19. — [13] Rom. I, 4. — [14] Id. VIII, 15.

» in cognitione ejus [1]. » Nominatur etiam « Spiritus promis» sionis, » sicut idem ait : « In quo et vos cum credidistis, » obsignati estis spiritu promissionis sancto [2]. » Vocatur et « Spiritus gratiæ, » velut cum rursus ait : « Et spiritum » gratiæ contumelia affecerit [3]. » Aliisque ejusdem modi pluribus appellationibus significatur. Audivisti perspicue, et in præcedenti Catechesi, eum in Psalmis quidem interdum « Bonum [4], » interdum vero « Principalem [5] » nominari. In Hesaïa vero : « Sapientiæ, et intelligentiæ, et consilii, et » fortitudinis, et scientiæ, et pietatis, et timoris Dei [6], » appellatum esse. Ex quibus omnibus, tum quæ prius, tum quæ modo diximus, conficitur diversas quidem appellationes esse, unum autem atque eumdem Spiritum sanctum, viventem et subsistentem, semperque Patri et Filio una præsentem. Qui non ab ore et labiis Patris aut Filii loquendo profertur aut efflatur, neque in aëra diffunditur; sed hypostasi præditus est, loquens ipse et operans, et dispensans, et sanctificans : cum indivulsa sit videlicet, et concors, unicaque salutis erga nos dispensatio, quæ ex Patre et Filio et sancto Spiritu existit, uti et antea diximus. Memores enim vos esse volo eorum, quæ nuper diximus, et diserte tenere non alium in lege et Prophetis, aliumque in Evangeliis et Apostolis esse; sed unum et eumdem Spiritum sanctum, qui in Veteri et Novo Testamento divinas Scripturas elocutus est.

VI. Hic Spiritus sanctus est qui in sanctam virginem Mariam venit. Cum enim Christus esset, Unigenitus, qui generabatur, « Virtus Altissimi obumbravit ei, et Spiritus sanctus adveniens in eam [7], » sanctificavit eam ad hoc, ut posset capere eum « Per quem omnia facta sunt [8]. » Non est mihi pluribus verbis opus, ut addiscas generationem

[1] Ephes. I, 17. — [2] Ibid. 13. — [3] Hebr. X, 29. — [4] Psal. CXLII, 11. — [5] Id. L, 14. — [6] Isaï. XI, 2, 3. — [7] Luc. I, 35. — [8] Joan. I, 3.

hanc ab omni sorde et contaminatione alienam extitisse : didicisti enim. Gabriel est qui ad eam ait : « Ego eorum, quæ sunt gerenda, nuntius et præco sum; non operationis socius. Nam tametsi Archangelus sim, at ordinis mei et officii gnarus sum. Et salvere quidem [vel gaudere] tibi denuntio ego : quomodo vero sis paritura, non ex mea est gratia : « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi ob» umbrabit tibi. Propterea et quod nascetur Sanctum, vo» cabimur Filius Dei [1]. »

VII. Hic Spiritus sanctus in Elizabeth efficaciam suam prodidit. Non enim solum virgines novit, sed etiam conjuges, modo legitimum conjugium sit. « Et repleta est Spi» ritu sancto Elizabeth [2], » et prophetavit, aitque de suo Domino præclara ancilla : « Et unde mihi hoc, ut veniat ad » me mater Domini mei [3] ? » se ipsam enim Elizabeth beatam prædicavit [4]. Eodem Spiritu repletus et Zacharias Joannis pater prophetavit, aiens quantorum futurus esset Unigenitus ille bonorum causa, addensque Joannem ejus per baptismum præcursorem fore [5]. Ab eodem Spiritu sancto « Responso admonitus etiam Symeon, justus ille, non » visurum se mortem prius quam videret Christum Domini; » eo in ulnas accepto [6], » in templo quæ ad eum attinebant, palam testificatus est.

VIII. Joannes vero qui « Spiritu sancto repletus est ex » utero matris suæ [7], » ad hoc sanctificatus est, ut Dominum baptizaret : non conferens Spiritum, sed eum, qui Spiritum conferebat, annuntians. Ait namque : « Ego vos baptizo in » aqua in pœnitentiam : qui autem post me venit, etc. ipse » vos baptizabit in Spiritu sancto et igni [8]. » Igni vero, quam ob causam? Quoniam in igneis linguis Spiritus sancti facta

[1] Luc. I, 35. — [2] Ibid. 41. — [3] Ibid. 43. — [4] Ibid. 45. — [5] Ibid. 67-76. — [6] Luc. II, 26-28, et 34, 35. — [7] Id. I, 15. — [8] Matth. III, 11.

est descensio [1]. Qua de re dicit gaudens Dominus : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo si jam accensus est [2]. »

IX. Hic Spiritus sanctus delapsus est, cum Dominus baptizaretur [3], ne illius, qui baptizabatur, lateret dignitas, juxta id quod Joannes ait : « Sed qui misit me ut baptizarem in aqua, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto [4]. » Verum quid Evangelium dicat, vide. « Aperti sunt cœli. » Aperti propter dignitatem ejus qui descendit. « Ecce enim, inquit, aperti sunt cœli : et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super ipsum [5] : » descensu videlicet ex propria suaque ipsius motione profecto. Oportebat enim, ut interpretati sunt nonnulli, primitias et prima Spiritus sancti, qui baptizatis tribuitur, dona humanitati Salvatoris, qui ejusmodi gratiam confert, exhiberi. Descendit autem fortassis in specie columbæ, ut quidam aiunt, puræ et innocentis et simplicis, suisque precibus pro generatis filiis et peccatorum condonatione, cooperantis [columbæ] figuram et exemplum demonstrans : quemadmodum ænigmatice præditum est, Christum quoad oculorum speciem eo modo ostensum iri. Nam in Canticis de Sponso acclamat, et dicit : « Oculi tui, similes columbis super plenitudines aquarum [6]. »

X. Hujus [columbæ] secundum nonnullos figuram aliqua ex parte præferebat, illa, de qua in Noëmi historia, columba. Nam sicut ejus temporibus per lignum et aquam illis hominibus facta est salus, et novæ generationis initium ; et columba ad ipsum sub vesperam reversa est, olivæ folium gestans [7] : sic, inquiunt, et Spiritus sanctus des-

[1] Act. II, 3. — [2] Luc. XII, 49. — [3] Matth. III, 16. — [4] Joan. I, 33. — [5] Matth. III, 16. — [6] Cant. V, 12. — [7] Gen. VIII, 8-10.

cendit in verum Noë, secundæ generationis auctorem; qui diversorum generum voluntates atque indoles in unum colligit; cujus studiorum diversitatis figuram gerebant dissimiles inclusorum in arca animantium naturæ. Qui postquam advenit, spiritales lupi una cum agnis pascuntur. Cujus Ecclesia habet vitulum et taurum una cum leone simul pascentes[1]: sicut ad hodiernam usque diem cernimus mundi principes ab Ecclesiæ viris duci et doceri. Descendit igitur, velut nonnulli interpretantur, intelligibilis columba in tempore baptismatis; ut ostenderet eumdem esse qui per lignum crucis salutem credentibus confert, et qui sub vesperam per suam mortem salutem esset collaturus.

XI. Ac de illis quidem fortassis etiam alia ratione disserendum. Ipsius vero nunc Servatoris præstat audire de Spiritu sancto sermones. Ait enim: « Nisi quis generatus » fuerit ex aqua et Spiritu, non ingredietur in regnum Dei[2]. » Et quod a Patre ea gratia sit, ait: « Quanto magis Pater, » qui de cœlo est, dabit Spiritum sanctum flagitantibus a » se[3]. » Et quod Deus in spiritu adorandus sit, dicit: « Sed » venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt » Patrem in spiritu et veritate; nam et Pater tales quærit » qui adorent eum. Spiritus est Deus, et qui adorant eum, » in spiritu et veritate oportet adorare[4]. » Et iterum: « Si » autem ego in spiritu Dei ejicio dæmonia; » et mox in consequentibus: « Propter hoc dico vobis, omne peccatum et » blasphemia dimittetur hominibus: at Spiritus blasphemia » non dimittetur. Et quicumque dixerit verbum adversus » Filium hominis, remittetur illi: quicumque autem dixe» rit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, » neque in hoc sæculo, neque in futuro[5]. » Et rursus ait:

[1] Isaï. xi, 6, et lxv, 26. — [2] Joan. iii, 5. — [3] Luc. xi, 13. — [4] Joan. iv, 23, 24. — [5] Matth. xii, 28-32.

« Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, » ut vobiscum sit in æternum : Spiritum veritatis, quem » mundus non potest accipere, quia non videt eum nec » novit eum. Vos autem cognoscitis eum, quia apud vos » manet, et in vobis erit [1]. » Et iterum dicit : « Hæc locutus » sum vobis apud vos manens. Paracletus vero, Spiritus » sanctus, quem mittet Pater in nomine meo; ille vos do- » cebit omnia, et reducet vobis in memoriam omnia quæ » dixi vobis [2]. » Rursumque ait : « Cum autem venerit Para- » cletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritus veritatis, » qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.[3] » Iterumque Salvator : « Si enim ego non abiero, Paracletus » non est venturus ad vos. Et cum venerit ille, arguet mun- » dum de peccato, et de justitia, et de judicio [4]. » Et iterum in consequentibus : « Adhuc multa habeo vobis dicenda; » sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille, » Spiritus veritatis, edisseret vobis omnem veritatem. Non » enim a semetipso loquetur : sed quæcumque audiet lo- » quetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me » glorificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. » Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt : propterea dixi vobis, quod de meo accipiet, et annuntiabit vobis [5]. » Ipsius nunc Unigeniti tibi voces legi, ut humanis jam sermonibus non attendas.

XII. Hujus sancti Spiritus communicationem Apostolis impertivit; scriptum namque est : « Et cum hoc dixisset, » insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum : Quo- » rumcumque remiseritis peccata, remittuntur eis; quo- » rumcumque retinueritis, retenta sunt [6]. » Altera hæc insufflatio est, quoniam prior voluntariis peccatis obscurata fuerat [7]; ut impleretur quod est scriptum : « Ascendit suf-

[1] Joan. XIV, 16, 17. — [2] Ibid. 25, 26. — [3] Id. XV, 26. — [4] Id. XVI, 7, 8. — [5] Ibid. 12-15. — [6] Id. XX, 22. — [7] Gen. II, 7.

flans in faciem tuam, liberans te ab afflictione[1]. » Illud autem, « Ascendit, » undenam scilicet? Ex inferno. Sic enim narrat Evangelium, quod post resurrectionem tunc insufflavit. Verum dat equidem hoc tempore gratiam; adjiciet vero auctuarium abundantius, aitque ad illos : « Paratus quidem sum nunc quoque vobis dare : sed nondum vas capere potest. Hactenus igitur « Accipite » gratiam, quantam capitis; ampliorem vero expectate. « Vos autem sedete in » civitate Hierusalem, donec induamini virtutem ex alto[2]. » Nunc « Accipite » ex parte; tunc integre, et in totum feretis. Nam is, qui « Accipit, » persæpe habet ex parte id quod datur; qui vero induitur, a stola undique circumtegitur. Ne metuatis, inquit, arma diaboli et jacula; feretis enim virtutem Spiritus sancti. (Memores vero estote eorum, quæ non ita pridem dicebamus, quod Spiritus sanctus non dividitur, sed tantum gratia per eum collata.)

XIII. Ascendit igitur Jesus in cœlos, et promissum implevit; dixerat enim ad illos : « Ego rogabo Patrem, et alium » Paracletum dabit vobis[3]. » Sedebant expectantes sancti Spiritus adventum : « Cumque compleretur dies Pentecos» tes[4], » hic, in civitate ista Hierusalem, (nostra enim est hæc quoque prærogativa : loquimurque non de his, quæ apud alios contigerunt, sed de concessis apud nos bonis.) Pentecoste igitur cum esset, sedebant; et advenit e cœlo Paracletus : custos et sanctificator Ecclesiæ, animarum moderator, eorum, qui fluctibus et tempestate jactantur, gubernator; errantium collustrator, certantium pugnæ arbiter, et vincentium coronator.

XIV. Descendit vero ut indueret virtute, et ut baptizaret Apostolos. Ait Dominus : « Vos baptizabimini in Spiritu » sancto, post dies hosce non multos[5]. » Non hæc dimidiata

[1] Nahum. II, 1. — [2] Luc. XXIV, 49. — [3] Joan. XIV, 16. — [4] Act. II, 1, 2. — [5] Id. I, 5.

et quasi ex parte gratia, sed integra et ex toto effusa potestas. Sicut enim is, qui in aquis immergitur et baptizatur, undequaque ab aquis cingitur; sic et illi a Spiritu baptizati et obvoluti perfecte sunt. Atqui aqua exterius corpori circumfunditur : Spiritus vero etiam intus latentem animam sine ullo defectu perfundit et baptizat. Et quid miraris? accipe corporeum exemplum, tenue quidem et humile, simplicioribus tamen non inutile. Si ignis ferri crassitudinem intus permeans, totum in eo efficit ignem, quodque metallum frigidum erat, fervidum efficitur, et quod nigrum et obscurum, collucens evadit : si ignis cum corpus sit, in ferri corpore se insinuans, ita absque impedimento operatur; quid admiraris, si Spiritus sanctus in animæ interiora ingreditur?

XV. Ut autem tantæ, quæ descendebat, gratiæ non ignoraretur magnitudo, tuba velut cœlestis insonuit. « Factus » est enim repente de cœlo sonitus tanquam ruentis flatus » vehementis [1], » significantis adventum ejus, qui hominibus impertit ut cum violentia rapiant regnum Dei [2] : ut et oculi viderent igneas linguas, et aures sonitum audirent. « Et » replevit totam domum ubi erant sedentes [3]. » Facta est intelligibilis undæ receptaculum ea domus. Discipuli intus sedebant, et domus tota impleta est. Baptizati sunt igitur et mersi absque ullo defectu, juxta pollicitationem. Induti sunt in anima et corpore divinum et salutare indumentum [4]. « Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ velut ex igne, seditque supra singulos eorum, et repleti sunt omnes Spiritu » sancto [5]. » Ignem receperunt non urentem, sed salutarem, qui peccatorum spinas exterminans, animam nitentem reddit et splendidam. Hic ad vos quoque modo venturus est; ac dum vestra peccata spinarum instar concidet et

[1] Act. II, 2. — [2] Matth. XI, 12. — [3] Act. II, 2. — [4] Id. I, 5. — [5] Id. II, 3, 4.

absumet, pretiosum animæ vestræ fundum magis nitentem effecturus est, et gratiam vobis daturus; dedit enim tunc et Apostolis. In linguarum vero ignitarum specie ipsis insedit, ut spiritualia novi generis diademata per linguas igneas in capite redimerentur. Flammeus antea gladius paradisi aditu interdicebat [1] : lingua ignea salutis conciliatrix gratiam illam redintegravit.

XVI. « Et cœperunt loqui alteris linguis, prout Spiritus » dabat illis eloqui [2]. » Galilæus Petrus et Andreas, vel persice vel medice loquebatur. Joannes cæterique Apostoli quavis lingua loquebantur, iis qui ex [variis] gentibus erant. Non enim nunc cœpit exterarum gentium multitudo huc ex omnibus partibus congregari, sed jam ab illis temporibus. Ecquis tantus doctor reperiatur, qui extemplo doctrinam infundat eorum, quæ non addidicerint audientes? Tot insumuntur anni, ut per grammaticam et alias artes, græce solummodo recte loqui addiscatur; neque tamen omnes similiter loquuntur : verum rhetor fortassis assequitur ut belle dicat, at grammaticus interdum non belle; grammaticæque peritus philosophicarum insciens est disciplinarum. At Spiritus sanctus simul multas docuit linguas, quas illi homines toto tempore [ætatis] non noverunt. Hoc vere sapientia magna est, hoc virtus divina. Quæ institui comparatio potest, inter illam eorum post multum tempus imperitiam; hancque repentem, multiplicem, ac inauditam linguarum se exerentem vim?

XVII. Facta est in eorum, qui audierant, multitudine confusio [3]. Confusio altera, opposita priori illi pravæ in Babylone confusioni. In illâ siquidem linguarum confusione, animorum ac voluntatum divisio fuit, quandoquidem inimica Deo fuerat concepta cogitatio [4]. Hic vero restitutæ et adunatæ mentium sententiæ, quoniam pium erat quod

[1] Gen. III, 24. — [2] Act. II, 4. — [3] Ibid. 6. — [4] Gen. XI, 7-9.

properabatur studium. Per quæ contigit casus, per eadem reversio. Hinc admirabantur dicentes : « Quomodo nos au» dimus loquentes illos[1] ? » Miri nihil si vos ignoratis. Nam et Nicodemus Spiritus accessum ignoravit; atque ipsi dictum est : « Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis; » sed nescis unde venit et quo vadit[2]. » Si autem, et quando vocem ejus exaudio, unde veniat ignoro; quid ipse secundum substantiam sit, quomodo explanare possim?

XVIII. « Alii autem irridentes dicebant : Musto pleni » sunt[3]. » Vera quidem dicebant, sed jlocaliter. Novum enim vere vinum erat, Novi Testamenti gratia. Verum novum istud vinum ex intelligibili vinea erat, quæ sæpe in Prophetis jam fructum tulerat, et in Novo Testamento germinavit[4]. Nam sicut, sensibili exemplo inhærendo, vinea eadem semper manet, et secundum temporum mutationes novos semper parturit fructus : sic idem Spiritus manens id quod est, cum et in Prophetis sæpe vim exeruerit, nunc novi quidpiam et admirandi designavit. Antea quidem et in Patres gratia pervenit : nunc vero cum exuperantia. Ibi siquidem sancti Spiritus participationem recipiebant; hic vero integre ac plene baptizati fuere.

XIX. Sed Petrus qui Spiritum sanctum habebat, ejus quod habebat plane gnarus ait : « Viri Israëlitæ, » qui Joëlem prædicatis, et quæ Scripturarum sunt nescitis, « Non » sicut vos existimatis, isti ebrii sunt[5]. » Ebrii sunt enim, non sicut vos suspicamini, sed sicut scriptum est : « Ine» briabuntur ab pinguedine domus tuæ, et ex torrentibus » deliciarum tuarum potabis eos[6]. » Ebrii sunt sobria ebrietate, quæ peccatum interimit et cor vivificat, ebrietati corporeæ plane contraria. Nam hæc etiam rerum, quas novimus, oblivionem inducit; ista vero incognitarum etiam

[1] Act. II, 8. — [2] Joan. III, 8. — [3] Act. II, 13. — [4] Matth. IX, 17. — [5] Act. II, 14, 15. — [6] Psal. XXXV, 9.

scientiam impertit. Ebrii sunt epoto intelligibilis vitis vino, quæ ait : « Ego sum vitis, et vos palmites[1]. » Quod si mihi dicenti non creditis, ex ipsa temporis circumstantia quod dico intelligite. « Est enim hora diei tertia[2]. » Qui enim hora tertia crucifixus est, ut Marcus ait, tertia nunc hora gratiam misit[3]. Non enim alia illius, et alia hujus gratia; sed qui tunc crucifixus est, et promiserat, id quod fuerat pollicitus implevit. Si vero et testimonium accipere optatis, audite, inquit : « Sed hoc est quod dictum est per prophe- » tam Joël : Et erit post hæc, dicit Deus, effundam de » Spiritu meo[4]. » (Illud vero, « Effundam, » copiosam designat donationem. « Non enim ad mensuram dat Deus » Spiritum. Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu » ejus[5]. » Dedit autem illi potestatem etiam conferendi sanctissimi Spiritus gratiam, quibus voluerit.) « Effundam de » Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii » vestri et filiæ vestræ. » Et in sequentibus : « Et quidem » super servos meos et super ancillas meas, in diebus illis » effundam de Spiritu meo, et prophetabunt[6]. » Spiritus sanctus personas non respicit; non enim dignitates quærit, sed animæ pietatem. Neque divites intumescant, neque pauperes animo dejiciantur : tantum unusquisque se ipsum apparet ad suscipiendam cœlestem gratiam.

XX. Multa quidem sunt hodie a nobis disputata, et aures forte fatigatæ sunt : plura vero supersunt adhuc; atque ad absolvendam de Spiritu sancto doctrinam tertia etiam et pluribus Catechesibus vere esset opus. At detur nobis venia de utroque. Nam cum proxime instet sanctum Paschatis festum, idcirco et hodie sermonem produximus; et omnia, quotquot oportebat, et Novo Fœdere testimonia in medium

[1] Joan. xv, 15.— [2] Act. ii, 15. — [3] Marc. xv, 25. — [4] Act. ii, 16, 17, et Joël, ii, 28. — [5] Joan. iii, 34, 35. — [6] Act. ii, 17, 18, et Joël, ii, 28, 29.

adducere non licuit. Restant enim nobis multa ex Actibus Apostolorum, in quibus gratia Spiritus sancti in Petro, et in omnibus simul Apostolis, efficaciter operata est. Supersunt multa et de Catholicis, et de quatuordecim Pauli Epistolis : de quibus nunc pauca, tanquam ex ingenti prato, in memoriam solummodo reducentes, deflorare conabimur.

XXI. Nam in virtute Spiritus sancti, Patris et Filii voluntate, « Stans Petrus cum undecim, et vocem suam ex» tollens [1], (secundum illud : « Exalta in fortitudine vocem » tuam, qui evangelizas Hierusalem [2]) spiritali sermonum reti animas circiter ter mille cepit. Cum tanta in omnibus simul Apostolis gratia operaretur [3], ut ex Judæis, illis videlicet qui Christum crucifixerant, tam multi crederent; et in nomine Christi baptizarentur, et perseverarent in doctrina Apostolorum et orationibus [4]. In eadem rursus sancti Spiritus virtute Petrus et Joannes cum ascendissent in templum ad horam orationis nonam, eumque qui in Speciosa porta, ex matris utero ab annis quadraginta claudus erat, sanavissent [5]; (ut impleretur quod dictum est : « Tunc sa» liet sicut cervus claudus [6] :) spirituali doctrinæ sagena quinque simul credentium millia comprehenderunt [7]; atque principes populi et summos sacerdotes errore abductos convicerunt [8]; non propriæ sapientiæ vi; illitterati enim et idiotæ erant [9], sed per Spiritus efficaciam. Scriptum est enim : « Tunc Petrus repletus Spiritu sancto dixit ad eos [10]. » Tantaque per duodecim Apostolos, Spiritus sancti in iis, qui crediderant, operata est gratia, ut esset cum illorum cor et anima una, tum vero promiscuus bonorum usus : cum videlicet possessores pretia possessionum religiose

[1] Act. II, 14. — [2] Isaï. XL, 9. — [3] Act. II, 41. — [4] Ibid. 42. — [5] Id. III, 2-11. — [6] Isaï. XXXV, 6. — [7] Act. IV, 4. — [8] Id. V, 21. — [9] Id. IV, 13. — [10] Ibid. 8.

offerrent, nullusque in ipsis esset egens[1]; atque Ananias et Sapphira, Spiritum sanctum fallere aggressi[2], consentaneam sustinuissent ultionem.

XXII. « Per manus autem Apostolorum fiebant signa et » prodigia multa in populo[3] : » tantaque Apostolis circumfusa erat Spiritus gratia, ut quamvis mites, terrori essent tamen. (Nam « Cæterorum nemo audebat se conjungere » illis, sed magnificabat eos populus.) Adjungerentur vero » credentium Domino virorum et mulierum turbæ; im- » plerenturque plateæ infirmis, qui in lectulis et grabatis » exponebantur, ut venientis Petri vel umbra obumbraret » quemquam illorum[4]. » Ad hæc, conveniret et multitudo vicinarum civitatum in hanc sanctam Hierusalem, deferentium infirmos vexatosque a spiritibus immundis, qui sanabantur omnes in hac Spiritus sancti virtute.

XXIII. Rursum duodecim Apostoli, propter Christi prædicationem a principibus sacerdotum in carcerem conjecti, et ab Angelo noctu præter opinionem inde educti[5]; atque ad tribunal e templo ad eos protracti, intrepide, in his, quæ ad eos de Christo dixerunt, reprehensione illorum sunt usi[6]. Cumque addidissent, quod « Etiam Spiritum » sanctum dedit Deus obedientibus sibi[7]; » cæsique essent verberibus : abibant gaudentes, nec cessabant docere et evangelizare Christum Jesum[8].

XXIV. Neque vero in duodecim tantum Apostolis efficax fuit sancti Spiritus gratia : verumetiam in primogenitis hujusce aliquando sterilis Ecclesiæ filiis, septem inquam diaconis. Hi enim electi sunt, ut ait Scriptura, « Pleni Spiritu sancto et sapientia[9]. » E quibus ille a corona digne appellatus Stephanus, Martyrum primitiæ,

[1] Act. IV, 32-35. — [2] Id. V, 1-11. — [3] Ibid. 12. — [4] Ibid. 13-16. — [5] Ibid. 17-19. — [6] Ibid. 21-31. — [7] Ibid. 32. — [8] Ibid. 40-42. — [9] Id. VI, 3.

« Vir plenus fide et Spiritu sancto, faciebat prodigia et » signa magna in populo, » secumque disputantes debellabat : « Non enim poterant resistere sapientiæ, et Spiritui » quo loquebatur [1]. » Calumniis vero appetitus et in judicium productus, angelicis micabat fulgoribus. (Nam « Intuentes in eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt » faciem ejus tanquam faciem Angeli [2].) » Post quam vero sapienti sui apologia, « Duræ cervicis, et corde atque auribus » incircumcisos Judæos, qui Spiritui sancto semper re» sistunt [3], » confutasset; cœlos apertos conspexit, viditque Filium hominis stantem a dextris Dei. Vidit autem non ex propria virtute, sed, ut divina dicit Scriptura : « Cum autem plenus esset Spiritu sancto, intentis in » cœlum oculis, vidit gloriam Dei, et Jesum stantem a dex» tris Dei [4]. »

XXV. In eadem Spiritus sancti virtute, etiam Philippus in nomine Christi [5], aliquando in civitate Samariæ ejiciebat « Impuros spiritus voce magna clamantes [6] ; » paralyticosque ac claudos curavit, et multas eorum, qui crediderant, turmas Christo adjunxit [7]. Ad quos cum descendissent Petrus et Joannes, per orationem et manuum impositionem Spiritus sancti participationem illis tradidere; qua solus Simon magus merito alienus declaratus est. Alias vero idem ab Angelo Domini vocatus in itinere, propter religiosissimum illum Æthiopem eunuchum, ab ipso Spiritu sancto perspicue audivit : « Accide, et adjunge te ad » currum istum [8] ; » docuitque Æthiopem et baptizavit, inque Æthiopiam Christi præconem misit, juxta illud quod scriptum est : « Æthiopia præmittet manum suam Do» mino [9]; » et raptus ab Angelo, reliquis ex ordine civitatibus Evangelium prædicabat [10].

[1] Act. VI, 5, et 8-10. — [2] Ibid. 15. — [3] Id. VII, 51. — [4] Ibid. 55. — [5] Id. VIII, 5-7. — [6] Ibid. 8. — [7] Ibid. 12. — [8] Ibid. 29. — [9] Psal. LXVII, 32. — [10] Act. VIII, 39, 40.

XXVI. Eodem Spiritu sancto repletus quoque Paulus fuit, post suam a Domino nostro Jesu Christo vocationem. Testisque nobis hujus rei accedat pius ille Ananias, qui Damasci versabatur, ad eum aiens : « Dominus misit me » Jesus, qui visus est tibi in via qua veniebas, ut visum re» cipias et implearis Spiritu sancto [1]. » Qui quidem confestim operatus, tum obcœcatos Pauli oculos ad reparati luminis usum traduxit, tum ejus animæ sigillum impertiens ; « Vas electionis » effecit ; ut Domini, qui ipsi apparuerat, nomen coram regibus et filiis Israël ferret : eumque, qui prius persecutor extiterat, præconem et servum bonum reddidit. Qui ab Hierosolymis in Illyricum usque Evangelium implevit [2] ; regiamque Romam institutis imbuit, et in Hispaniam usque promptam prædicandi voluntatem extendit. Mille præterea labores adivit, signaque et prodigia effecit ; de quo hæc interim dicta sufficiant.

XXVII. In virtute igitur ejusdem Spiritus sancti, Apostolorum princeps et regni cœlorum claviger Petrus, in Lydda, quæ nunc Diospolis appellatur, in Christi nomine paralyticum Æneam sanitati restituit : in Joppe vero Tabitham, illam bonorum operum effectricem, a mortuis excitavit [3]. Cumque in domus fastigio esset, mentis excessu raptus, cœlum apertum vidit [4] ; ac per demissum, in lintei modum, vas multarum formarum ac naturarum animantibus plenum, neminem, tametsi e Græcis foret, communem aut immundum dici hominem oportere perspicue addidicit. Accersitusque a Cornelio, ab eodem Spiritu sancto diserte audivit : « Ecce viri quærunt te : surge itaque, des» cende, et vade cum illis nihil hæsitans, quia ego misi » illos [5]. » Atque ut palam declararetur eos etiam, qui ex gentibus credunt, Spiritus sancti gratiæ participes fieri,

[1] Act. IX, 17. — [2] Ibid. 15. — [3] Rom. XV, 19. — [4] Act. IX, 32, 35, 36, 42. — [5] Id. X, 9-16. — [6] Ibid. 20.

cum Petrus Cæsaream appulisset, et quæ ad Christum spectant doceret; de Cornelio et iis, qui aderant una, ait Scriptura : « Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spi- » ritus sanctus in omnes qui sermonem audiebant [1]; » ita ut qui ex circumcisis cum Petro venerant, mirarentur, et obstupescentes dicerent : « Quoniam et in gentes donum » sancti Spiritus effusum est [2]. »

XXVIII. In Antiochia vero Syriæ civitate nobilissima, cum Christi prædicatio mire operaretur, isthinc [Hierosolyma] bonæ operationis adjutor Antiochiam usque missus est Barnabas, « Vir bonus, et plenus Spiritu sancto et » fide [3]. » Qui multam credentium in Christum messem videns, succenturiatum e Tarso Paulum Antiochiam adduxit [4]. Cum vero frequens ab ipsis multitudo in Ecclesia præceptis instituta et collecta fuisset, « Factum est ut discipuli » Antiochiæ primum cognominarentur Christiani [5]; » Spiritu sancto, credo, prænuntiatum a Domino nomen novum credentibus imponente [6]. Et cum plurima a Deo effunderetur Antiochiæ Spiritus gratia [7], erant ibi prophetæ et doctores, quibuscum etiam Agabus [8]. « Sacrificantibus au- » tem illis Domino et jejunantibus, dixit Spiritus sanctus : » Segregate mihi Barnabam et Paulum in opus ad quod » advocavi eos [9]. » Cumque impositæ fuissent illis manus, « Emissi sunt a Spiritu sancto [10]. » Palam inde est, quod Spiritus, qui dicit et mittit, vivens sit et subsistens, et cum efficacia operans, uti diximus.

XXIX. Idem Spiritus sanctus, qui ex consensu Patris et Filii Novum Testamentum in Ecclesia catholica excitavit [11], liberavit nos ab difficilibus ad ferendum legis oneribus. Iis dico quæ mundum et immundum, cibosque spec-

[1] Act. x, 44. — [2] Ibid. 45. — [3] Id. xi, 22-24. — [4] Ibid. 23-25. — Ibid. 26. — [6] Isaï. lxv, 15, 16. — [7] Act. xiii, 1. — [8] Id. xi, 28. — [8] Id. xiii, 2, 3. — [9] Ihid. 4. — [10] Rom. viii, 2.

tant; a sabbatis et noviluniis, et circumcisione, aspersionibus, et sacrificiis [1]. Quæ pro ratione temporis data, umbram habebant futurorum bonorum [2]; accedente autem veritate, merito subtracta sunt. Cum enim, propter excitatam Antiochiæ quæstionem, ab iis, qui aiebant necessarium esse circumcidi et Moysis consuetudines observare, missi essent Paulus et Barnabas [3]; Apostoli qui isthic in Hierosolymis erant, ab universo legis et figurarum instructu, per conscriptam Epistolam orbem totum liberaverunt [4]. Neque vero sibi ipsis tantæ molis rei auctoritatem tribuere, sed epistola scripto data ita confitentur: « Visum » est enim Spiritui sancto et nobis, ne quid amplius vobis » imponeremus oneris, quam hæc necessaria; videlicet ut » abstineatis ab iis, quæ sunt idolis immolata, et a san» guine, et suffocato, et fornicatione [5]. » Per ea, quæ scripserunt, hoc aperte indicantes, quod tametsi per homines Apostolos illud scriptum erat, tamen ex Spiritu sancto præceptum esset ad totum orbem pertinens; quod Paulus et Barnabas sumentes in universum orbem delatum firmavere.

XXX. Huc devecto sermone, dari mihi veniam a vestra dilectione precor, imo vero potius ab inhabitante in Paulo Spiritu sancto; si non possim omnia persequi, tum ex tenuitate mea, tum vestra, qui auditis, defatigatione prohibitus. Quando enim pro dignitate explicaverim, admiranda ejus in nomine Christi ex Spiritus sancti operatione gesta? Quæ in Cypro erga Elymam magum [6], et quæ Lystris in claudi curatione [7]; et in Cicilia [8], et Phrygia [9], et Galatia, et Mysia [10], et Macedonia gessit [11]; vel quæ in Philippensi civitate: prædicationem ejus dico, et Pythonis in nomine

[1] Hebr. IX, 10. — [2] Id. X, 1. — [3] Act. XV, 1, 2. — [4] Ibid. 6 et 30. — [5] Ibid. 28, 29. — [6] Id. XIII, 5-13. — [7] Id. XIV, 7-11. — [8] Id. XV, 41. — [9] Id. XVI, 6. — [10] Ibid. 7. — [11] Ibid. 9-11.

Christi ejectionem; noctuque post terræ motum datam custodi carceris cum tota domo sua per baptismum salutem [1] : aut quæ Thessalonicæ, et ejus in mediis Atheniensibus in Areopago concionem [2] : vel ejus in urbe Corintho, totaque in Achaïa docendi labores [3] ? Quomodo vero dicendo assequar eas, quæ per Paulum Ephesi effectæ sunt a Spiritu sancto, operationes [4] ? Quem quidem [Spiritum sanctum] ante nescientes qui illic erant, per doctrinam Pauli cognovere. Post quam vero imposuisset illis manus Paulus, et venisset super eos sanctus Spiritus, « Loquebantur lin» guis et prophetabant [5]. » Tantaque super eo gratia Spiritus erat, ut non solum contactus ipsius sanitatem refunderet; verumetiam delata a carne ejus sudaria et semicinctia morbos curarent, et mali spiritus abigerent [6]. Quin et ii, qui curiosas exercuerant, comportantes libros coram omnibus exurerent [7].

XXXI. Prætercurro et Troade gesta erga Eutychum, qui somno degravatus, tertioque e tabulato deorsum lapsus, mortuus sublatus est, et a Paulo incolumitati redditus [8]. Prætermitto eam, quam presbyteris Ephesi Miletum vocatis exposuit, prophetiam [9]; quibus diserte ait : « Quoniam Spi» ritus sanctus per singulas civitates testificatur mihi, dicens, » quod [10], etc. » per hæc enim verba, « Per singulas civita» tes » significavit Paulus mira, quæ in unaquaque civitate effecit, ex Spiritus sancti efficientia prodire; nutu Dei, et in nomine Christi in ipso loquebatur. Ex hujus sancti Spiritus vi, idem Paulus in hanc sanctam civitam Hierusalem properabat [11]; quamvis Agabus ex Spiritu ipsi eventura prophetaret [12] : Christi vero cum fiducia doctrinam in po-

[1] Act. XVI, 12-14 et 19, et 26-34. — [2] Id. XVII, 1-12, et 19-34. — [3] Id. XVIII, 1-18. — [4] Id. XIX, 1-5. — [5] Ibid. 6. — [7] Ibid. 12. — [8] Ibid. 19. — [9] Id. XX, 7-12. — [10] Ibid. 17-38. — [11] Ibid. 23. — [12] Ibid. 16. — [13] Id. XXI, 10-14.

pulis prædicabat. Cæsaream adductus, mediis etiam in judiciorum subselliis [1], modo coram Felice [2], modo coram Festo præside [3], et Agrippa rege, tantum ex Spiritu sancto victricis in sapientia gratiæ habuit Paulus, ut ipse jam Judæorum rex Agrippa diceret : « Parum abest, quin mihi »persuadeas ut fiam Christianus [4]. » Idem sanctus Spiritus Paulo præstitit, ut et in Melitensi insula a vipera morsus nihil læderetur, et diversas erga ægrotantes curationes perficeret [5]. Idem sanctus Spiritus eum olim persecutorem regiam usque Romam præconem perduxit : qui multis quidem ex degentibus illic Judæis ut in Christum crederent, persuasit ; contradicentibus vero palam dicebat : « Bene Spiritus sanctus locutus est per Hesaïam prophe»tam, dicentem ad patres vestros [6], etc. »

XXXII. Quod autem esset Spiritu sancto plenus Paulus, illique similes omnes Apostoli, quique post eos in Patrem et Filium, et Spiritum sanctum [consubstantialem] credunt, audi ipsum aperte in Epistolis scribentem : « Et sermo »meus et prædicatio mea non in persuasoriis sapientiæ hu»manæ verbis, sed in ostensione Spiritus et virtutis [7]. » Et iterum : « Qui vero obsignavit nos in hoc ipsum Deus, »qui dedit nobis arrhabonem Spiritus [8]. Rursumque : « Qui »excitavit Jesum ex mortuis, vivificabit et mortalia vestra »corpora, per inhabitantem ipsius Spiritum in vobis [9]. » Iterumque ad Timotheum scribens : « Bonum depositum cus»todi, per Spiritum sanctum qui datus est nobis [10]. »

XXXIII. Quod autem Spiritus sanctus subsistat, et vivat, et loquatur, et prænuntiet, pluries jam a nobis in superius disputatis est dictum. Scribit vero perspicue ad Timotheum Paulus : « Spiritus autem definite dicit, quod in

[1] Act. XXIII, 33. — [2] Id. XXIV, 10-27. — [3] Id. XXV, 7-11. — [4] Id. XXVI, 28, 29. — [5] Id. XXVIII, 1-9. — [6] Ibid. 16-25. — [7] 1 Cor. II, 4. — [8] 2 Cor. I, 22, et V, 5. — [9] Rom. VIII, 11. — [10] 2 Tim. I, 14.

» posterioribus temporibus discedent quidam a fide [1]. » Quæ quidem non in anterioribus solum, sed etiam in nostri temporis scissuris cernimus, cum varius et multiformis hæreticorum error deprehendatur. Et rursus idem ait : « Quod aliis generationibus non innotuit filiis hominum, » quemadmodum nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus » et Prophetis, in Spiritu [2], etc. » Iterumque : « Propterea, » sicut dicit Spiritus sanctus [3]. » Ac denuo : « Testificatur » vero nobis et Spiritus sanctus [4]. » Rursumque justitiæ militibus acclamat aiens : « Et galeam salutaris accipite, et » gladium spiritus, quod est verbum Dei; per omnem depre- » cationem et obsecrationem [5]. » Et iterum : « Ne inebrie- » mini vino, in quo est luxuria : sed impleamini spiritu, » loquentes in vobis ipsis, psalmis et hymnis et canticis spiri- » tualibus [6]. » Ac demum : « Gratia Domini Jesu, et charitas » Dei et communicatio sancti Spiritus, cum omnibus vobis [7]. »

XXXIV. Ex quibus omnibus, et iis, quæ prætermissa sunt, longe pluribus, commendatur intelligentia præditis subsistens, sanctificatrix et efficaciter operatrix virtus Spiritus sancti. Nam tempus me dicentem deficiat, si persequi velim quæ de sancto Spiritu dicenda restant ex quatuordecim Pauli Epistolis, in quibus diversimode, integre, religioseque docuit. Sit autem ipsius sancti Spiritus potestatis munus, ut et nobis de his, quæ prætermittimus, ob dierum paucitatem veniam indulgeat, et vobis auditoribus perfectiorem rerum quæ supersunt notitiam infundat. Cum ii, qui inter vos studiosi sunt, ex crebriori divinarum Scripturarum lectione ista addiscant : imo et ex præsentibus istis Catechesibus, iisque, quæ antea disputavimus, jam firmiorem conceperint fidem, In unum Deum Patrem omnipotentem; et in Dominum nostrum Jesum Christum,

[1] 1 Tim. I, 4.— [2] Ephes. III, 5.— [3] Hebr. III, 7.— [4] Id. X, 15.— [5] Ephes. VI, 17, 18. — [6] Id. V, 18, 19. — [7] 2 Cor. XIII, 13.

FILIUM EJUS UNIGENITUM; ET IN SPIRITUM SANCTUM, PARACLETUM. Cum vero vox hæc revera et denominatio, « Spiritus, » in Scripturis promiscue sumatur; (dicitur namque de Patre : « Spiritus est Deus [1], » ut in Evangelio Joannis est scriptum. De Filio quoque : « Spiritus ante » faciem nostram Christus Dominus [2], » ut ait Hieremias propheta. Deque Spiritu sancto : « Paracletus vero, Spiri» ritus sanctus [3], » ut dictum est.) Ordo autem, qui in Fide est religiose intellectus, etiam Sabellii errorem ableget : ad ea, quæ nunc urgent et vobis conducibilia sunt, revertatur oratio.

XXXV. Cave ne quando Simonis exemplo ad baptismi ministros simulatus accedas; cor autem tuum veritatem non requirat. Nostrum est contestari, tuum autem cavere. Si steteris in fide, beatus es. Si ex infidelitate cecideris, jam ab hoc die infidelitatem abjice, et firmam indue persuasionem. Nam circa tempus baptismatis, quando accesseris ad episcopos, vel presbyteros, vel diaconos; (omnibus namque locis datur gratia, et in pagis et in urbibus; et per imperitos et per eruditos, et per servos ac liberos: quandoquidem non est hæc ex hominibus gratia, sed a Deo per homines facta largitio.) Tu itaque ad baptizantem accede : accede vero ad vultum visibilis hominis nullatenus attendens : sed memor esto hujus Spiritus sancti, de quo nunc dicimus. Hic enim paratus adest, ut animam tuam consignet; dabitque tibi cœleste quoddam et divinum, quod dæmones contremiscunt, signaculum : uti et scriptum est : « In quo etiam cum cre» dideritis, obsignati estis Spiritu promissionis sancto [4]. »

XXXVI. Verum probat animam, non projicit margaritas ante porcos [5]. Si fictus accedis, nunc quidem te baptizabunt homines, at Spiritus te non baptizabit. Si

[1] Joan. IV, 24. — [2] Thren. IV, 20. — [3] Joan. XIV, 26. — [4] Ephes I, 13. — [5] Matth. VII, 6.

vero ex fide accesseris, homines quidem quantum ad id quod oculis eernitur ministrabunt; Spiritus vero sanctus id quod sub aspectum non cadit, daturus est. Ad magnum examen, magnæ in militiæ delectum, unius horæ articulo venis. Quam horam si tibi perire pateris, inemendabile tibi malum. Sin vero gratia dignatus fueris, illustrabitur anima tua, vim quam non habebas accipies. Arma sumes dæmonibus terribilia : quæ si non abjeceris, habueris autem in anima signaculum [1], non accessurus est dæmon; horrore enim refugiet : quippe cum in spiritu Dei dæmonia ejiciantur [2].

XXXVII. Si credideris, non solum remissionem peccatorum accipies, sed etiam humanis viribus superiora efficies. Utinam vero etiam dignus sis prophetiæ dono. Tantum enim accipies gratiæ, quantum capere poteris, et non quantum ego dico. Fieri enim potest me parva dicere, te vero majora accipere : quoniam mercatura quædam ampla est fides. Permanebit tibi jugiter custos ac defensor, Paracletus : de te, uti de proprio milite, sollicitus erit, de ingressibus tuis, et de egressibus, et de insidiantibus [3] : daturusque tibi est omnis generis gratiarum dona, si non illud per peccatum contristaveris; scriptum est enim : « Et » ne contristetis Spiritum sanctum Dei, in quo obsignati » estis in diem redemptionis [4]. » Quidnam igitur est, dilecti, gratiam, tueri? Parati estote ad suscipiendam gratiam semelque susceptam non abjiciatis.

XXXVIII. Ipse autem universorum Deus, qui locutus est in Spiritu sancto per Prophetas; qui illum in Apostolos misit in die Pentecostes his nostris in locis : eumdem nunc quoque ad vos emittat; perque hunc et nos custodiat, communem omnibus nobis beneficentiam impertiens :

[1] Hic intelligere est : Incorruptum et incontaminatum. — [2] Matth. XII, 28. — [3] Psal. CXX, 8. — [4] Ephes. IV, 30.

Ut omni tempore sancti Spiritus fructus reddamus; charitatem, gaudium, pacem, lenitatem, benignitatem, bonitatem, fidem, mansuetudinem, continentiam [1]: in Christo Jesu Domino nostro; per quem et cum quo, una cum sancto Spiritu, gloria Patri, et nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Gal. v, 22, 23.

CATECHESIS XVIII.

ILLUMINANDORUM,

Hierosolomis ex tempore pronuntiata in illud : Et in unam sanctam catholicam Ecclesiam : Et in carnis resurrectionem : Et in vitam æternam. *Et lectio ex Ezechiele :* Et facta est super me manus Domini, et eduxit me in Spiritu Domini, et posuit me in medio campi : et hic erat plenus ossibus hominum [1], etc.

ARGUMENTUM.

I. *Spes resurrectionis ad bona opera incitamentum.* II. *Gentilium et Samaritanorum objectio, quasi impossibilis sit resurrectio.* III. *Responsio ex Dei potentia.* IV. *Ex ejus justitia.* V. *Ab insita unicuique resurrectionis conscientia.* VI. *Ab exemplis naturæ.* VIII. *Ex phœnicis avis exemplo.* IX. *Ex ipsa hominis generatione.* X. *Ex lunæ decrementis et incrementis, et deliquiis. — Adversum eos, qui Scripturas non recipiunt, solis rationibus contendendum est.* XI. *Probatur resurrectio ex Moyse contra Samaritanos.* XII. *Samaritanorum exceptio. — Responsio.* XIV. *Refelluntur objectiones ex Prophetis desumptæ ab hæreticis.* XVI. *Ex reliquis Scripturis testimonia pro resurrectione. — Inest in defunctis Sanctorum corporibus vis quædam ac potestas.* XVII. *Jejunium Parasceves prolixius extentum.* XVIII. *Redivivorum corporum dotes. — Idem ipsum corpus resurget, sed reformatum. — Cicin-*

[1] Ezech. XXXVII, 1.

delæ, redivivorum corporum splendoris fidem faciunt. XIX. *Non redivivis omnibus similia corpora.* — *Æternus ignis.* XX. *Maculæ peccatorum in anima et corpore manent.* XXII. *De Ecclesia.* XXIII. *Catholica dicitur quatuor de causis. Prima.* — *Secunda. Ecclesia docet omnia dogmata quæ in hominum notitiam venire debent.* — *Tertia.* — *Quarta. Sanat omne peccati genus, et omnem virtutis speciem complectitur.* XXIV. *Cur vocetur Ecclesia.* — *Nomen Ecclesiæ primum in Scripturis, cum summus sacerdos constituitur.* XXV. *Duplex Ecclesia; Judæorum et Gentium.* XXVI. *Ecclesiæ nomen multis rebus commune.* — *Ecclesia malignantium, impuri hæreticorum cœtus.* — *Manendum in catholica Ecclesia.* XXVII. *Ecclesia a regibus honorata.* — *Per totum orbem suam potestatem extendit.* XXVIII. *De vita æterna.* XXIX. *Pater vita est.* — *Vitæ æternæ bona certissime promissa.* XXX. *Modi acquirendi æternæ vitæ multi.* — 1° *Fides.* — 2° *Evangelii prædicatio.* — 3° *Martyrium et confessio.* — 4° *Omnium derelicto propter Christum.* — 5° *Mandatorum observatio.* — 6° *Abscessio a malis operibus.* — XXXI. 7° *Multi alii modi.* —*Plures vitæ æternæ ingressus.* XXX. *Epilogus.* — *Præviæ accessuris ad mysteria instructiones.* XXXIII. *Catecheses mystagogicæ.* XXXIV. *Exhortatio ad gaudium de futura regeneratione.*

I. Radix [1] totius bonæ operationis est spes resurrectionis: reddendæ namque mercedis expectatio, animam roborat ad bona opera suscipienda. Etenim ad labores perferendos operarius quisque paratus est, si laborum præmium prospexerit. Iis vero, qui nulla proposita mercede laborant, animus una cum corpore ante concidit. Miles certaminis præmia expectans ad bella promptus efficitur: nemo vero militans

[1] Vide D. Guillon, tom. VIII, pag. 413-418.

illi regi, qui judicii negligens laborum præmia non rependit, pro illo mortem obire paratus est. Sic et anima omnis, quæ in resurrectionem credit, sibi ipsi merito moderatur et temperat; quæ vero resurrectioni non credit, se ultro in perditionem dedit. Qui credit corpus ad resurrectionem manere, stolæ huic ac vesti illi parcit, nec ipsum scortationibus contaminat : qui vero resurrectioni non credit, semetipsum in fornicationes tradit, proprio corpore abutens quasi alieno. Magna igitur sanctæ catholicæ Ecclesiæ præceptio et institutio est, fides de resurrectione mortuorum. Magna, inquam, et perquam necessaria, quæ multorum revera contradictionibus oppugnatur, sed a veritate comprobatur plenissime. Contradicunt Græci, non credunt Samaritæ, distrahunt hæretici. Multiplicis generis contradictio est, sed simplex et uniformis veritas.

II. Et hæc quidem nobis opponunt Græci una cum Samaritanis. Cecidit homo, qui mortuus est, putruitque, ac universim in vermes resolutus est; ipsi quoque vermes interiere. Tanta corpus excepit putrefactio, interitusque; quomodo igitur resurgit? Naufragium passos devoraverunt pisces, ipsique ab aliis devorati sunt. Eorum, qui feris colluctati sunt, ursi et leones ipsa etiam ossa comminuentes assumpsere. Vultures et corvi, comesis humi projectorum cadaverum carnibus, in universum orbem avolaverunt : unde colligetur id corpus? fieri enim potest, ut avium, quæ illud adederunt, alia in India mortua sit, alia in Perside, et alia in Gothia. Aliorum, qui flammis exusti sunt, ipsum quoque cinerem dissipabit imber vel ventus. Undenam id corpus coagmentabitur?

III. Tibi sane homuncioni exiguo et imbecilli, procul est a Gothia Indica tellus, et Hispania a Perside. Deo autem, qui terram omnem in pugillo continet [1], omnia sunt

[1] Isaï. XL, 12.

proxima. Ne igitur comparatum ad tuam imbecillitatem Deum arguas impotentiæ; sed ad illius potentiam potius attende. Deinde, sol cum exiguum sit Dei opus, uno radiorum conjectu totum orbem calore replet; aër quoque, quem fecit Deus, omnia quæ in mundo sunt ambit: Deus vero, qui et solis et aëris conditor est, procul-ne absit a mundo? Supponas velim diversa seminum grana commixta esse; (tibi enim circa fidem infirmo infirma quoque exempla propono) diversaque semina illa uno in tui pugillo contineri. Est-ne tibi, qui homo es, ardua, vel contra facilis res, tuo pugillo contenta discriminare, et seminum unumquodque secundum propriam naturam collectum, generi suo reddere? Ergo-ne, tu res in manu tua contentas discernere valeas; Deus vero res in sua ipsius manu comprehensas discernere et restituere non queat? Id quod dico considera, num-ne id negare impium sit.

IV. Respice etiam ad ipsam justitiæ rationem, atque in te ipsum reflecte. Diversos habes famulos; quorum alii boni sunt, alii pravi. Bonos sane in pretio habes, et cædis malos. Quod si etiam judex fueris, bonos laudas, et improbos punis. An vero apud te mortalem hominem æqui ratio custoditur; apud Deum vero regem omnium, cui a nullo succeditur, non erit rependens unicuique justitiæ modus? Atqui impium sit hoc inficiari. Respice enim quid dicam. Multi homicidæ in lecto impuniti decessere. Ubinam ergo Dei justitia? Plerumque homicida quinquaginta homicidiorum reus, semel abcisso capite pœnas luit. Ubinam ergo quadraginta novem cædium pœnas daturus est? Nisi post vitam fuerit judicium ac retributio, injustiæ Deum arguis. Verum ne tibi admirationi sit judicii mora. Quisquis certamine contendit, absoluto certamine, vel corona donatur vel afficitur ignominia. Nec unquam certaminis arbiter adhuc certantes coronat, sed omnium certantium

finem opperitur; ut postea discrimine facto, præmia victoriæ coronasque distribuat. Ita et Deus, stante adhuc in hoc mundo certamine; justis interim ex parte suppetias fert; postea vero ipsis præmia plene ac perfecte rependit.

V. Quod si resurrectio mortuorum sententia tua nulla sit, ecquid sepulcrorum effossores condemnas? Nam si funditus interivit corpus, et resurrectionis spes nulla subest, quam ob causam supplicium subit tumulorum violator? Cernis, etiamsi labiis neges, manere apud te indelebilem resurrectionis conscientiam.

VI. Deinde vero, excisa arbor reflorescit : homo vero excisus non reflorescet? Et quæ sata sunt, etiam cum demessa sunt, manent in areas [recondenda :] homo autem ex hoc mundo messus, non manebit in aream [1]? Ac vitis palmites, aliarumque arborum rami, penitus amputati et transplantati, vitam recipiunt et referunt fructum; homo vero, propter quem etiam illa sunt, in terram lapsus non resurget? Atque ut labores [seu difficultates rerum] secum confligamus, utrum majus est statuam, quæ ante non erat, ab initio formare, an collapsam in eamdem rursus formam conflare? Qui ex nihilo nos fecit Deus, jam existentes sed collapsos, non poterit iterum excitare? At tu his, quæ de resurrectione scripta sunt, non credis, propterea quia Græcus es. Ex rerum existentium natura ista contemplare, et ex his, quæ ad hodiernam usque diem conspiciuntur, animo concipe. Seminatur frumentum, si placet, vel aliud quodpiam seminis genus. Cadens vero semen moritur et putrescit, esuique jam inhabile est [2]. Verum illud putrefactum, exurgit in herbam, quodque parvum deciderat, pulcherrimum excitatur. Atqui frumentum nostri causa factum est. Nam propter usum nostrum,

[1] Matth. III, 12. — [2] Joan. XII, 24, et 1 Cor. XV, 36.

frumentum aliaque semina, non sui ipsorum gratia condita sunt. Jamvero, quæ propter nos effecta sunt, mortua reviviscunt; nos vero, quorum causa illa sunt, mortui non resurgemus?

VII. Hybernum tempus est, ut vides. Stant nunc arbores veluti mortuæ. Ubi enim nunc folia ficus? Ubi vitis uvæ? Ast hæc in hyeme mortua, etiam in vere virentia sunt; et postquam tempus advenerit, tunc iis veluti ex morte excitatis redditur vitæ vis. Tuam enim Deus infidelitatem perspiciens, in his conspicuis rebus resurrectionem quotannis designavit; ut ea, quæ in rebus inanimatis fiunt, contuens, de animatis ratione præditis crederes. Deinde, muscæ et apes sæpissime in aquis suffocatæ post horam reviviscunt; ac bufonum genera cum hyeme immobilia maneant, in æstate deinceps consurgunt. (Tibi enim vilia et humilia cogitanti, similia dantur rerum exempla.) Qui autem ratione destitutis et despicabilibus rebus vitam præbet supra naturam, nonne idem nobis, propter quos etiam illas fecit, concessurus est?

VIII. Verum adhuc requirunt Græci conspicuam mortuorum resurrectionem; aiuntque, etiamsi res modo memoratæ resurgant, non tamen penitus in putredinem abivisse: aperteque videre cupiunt animal penitus putrefactum quod resurrexerit. Noverat Deus hanc hominum in credendo pervicaciam, atque ad id avem comparavit Phœnicem appellatam. Hæc, ut scribit Clemens [1], aliique complures narrant, cum sit sui generis unica, in Ægyptiorum regionem quadringentis quibusque annis adveniens, resurrectionem ostendit; non in desertis locis, ne res illa mysterium facta, lateret; sed in urbe conspicua [2], præsentem se sistens, uti manu contrectetur res quæ alioqui fidem non

[1] Clemens Romanus epistola 1 ad Corinth. — [2] Heliopolim intelligit.

inveniret. Facto enim sibi ex thure, mirrha, cæterisque aromatibus nido, in hunc expleto annorum curriculo ingrediens, moritur palam, ac putrescit. Deinde ex putrefacta demortuæ avis carne vermis quidam enascitur, hicque augmentum capiens in volucrem conformatur. (Ne rei isti detrahas fidem. Nam et apum soboles eodem modo cernis ex vermibus informari; atque ex liquidissimis ovis volucrum pennas, ossa, et nervos erumpentia conspexisti.) Deinde Phœnici prædicto succrescunt pennæ; perfectusque, qualis erat prior, Phœnix factus, in aëra talis avolat qualis et demortuus fuerat, evidentissimam mortuorum resurrectionem hominibus ostentans. Admirabilis quidem volucris est Phœnix; avis tamen ratione destituta, quæ nunquam Deo Psalmos cecinit. Aëra circumvolat; sed quis sit unigenitus Dei Filius, non novit. An vero irrationabili et proprium conditorem nescienti animanti mortuorum resurrectio data fuerit : nobis vero, qui Deum glorificamus et præcepta ejus observamus, eadem non dabitur ?

IX. Sed quoniam longe petitum et rarum est Phœnicis signum, ac nondum credunt; accipe ex his, quæ quotidie conspicis aliam rursus demonstrationem. Ante hos centum vel ducentos etiam annos, ubi eramus omnes nos, tum qui loquimur, tum qui auditis ? Anne ignoramus corporum nostrorum constitutionis primordia? Nescis quomodo ex imbecillis, informibus, et uniusmodi rebus generamur ? atqui ex illo uniusmodi imbecillique principio formatur vivens homo : illudque infirmum ac debile in carnem compactum , in nervorum firmitatem transmutatur ; et in oculorum limpitudinem, et nasi odoram vim, et aurium auditionem, et linguam loquentem, et cor micans, et manuum operandi industriam, et pedum pernicitatem, et in omnem diversi generis membrorum speciem. Atque illud vile et imbecille, fit navium fabricator, et domorum ædifi-

cator, et architectus, et cujusvis artis operarius; et miles, et princeps, et legislator, et rex. Qui ex imperfectis initiis nos fecit Deus, num casu dejectos excitare non poterit? Qui rem vilissimam ita corporavit, corpus demortuum iterum excitare non valeat? Qui fecit quod non erat id quod est, post quam ceciderit, non excitaret?

X. Accipe manifestum mortuorum resurrectionis argumentum, in cœlo et luminaribus, singulis mensibus testatum. Nam lunare corpus in totum deficiens, ita ut nihil ex ipso amplius conspicatur; iterum de novo completur, et in id quod erat ante instauratur. Et ad perfectam ejusdem rei demonstrationem, post annorum revolutiones passa deliquium luna, atque in sanguinem patenter conversa, rursus lucidum corpus resumit : Deo videlicet ista provide molito, ut et tu homo, qui ex sanguine constitutus es, mortuorum resurrectioni fidem ne derogares; quodque in luna conspicis, in te quoque crederes futurum. His itaque adversum Græcos verbis utere : nam cum iis, qui Scripturas non recipiunt, armis e Scriptura non sumptis decerta, ex ratiocinationibus solis et demonstrationibus. His enim, neque quis sit Moyses, nec quis Hesaïas compertum; nec Evangelia, nec Paulus cogniti.

XI. Transi nunc, quæso, ad Samaritas, qui cum solam legem recipiant, Prophetas propterea non admittunt : quibus idcirco inefficax videtur, præsens quæ in manibus est ex Ezechiele lectio; Prophetas enim, ut dixi, nullo loco habent. Unde igitur fidem Samaritis quoque faciemus? Veniamus ad scripta legis. Dicit igitur Deus ad Moysen : « Ego, Deus Abraham, et Isaac, et Jacob [1]; » viventium dubio procul et subsistentium. Si enim Abraham [totus] mortuus est, et Isaac, et Jacob; Deus igitur est non existentium. Ecquando rex dixit regem se esse militum quos

[1] Exod. III, 6 et 15-16.

non habeat? Ecquis ostentavit aliquando divitias quas non possideret? Subsistere igitur necesse est et Abraham, et Isaac, et Jacob, ut Deus rerum quæ existant sit Deus. Non enim dixit : « Eram eorum [Deus,] » sed, « Sum [1]. » Quod vero sit judicium, dicit ad Dominum Abrahamus : « Qui » judicat omnem terram, non faciet judicium [2]? »

XII. Verum ad hoc contra excordes Samaritæ rursus aiunt : « Animas revera Abrahæ, Isaaci et Jacobi remanere nihil repugnat; corpora autem resurgere non possunt. » Scilicet, virgam justi Moysis draconem fieri possibile fuit : justorum vero corpora vivere et resurgere non poterunt? et illud quidem prius præter naturam factum est : hoc autem, quod est consentanea naturæ instauratio, non fiet? Virga quoque Aaronis excisa et mortua, sine aquarum odore floruit [3]; et sub tecto quamvis inclusa, tamen quæ in agris oriri amant germina protulit : cumque in aridis jaceret locis, unius noctis spatio una cum fructibus edidit ea, quæ irrigatæ arbores post multos annos parturiunt. Aaronis virga velut ex mortuis surrexit, et ipse Aaron non resurget? atque ut summum ipsi sacerdotium conservaret, in ligno miraculum edidit Deus : ipsi autem Aaroni resurrectionem non impertiet? Mulier præter naturam sal efficitur, et caro in salem transmutatur [4] : caro vero in carnem non reparabitur? et cum salis statua effecta sit quæ Loti uxor erat; uxor Abrahæ non resurget? Quali virtute commutata est manus Moysis, quæ unius horæ momento facta est velut nix, et iterum pristino statui reddita [5]? ex divino imperio sane. Ergo-ne imperium illud olim efficax, sua jam vi et efficacitate cecidit [6].

XIII. Unde vero in totum ab initio factus est homo, o omnium hominum stolidissimi Samaritæ? Accedite ad pri·

[1] Exod. III, 6. — [2] Gen. XVIII, 25. — [3] Exod. IV, 3. — [4] Num. XVII, 8. — [5] Gen. XIX, 26. — [6] Exod. IV, 6, 7.

mum Scripturæ librum, quem vos etiam suscipitis. « Et » finxit hominem Deus, pulverem de terra [1]. » Pulvis in carnem transmutatur, et caro in carnem rursus non instauratur? Rogandi etiam estis, undenam cœli, terra, et maria substitere? unde sol, luna et sidera? quomodo ex aquis volucres, et natantes animantes? et quonam modo e terra animalia omnia [2]? Tam multa rerum millia ex nihilo ad existendi sortem transducta sunt : et nos homines qui impressam illius imaginem habemus, non resurgemus? Vere incredulitatis plena tota ea res est; et multis capitibus condemnantur credere detrectantes : quando videlicet Abraham Domino dicat : « Qui judicat omnem terram [3]; » qui autem legem condiscunt, increduli maneant : quando scriptum sit, quod e terra sit homo [4]; qui vero legunt, fidem abnegent.

XIV. Et hæc quidem adversum illos, qui infidelium ex numero sunt : quæ vero ex Prophetis desumuntur, nobis sunt apta qui credimus. Quoniam vero etiam nonnulli qui Prophetis utuntur, his quæ scripta sunt non credunt; proferuntque nobis illud [Davidicum,] « Non resurgent » impii in judicio [5]; » illud quoque, « Si enim descenderit » homo in infernum, non amplius ascendet [6]; » et illud, « Non mortui laudabunt te, Domine [7]; » (his enim, quæ recte scripta sunt prave abutuntur.) Optimum fuerit, obiter et quantum nunc licet, illis occurrere. Si enim dicitur, « Impii non resurgent in judicio, » hoc significatur, quod non in « Judicio, » sed in condemnatione resurrecturi sint. Non enim Deo multa opus est indagatione; sed, simul ut resurgent impii, consequentur eos supplicia. Et si dicitur, « Non mortui laudabunt te, Domine, » hoc designatur, quod constituto tantum in hac vita pœnitentiæ ac remis-

[1] Gen. II, 7. — [2] Id. I, 20 et 24.— [3] Id. XVII, 25.— [4] Id. I, 20, et III, 19. — [5] Psal. I, 5. — [6] Job. VII, 9. — [7] Psal. CXIII, 17.

sionis spatio, de quo ii, qui fruentur, « Laudabunt te ; » morte obita, iis, qui in peccatis decesserint, jam non licebit tanquam beneficio affectis laudare, sed deplorare duntaxat. Est enim laus, eorum, qui gratias agunt ; deploratio vera, eorum, qui verberibus cæduntur. Igitur tunc justi laudaturi sunt; qui vero in peccatis obierint, deinceps confessionis tempus non habebunt.

XI. De illo vero contextu, « Si descenderit homo in in» fernum, non amplius ascendet [1] ; » vide consequentia. Scriptum est namque : « Non amplius ascendet, nec re» vertetur in propriam domum [2]. » Cum enim universus mundus transiturus sit, et omnis domus destruenda ; quomodo in propriam domum revertetur, facta in posterum alia tellure nova [3] ? oportebat vero illos exaudire Jobum aientem : « Est enim arbori spes ; nam si excidatur rursus » reflorescet, et ramus ejus tener non deficiet. Si enim se» nuerit in terra radix ejus, et in petra moriatur truncus » ejus ; ab odore aquæ florescet, et faciet messem tanquam » nuper plantata. Vir autem mortuus num abiit ; cadens » vero mortalis non est amplius [4] ? » Quasi pudorem ingerens et increpitans : (sic enim legendum est per interrogationem illud, « Non est amplius ? ») Cum enim, inquit, lignum cadat et resurgat, num homo ipse, propter quem facta sunt ligna, non resurget ? Atque ut ne me vim loco afferre putes, lege quod sequitur. Post quam enim interrogando dixit : « Cadens vero mortalis non erit amplius ? » ait : « Si enim mortuus fuerit homo, vivet ; » statimque subdit : « Expecto donec rursus fiam [5]. » Et alibi rursus : « Qui super terram resuscitaturus est pellem meam, quæ » istos labores exantlat [5]. » Hesaïas vero propheta ait : « Re» surgent mortui, et excitabuntur qui in monumentis

[1] Job. VII, 9. — [2] Ibid. 10. — [3] 2 Petr. III, 13. — [4] Job. XIV, 7-10. — [5] Ibid. 14. — [6] Id. XIX, 25, 26.

» sunt [1]. » Apertissime vero, qui nunc est in manibus Ezechiel propheta dicit : « Ecce ego aperiam sepulcra vestra, » et educam vos de monumentis vestris [2]. » Et Daniel dicit : « Multi eorum, qui dormiunt in aggesto terræ, resur» gent; alii in vitam æternam, alii in ignominiam sempi» ternam [3]. »

XVI. Multæ quoque Scripturæ de mortuorum resurrectione testantur : sunt enim ea de re plures aliæ sententiæ dictaque. Nunc vero, memoriam duntaxat uti refricantes, cursim præterimus Lazari post quatriduum resurrectionem [4]. Prætervolamus etiam propter temporis brevitatem, viduæ filium excitatum [5]. Et mentione tantum injecta, commemoretur nunc obiter principis Synagogæ filia [6] : dicaturque scissas fuisse petras, et multa corpora Sanctorum qui dormierant, excitata esse, monumentis patefactis [7]. Imprimis vero in memoriam redeat Christum a mortuis resurrexisse. Præterivi Eliam et filium viduæ ab ipso suscitatum [8]; et Elisæum, qui semel et iterum suscitavit, et dum viveret, et post mortem. Vivus resurrectionem per suam ipsius animam operatus est [9] : ut autem non animæ solum justorum honorarentur, sed crederetur etiam in justorum corporibus jacere vim penitus insitam, projectus in monumentum Elisæi mortuus, mortuum Prophetæ corpus attingens, vitam concepit [10]. Mortuum Prophetæ corpus, id, quod animæ videbatur opus esse, perfecit; quodque mortuum jacebat, mortuo vitam dedit; et quod vitam dabat, ipsum in mortuis similiter ut ante remansit. Qua de causa? Ut-ne, si resurrexisset Elisæus, animæ ejus soli factum illud imputaretur : et ut ostende-

[1] Isaï. XXVI, 19.— [2] Ezech. XXXVII, 12.— [3] Dan. XII, 2. — [4] Joan. XI, 39-44. — [5] Luc. VII, 11 et 16.— [6] Matth. IX, 25. — [7] Id. XXVII, 51-59. — [8] 3 Reg. XVII, 19-23. — [9] 4 Reg. IV, 32-37. — [10] Id. XIII, 21.

retur, absente etiam anima, inesse vim quamdam ac potestatem corpori Sanctorum, propter animam justam, quæ tot annos in eo inhabitaverit, ejusque usa sit ministerio. Neque fidem ei rei, quasi non ita sit, inepti detrahamus; si enim sudaria et semicinctia, quæ exterius adhærent [1], ægrotantium corporibus applicata infirmos erigebant, quanto magis ipsum Prophetæ corpus mortuum excitavit?

XVII. Atqui essent alia multa in hæc dicenda, si hujusmodi factorum admirabilitatem secundum singula adjuncta persequeremur. Sed propter præcedentem quem sustinuistis, tum ex jejunii Parasceves superpositione, tum ex vigilia, laborem; hæc interim velut in transcursu dicta sunto : paucis jactis seminibus, uti vos bonæ instar telluris semen concipientes, illud dilatando explicandoque fructum feratis. Memoria vero repetatur quod et Apostoli mortuos excitarunt : Petrus in Joppe Tabitham, Paulus Eutychum Troade, et reliqui omnes Apostoli [2]; tametsi non omnia litteris consignata sunt, quæ ab unoquoque admirabiliter effecta sunt. Recordamini autem omnium, quæ in priore ad Corinthios Epistola dicta sunt, quæ scripsit Paulus adversus eos, qui dicebant : : « Quomodo resurgent mortui, » quali autem corpore veniunt [3]? » Ejus quoque quod ait : « Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit [4]. » Quodque « Stultos [5] » vocavit eos, qui non credunt : totiusque eo loci expositæ de mortuorum resurrectione doctrinæ; et quod in hunc modum ad Thessalonicenses scripsit : « Nolumus autem vos ignorare, fratres, de iis, qui obdor» mierunt, ne contristemini sicut et cæteri qui spem non » habent [6], » et quæ sequuntur universa; maxime vero dicti hujus : « Et mortui in Christo resurgent primum [7]. »

[1] Act. XIX, 12. — [2] Id. IX, 36-42, et Id. XX, 7-12. — [3] 1 Cor. XV, 35. — [4] Ibid. 16. — [5] Ibid. 36. — [6] 1 Thess. IV, 12. — [7] Ibid. 15.

XVIII. Præcipue vero illud notate, quod digito velut indicans ait Paulus : « Oportet enim corruptibile hoc induere in- » corruptibilitatem, et mortale hoc induere immortalita- » tem [1], » Hoc enim ipsum corpus resurget, non infirmum quale est manens; sed idem ipsum resurget. Incorruptibilitate vero indutum transformabitur : quemadmodum ferrum igni admotum ignis efficitur; vel potius quemadmodum novit, qui illud excitat, Deus. Resurget igitur hoc ipsum corpus, sed non tale manebit, at manebit æternum. Non amplius ejusmodi qualibus utimur cibis, ad vitam opus habebit, neque scalis ad ascensum : fiet enim « Spiritale [2], » admirable quidpiam, et quale pro dignitate declarare non sufficimus. « Tunc justi, inquit, splendebunt ut sol et luna, et sicut » splendor firmamenti [3]. » Ac præscius Deus hominum infidelitatis, exiguissimis vermibus dedit ut æstate lucidos ex corpore radios emitterent; ut ex his, quæ conspiciuntur, crederetur id quod expectatur. Qui enim partem attribuit, poterit et totum præstare; quique vermem lumine splendere fecit, multo magis justum quoque splendere efficiet.

XIX. Resurgemus igitur, æterna quidem omnes, non omnes vero similia habentes corpora. Verum si qui justus est, cœleste corpus accipiet, ut possit cum Angelis digne una versari. Si qui autem peccator est, corpus accipiet æternum, perpetiendæ peccatorum pœnæ capax, ut in igne æternum combustus nunquam absumatur. Et merito quidem utroque in ordine id præstat Deus. Nihil enim a nobis absque corpore est gestum. Blasphemus per os, per os precamur : scortamur per corpus, per corpus puritatem custodimus : rapimus per manum, per manum eleemosynas largimur, et cætera similiter. Quando igitur ad omnia

[1] 1 Cor. xv, 53. — [2] Ibid. 44. — [3] Matth. xiii, 43, et Dan. xii, 3.

subserviit corpus, in futuris quoque obventuræ sortis est particeps.

XX. Temperemus itaque, fratres, corporibus, neque tanquam alienis ipsis abutamur. Ne juxta hæreticos dicamus alienam hanc esse corporis vestem, sed uti propriæ parcamus. Oportet enim nos Domino reddere rationem de omnibus, quæ per corpus egerimus [1]. Ne dicito : « Nemo me videt : » neque existimes testem eorum, quæ geris, nullum esse [2]. Homo enim plerumqne [testis] non est. Qui vero nos finxit inerrans testis, manet in cœlo fidelis [3], et videt quod agitur : maculæ quoque peccatorum in corpore manent. Ut enim post quam plaga in corpore grassata est, etiamsi medela quædam adhibeatur, cicatrix tamen manet : sic et peccatum animam et corpus imprimit, et cicatricum notæ in ambobus manent : abolentur vero tantummodo ab iis, qui lavacrum accipiunt. Præterita igitur animæ ac corporis vulnera sanat Deus per baptisma : sed adversum futura deinceps nosmetipsos communiter muniamus omnes; ut mundam hanc corporis vestem custodiamus, nec per modicæ fornicationis, et lasciviæ, aut cujusvis alius peccati perpetrationem, cœlestis salutis jacturam subeamus; sed ut æternum Dei regnum hæreditate adeamus, quo vos omnes sua ipsius gratia dignos Deus efficiat.

XXI. Et hæc quidem ad demonstrandam mortuorum resurrectionem dicta sufficiant. Fidei vero professio, vobis iterum a nobis repetita, a vobis omni sedulitate adhibita ipsis verbis enuntietur, ac memoriæ infigatur.

XXII. Cum vero enuntiata fides serie sua contineat illud : ET IN UNUM BAPTISMA POENITENTIÆ IN REMISSIONEM PECCATORUM : ET IN UNAM SANCTAM CATHOLICAM ECCLE-

[1] 2 Cor. v, 10.— [2] Eccli. xxiii, 28, et Isaï. xxix, 15, 16.— [3] Psal. lxxxviii, 38.

SIAM : ET IN CARNIS RESURRECTIONEM : ET IN VITAM ÆTERNAM; de baptismo et pœnitentia in prioribus Catechesibus diximus; ea quoque, quæ de resurrectione mortuorum modo sunt dicta, propter hanc sententiam, ET IN CARNIS RESURRECTIONEM, disputata sunt. Dicamus igitur, quæ hactenus supersunt, propter illud : ET IN UNAM SANCTAM CATHOLICAM ECCLESIAM; de qua cum multa dici possent, paucis disseremus.

XXIII. Catholica enimvero [seu universalis] vocatur, eo quod per totum orbem ab extremis terræ finibus ad extremos usque fines diffusa est. Et quia universe et absque defectu docet omnia, quæ in hominum notitiam venire debent, dogmata, sive de visibilibus et invisibilibus, sive de cœlestibus et terrestribus rebus. Tum etiam eo quod omne hominum genus recto cultui subjiciat, principes et privatos, doctos et imperitos. Ac denique, quia generaliter quidem omne peccatorum genus, quæ per animam et corpus perpetrantur, curat et sanat; eadem vero omne possidet, quovis nomine significetur, virtutis genus, in factis et verbis, et spiritualibus cujusvis speciei donis.

XXIV. Ecclesia vero [seu convocatio] aptissimo vocabulo appellatur, quod omnes convocet et una cogat, sicut in Levitico ait Dominus : « Et omnem congregationem con» voca ἐκκλησίασον ante ostium tabernaculi testimonii [1]. » Notatu porro dignum est, hanc vocem, ἐκκλησίασον, tum primum in Scripturis usurpatam esse in hoc loco, cum Dominus Aaronem summum in sacerdotium constituit. Et in Deuteronomio Deus ad Moysen dicit : « Convoca ad me » populum et audiant verba mea, ut discant metuere me [2]. » Ecclesiæ quoque nominis iterum mentionem facit, quando de tabulis ait : « Et in ipsis inscripta erant omnia verba, » quæ locutus est ad vos Dominus in monte, de medio ig-

[1] Levit. VIII, 3. — [2] Deut. IV, 10.

» nis, in die ECCLESIÆ [1]. » [seu convocationis.] Quasi apertius diceret : « In die qua vocati a Domino congregati estis. » Psalmista quoque ait : « Confitebor tibi, Domine, in Ecclesia magna, in populo denso laudabo te [2]. »

XXV. Prius quidem cecinerat Psalmista : « In Ecclesia » benedicite Deum Dominum ex fontibus Israël [3]. » Ex quo vero propter structas adversus Salvatorem insidias, abjecti sunt a gratia Judæi, secundam ex gentibus ædificavit Servator sanctam nostram Christianorum Ecclesiam, de qua dixit Petro : « Et super hanc petram ædificabo meam » Ecclesiam, et portæ inferi non prævalebunt adversus » eam [4]. » De ambabus illis prophetans aperte dicebat David ; de priori quidem, quæ abjecta fuit : « Odio habui Eccle» siam malignantium [5]. » De secunda vero, quæ ædificata est, in eodem Psalmo : « Domine, dilexi decorem domus » tuæ [6] ; » et mox in consequentibus : « In Ecclesiis benedi» cam te, Domine [7]. » Rejecta namque una illa, quæ in Judæa erat, per totum orbem deinceps Christi multiplicantur Ecclesiæ, de quibus dictum est in Psalmis : « Cantate Do» mino canticum novum, laus ejus in Ecclesia Sanctorum [8]. » Quibus consentanea Propheta Judæis dixit : « Non est mihi » voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens. » Statimque subdit : « Propterea ab ortu solis usque ad occasum nomen » meum glorificatum est in gentibus [9]. » De eadem sancta catholica Ecclesia scribit ad Timotheum Paulus : « Ut » scias quomodo oporteat in domo Dei versari, quæ est » Ecclesia Dei viventis, columna et stabilimentum veri» tatis [10]. »

XXVI. Quoniam vero « Ecclesiæ » nomen diversis accommodatur rebus, ut et de multitudine, quæ in theatro

[1] Deut IX, 10. — [2] Psal. XXIV, 18. — [3] Psal. LXVII, 27. — [4] Matth. XVI, 18. — [5] Psal. XXV, 5. — [6] Ibid, 8. — [7] Ibid. 12. — [8] Id, CXLIX, 1. — [9] Malach. 1, 10, 11. — [10] 1 Tim. III, 15.

Ephesiorum erat, scriptum est : « Et cum hæc dixisset, di-» misit Ecclesiam[1], » [seu concionem :] proprie autem et vere quis dixerit « Ecclesiam malignantium[2] » esse hæreticorum cœtus, Marcionistarum dico, et Manichæorum, reliquorumque : idcirco nunc cautissime tibi tradidit Fides ita tenendum : ET IN UNAM SANCTAM CATHOLICAM ECCLESIAM; ut eorum abominanda collegia fugiens, adhæreas semper sanctæ catholicæ Ecclesiæ, in qua et renatus es. Et si quando peregrinatus fueris in civitatibus, ne simpliciter requiras ubi sit Dominicum[3] ; (nam et cæteræ impiorum sectæ atque hæreses, suas ipsorum speluncas Dominicorum nomine honestare nituntur :) neque ubi sit simpliciter Ecclesia ; sed ubi sit « Catholica Ecclesia. » Hoc enim proprium nomen est hujus sanctæ, et matris omnium nostrum. Quæ quidem et sponsa est Domini nostri Jesu Christi unigeniti Filii Dei, (scriptum est enim : « Sicut » et Christus dilexit Ecclesiam, et semetipsum tradidit pro » ea[4], » et omnia quæ consequuntur :) et figuram præ se fert atque imitationem « Superioris Hierusalem, quæ libera » est, et mater omnium nostrum[5]. » Quæ cum prius sterilis fuerit, nunc est numerosæ prolis parens[6].

XXVII. Priore namque repudiata, in secunda, catholica videlicet Ecclesia, « Deus, uti Paulus ait, posuit primum » Apostolos, secundo Prophetas, tertio doctores, postea » potestates, tum gratias curationum, opitulationes, guber-» nationes, genera linguarum[7], » et omnem cujuslibet virtutis speciem : sapientiam dico et intelligentiam, temperantiam et justitiam, misericordiam et humanitatem, insuperabilemque in persecutionibus patientiam. Quæ quidem « Per arma justitiæ dextra ac sinistra, per gloriam et

[1] Act. XIX, 40. — [2] Psal. XXV, 5. — [3] *Id est* Ecclesiæ et sacri conventus ædes. — [4] Ephes. V, 25. — [5] Galat. IV, 26. — [6] Ibid. 27. — [7] 1 Cor. XII, 28.

» ignominiam[1], » primum in persecutionibus et angustiis sanctos Martyres diversis et multiplici flore nexis patientiæ coronis redimivit; nunc vero in pacis temporibus, Dei gratia debitos honores recipit a regibus, et viris dignitatum sublimitate conspicuis, et omni denique hominum genere ac specie. Cumque reges distributarum diversis locis gentium, suæ potestatis limites habeant; sola est sancta catholica Ecclesia, quæ per orbem totum indeterminata gaudet potestate. « Posuit enim Deus, ut scriptum est, termi» num ejus pacem[2]. » De qua si omnia dicere vellem, multarum mihi horarum habenda esset oratio.

XXVIII. In hac sancta catholica Ecclesia cum præceptis tum moribus præclaris instructi, cœlorum regnum habebimus, et hæreditate adipiscemur VITAM ÆTERNAM; propter quam nimirum omnia sustinemus, ut eam a Domino consequamur. Non enim modicis in rebus sistit præfixus nobis scopus; sed vitæ æternæ adeptio, hæc nostra contentio est. Propterea in Fidei confessione docemur, ut post illud, ET IN CARNIS RESURRECTIONEM, hoc est, mortuorum, de qua disputavimus, credamus ET IN VITAM ÆTERNAM, de qua nobis Christianis certamen est.

XXIX. Igitur vita reipsa et veritate Pater est, qui per Filium omnibus in Spiritu sancto cœlestia dona tanquam ex fonte profundit : at per ejus benignitatem nobis quoque hominibus æternæ vitæ bona veraciter promissa sunt. Neque ei rei tanquam impossibili detrahenda fides. Credere enim nos oportet, non ad imbecillitatem nostram, sed ad illius potentiam respicientes : « Omnia enim possibilia sunt » apud Deum[3]. » Quod autem id possibile sit, æternamque vitam expectemus, dicit Daniel : « Et a justis multis, tan» quam stellæ in sæcula, et ultra[4]. » Ait vero Paulus : « Et

[1] 2 Cor. VI, 7, 8. — [2] Psal. CXLVII, 14, vel 3. — [3] Matth. XIX, 26. — [4] Dan. XII, 3.

» sic semper cum Domino erimus [1]. » Illud enim, « Sem» per cum Domino esse, » æternam vitam designat. Disertissime vero etiam Salvator in Evangeliis dicit : « Et abi» bunt isti in supplicium æternum, justi autem in vitam » æternam [2]. »

XXX. Ac multæ quidem sunt, quæ adduci possint de vita æterna, probationes. Cupientibus autem nobis eamdem vitam æternam obtinere, Scripturæ divinæ hujus acquisitionis modos subjiciunt. E quibus pauca nunc, propter sermonis hujus prolixitatem, testimonia proferemus, cætera studiosis requirenda relinquentes. Aliquando enim aiunt [eam obtineri] per fidem; scriptum est enim : « Qui » credit in Filium, habet vitam æternam [3], » etc. Iterumque idem dicit : « Amen, Amen dico vobis quod qui sermonem » meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æter» nam [4], » et quæ sequuntur. Alias vero obtineri dicunt per Evangelii prædicationem; ait enim : « Et qui metit » mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æter» nam [5]. » Aliquando etiam per martyrium et Christi confessionem. Dicit enim : « Et qui odit animam suam in hoc » mundo, in vitam æternam servabit eam [6]. » Iterumque, Christum pecuniis et propinquitati generis anteponendo : « Et omnis quicumque reliquerit fratres, aut sorores, etc. » vitæ æternæ sortietur hæreditatem [7], » Et per observationem mandatorum : « Non mœchaberis : Non occides [8], » et reliqua quæ consequuntur; sicut respondit illi homini, qui accessit et dixit : « Magister bone, quid faciam ut vitam » æternam habeam [9]? » Præterea autem, recedendo a malis operibus, et Dei servitio se mancipando ; ait enim Paulus : « Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, ha-

[1] 1 Thess. IV, 16. — [2] Matth. XXV, 46. — [3] Joan. III, 36. — [4] Id. V, 24. — [5] Id. IV, 36. — [6] Id. XII, 25. — [7] Matth. XIX, 29. — [8] Ibid. 18. — [9] Ibid. 16.

» betis fructum vestrum in sanctificationem, finem autem » vitam æternam [1]. »

XXXI. Multiplex est præterea, quam propter nimiam copiam prætermisi, æternæ vitæ inveniendæ ratio. Cum enim summe hominum amans sit Dominus, non unam nec alteram tantum, sed plures ingressus in vitam æternam aperuit januas ; ut omnes, quantum in ipso est, ea nullo impediente perfruantur. Hæc nobis interim, servata modi ratione, de vita quoque æterna dicta sunt ; quæ quidem eorum, quæ in Fide profitemur postremum documentum, ac finis est. Qua utinam nos omnes, et qui docemus et qui auditis, Dei gratia, potiri contingat.

XXXII. Cæterum, fratres dilecti, vos omnes hortatur præceptionis hujus sermo, ut animam ad cœlestium donorum receptionem comparetis. De tradita vobis ad confitendum sancta et apostolica Fide, quot licet Catecheses in præteritis hisce Quadragesimæ diebus per Domini gratiam diximus. Non quod ea tantummodo dicenda fuerunt ; multa enim sunt prætermissa, hæcque sublimius fortassis a melioribus magistris cogitarentur; instante vero deinceps sancto Paschatis die, dum vestra in Christo per lavacrum regenerationis charitas illuminabitur ; iterum, Deo volente, de iis, quæ consentanea sunt, erudiemini. Quanta nimirum cum pietate, quove ordine vocatos ingredi oporteat : cujus rei causa unumquodque sanctorum baptismi mysteriorum perficiatur : et quanta cum reverentia atque ordine oporteat a baptismate ad sanctum Dei altare procedere, spiritualibusque et cœlestibus, quæ ibi distribuuntur, mysteriis frui. Ut anima vestra per doctrinæ sermonem prius illustrata, per singula cognoscatis impertitorum vobis a Deo donorum magnitudinem.

XXXIII. Post sanctum vero et salutarem Paschatis diem,

[1] Rom. vi, 22.

ab secunda Sabbatorum die inchoando, singulis consequentibus hebdomadæ diebus, statim post Synaxim in sanctum Resurrectionis locum ingredientes, alias, Deo volente, Catecheses audietis; in quibus rursum singularum, quæ [in vobis] peractæ fuerint, rerum rationes et causas erudiemini; atque tam ex Veteri quam ex Novo Testamento demonstrationes accipietis. Primum quidem de his, quæ ante baptisma statim peracta sunt. Deinde vero quomodo « Mundati estis » a peccatis per Dominum « Lavacro aquæ » in verbo[1]. » Et quomodo sacerdotum in morem appellationis Christi participes facti estis; quove modo signaculum vobis communicationis sancti Spiritus sit datum. Et de iis, quæ in altari habentur Novi Testamenti mysteriis, quæ hinc initium accepere[2]; quidnam de iis divinæ Scripturæ tradiderint, quæve illorum sit vis ac potestas. Et quonam modo ad ea accedendum sit, et quando ac quomodo illa habenda sint. Omnium autem postremum, quo pacto vos in subsequens tempus oporteat, tum verbis tum factis, modo gratia accepta digno, versari et degere; ut vos omnes æterna vita perfrui possitis. Et hæc quidem, si Deus voluerit, a nobis explicabuntur.

XXXIV. « Quod superest, fratres[3], gaudete in Domino » semper; iterum dicam, gaudete[4] : appropinquavit enim » redemptio vestra[5]; » et salutem vestram expectat cœlestis Angelorum exercitus. « Et vox jam exauditur clamantis » in deserto : Parate viam Domini[6]. » Clamat vero Propheta : « Sitientes venite ad aquam[7]; » et mox in consequentibus : « Audite me, et comedite bona, et deliciabitur in bonis » anima vestra[8]. » Et non ita multo post, optimam lectionem illam audietis : « Illuminare, illuminare, nova Hierusa-

[1] Ephes. v, 25. — [2] Ab Hierosolymis. — [3] Philip. III, 1. — [4] Id. IV, 4. — [5] Luc. XXI, 28. — [6] Matth. III, 3, et Isaï. XL, 3. — [7] Id. LV, 1. — [8] Ibid. 2.

» lem, venit enim tuum lumen[1]. » De qua Hierusalem Propheta dixit : « Et postea vocaberis civitas justitiæ, metropolis » fidelis Sion[2]; » propter « Legem quæ ex Sion exivit, et » verbum Domini quod ex Hierusalem prodivit[3]; » quod isthinc pluviæ in morem universum orbem irrigavit. Ad eam quoque Propheta de vobis dicit : « Leva in circuitu » oculos tuos, et vide congregatos filios tuos[4]. » Ea vero respondet, aiens : « Quinam illi sicut nubes volant, et sicut » columbæ cum pullis super me[5]? » Nubes, propter spiritualem [altitudinem et levitatem] columbæ propter simplicitatem. Et iterum : « Quis audivit talia, aut quis vidit » sic? si parturivit terra in una die, et nata est gens simul » et semel? Quia parturivit et peperit Sion filios suos[6]. » Gaudio vero ineffabili omnia replebuntur, propter Dominum qui ait : « Ecce ego faciam Hierusalem exultationem, » et populum meum lætitiam[7]. »

XXXV. Liceat vero et de vobis nunc quoque dicere : « Lætamini cœli, et exultet terra, etc. Quoniam misertus » est Deus populi sui, et humiles populi sui consolatus est[8]. » Hæc autem erunt propter bonitatem Dei qui ad vos dicit : « Ecce delebo ut nebulam iniquitates tuas, et sicut caligi- » nem peccata tua[9]. » Vos autem fidelium nomine dignati, (de quibus dicitur : « Servientibus mihi imponetur nomen » novum, quod benedicetur super terram[10] :) » dicetis cum lætitia : « Benedictus Deus et pater Domini nostri Jesu » Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, » in cœlestibus, in Christo : in quo habemus redemptio- » nem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, juxta » divitias gratiæ ejus, quam ubertim in nos impertivit[11], etc. » Et iterum : « Deus autem cum dives sit in misericordia,

[1] Isaï. LX, 1. — [2] Id. I, 26, 27. — [3] Id. II, 3. — [4] Id. XLIX, 18. — [5] Id. LX, 8. — [6] Id. LXVI, 8. — [7] Id. LXV, 20. — [8] Id. XLIX, 13. — [9] Id. XLIV, 22. — [10] Id. LXV, 16, 17. — [11] Ephes. I, 3-8.

»propter multam suam charitatem qua dilexit nos, cum »essemus mortui per delicta, convivificavit nos una cum »Christo [1], » et reliqua. Rursumque ad eumdem modum, bonorum auctorem Dominum laudate, dicentes : « Cum »autem bonitas et erga homines amor Servatoris nostri »Dei apparuit; non ex operibus, quæ sunt secundum jus- »titiam quæ fecerimus nos, sed secundum suam misericor- »diam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis ac »renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos opulente, »per Jesum Christum Dominum nostrum : ut justificati »illius gratia, hæredes efficeremur, secundum spem, vitæ »æternæ [2]. » Ipse autem « Deus, et Pater Domini nostri »Jesu Christi, pater gloriæ, det vobis Spiritum sapientiæ »et revelationis in agnitione sui, illuminatos oculos men- »tis [3]; » et custodiat vos per omne tempus in operibus, et sermonibus et cogitatis bonis. Cui gloria, honor, et imperium per Dominum nostrum Jesum Christum, cum sancto Spiritu, nunc, et semper, et in universa infinita sæcula sæculorum. Amen.

[1] Ephes. II, 4, 5. — [2] Tit. III, 4-7. — [3] Ephes. I, 17, 18.

CATECHESIS XIX [1].

MYSTAGOGICA I.

AD RECENS BAPTIZATOS.

Ad eos, qui nuper illuminati sunt. Et lectio ex prima Petri catholica Epistola, ab his verbis : Sobrii estote, vigilate [2], *usque ad finem Epistolæ.*

ARGUMENTUM.

I. *Cur in hoc tempus dilata de mysteriis institutio? — Oculorum major quam aurium fides.* II. *Quæ in baptisterii vestibulo peracta. — Abrenuntiatio Satanæ, extensa ad Occidentem manu. — Hujus rei figura, in Israëlitis ab ægyptiaca servitute liberatis.* IV. *Cur stando ad Occidentem Satanæ abrenuntiatio fiat.* V. *Abrenuntiatio secunda omnibus Satanæ operibus. Quænam illa sunt? — Omne peccati genus diaboli operibus accensetur.* VI. *Abrenuntiatio tertia omni pompæ diabolicæ. Quænam illa sit? — Theatrorum et mimorum insaniæ. — Circenses venationes.— Equorum curricula.* VII. *Cibi in idolorum solemnitatibus suspensi.* VIII. *Abrenuntiatio quarta omni cultui diaboli. Quinam ille sit? — Superstitiones idololatricæ.* IX. *Confessio fidei ad Orientem stando facta. — Symbolum brevius.* X. *Conclusio in modum exhortationis.*

[1] Quinque Catecheses sequentes habitæ sunt post Pascha in sacro Resurrectionis sacello. Hæc autem prima secunda feria post Pascha.— [2] 1 Petr. v, 8.

I. Desiderabam[1] vobis jam antea, o germani et desideratissimi Ecclesiæ filii, de his spiritualibus cœlestibusque mysteriis disserere. Verum quoniam plane gnarus eram oculorum esse majorem quam aurium fidem, præsens tempus expectavi, ut ex ista vos experientia ad ea, quæ dicenda erant, ductu faciliores effectos assumens, ad lucidius fragrantiusque paradisi hujusce pratum manuducerem. Alias vero diviniorum quoque capaces facti estis mysteriorum, divino ac vivificante lavacro digni habiti. Quando igitur jam perfectiorum vobis præceptionum apponenda est mensa, age de his vos accuratius erudiamus; ut vim illam atque operationem cognoscatis, quæ in vobis illa baptismatis vespera effecta est.

II. Primum ingressi estis in ædem quæ baptisterio est pro atrio; atque Occidentem versus stantes audivistis, jussique estis manum extendere; et tanquam præsenti abrenuntiastis Satanæ. Scire autem vos oportet hujus rei figuram in Veteri Historia contineri. Cum acerbissimus et immitissimus tyrannus Pharao liberum ac generosum Hebræorum populum opprimeret, Deus Mosen delegavit, qui eos ex prava Ægyptiorum servitute educeret. Ac sanguine quidem agni postes ungebantur, ut domos sanguinis signo denotatas vastator præteriret: Hebræorum vero populus miris plane modis in libertatem assertus est. Ut vero liberatos hostis persecutus est, et mare ipsis, mirum dictu, divisum conspexit: pariter ipse perrexit vestigia vestigiis conjungens, extemploque submersus est Rubri maris fluctibus præcipitatus[2].

III. Nunc mihi a veteribus ad nova, a figura ad veritatem transgredere. Illic Moyses in Ægyptum a Deo mittitur: hic Christus a Patre in mundum delegatur. Ille ut oppressum populum ex Ægypto educeret; Christus, ut laborantes

1 Vide D. Guillon, tom. VIII, pag. 419-422. — 2 Exod. XIV, 22-30.

in mundo sub onere peccati, liberaret. Illic agni sanguis, vastatoris averruncatio fuit : hic Agni immaculati Jesu Christi sanguis [1], dæmonum expultrix eausa constitutus. Tyrannus ille veterem illum populum ad mare usque insecutus est : te quoque audax ille, impudens et malorum princeps dæmon, ad salutares usque fontes insequebatur. Ille in mari demersus est : et iste in salutari aqua evanescit.

IV. Verum tibi præcipi audis, ut, extensa tanquam ad præsentem manu, dicas : ABRENUNTIO TIBI SATANA. Volo et cujus rei gratia ad Occidentem steteritis, edicere ; necesse est enim. Quoniam sensibilium tenebrarum locus est Occidens ; ille vero in tenebris imperium habet, cum ipse sit tenebræ ; idcirco ad servandam Symboli rationem ad occasum respicientes, tenebroso illi et caliginoso principi abrenuntiatis. Quid igitur stans dixit vestrum unusquisque ? « Abrenuntio tibi Satana : tibi maligno ac dirissimo tyranno. Non amplius, ais, vim tuam formido : hanc enim dissolvit Christus, sanguinis et carnis mecum particeps factus ; ut per hæc mortem morte aboleret, ut ne perpetuo obnoxius essem servituti [2]. « Abrenuntio tibi » callido et vaferrimo serpenti. « Abrenuntio tibi, » qui insidiator es, et omnem simulatione amicitiæ iniquitatem peperisti, primisque nostris parentibus defectionem inspirasti. « Abrenuntio » tibi Satana, » cujusvis improbitatis et auctori et administro.

V. Deinde in secunda formula doceris ut pronunties : ET OMNIBUS OPERIBUS TUIS. Opera Satanæ, quodcumque peccatum est, cui abrenuntiare necesse est. Quemadmodum si quis tyrannum aufugit, prorsus arma quoque ipsius abjecit. Omne igitur peccati genus, diaboli operibus accensetur. Verumtamen illud te scire oportet, quæcumque illa

[1] 1 Petr. 1, 19. — [2] Hebr. II, 14, 15.

præsertim formidabili hora dicis, in Dei libris scripto consignata haberi. Quando igitur cumque his quidpiam contrarii admiseris, tanquam fœdifragus judicaberis. Renuntias itaque Satanæ operibus, omnibus, inquam, et actionibus et cogitationibus, quæ a ratione discedunt.

VI. Postea dicis : ET OMNI POMPÆ ILLIUS. Pompa vero diaboli est, theatrorum insaniæ, equorum cursus in hippodromis, venationes in circo, et reliqua hujuscemodi vanitas, de qua liberari se postulans sanctus Deo dicit : « Averte » oculos meos, ne videant vanitatem [1]. » Ne tibi studio et cordi sit theatri insania, ubi conspicias mimorum petulantias omni contumelia et dedecore abundantes, atque effœminatorum virorum furoris et amentiæ plenas saltationes. Neque illa eorum, qui in circensibus venationibus sese feris exponunt, ut infelicem alvum demulceant; qui ut ventrem alimentis deliniant, ipsi revera ventris immitium ferarum pabulum fiunt : atque ut rectius dicam, pro ventre quem unum Deum noverunt [2], propriam vitam in præcipitium singularibus certaminibus abjiciunt. Fuge etiam equorum curricula, quod prorsus insanum est supinasque animas dejicit spectaculum. Hæc enim omnia diaboli pompæ existunt.

VII. Tum vero et illa, quæ in idolorum solemnitatibus suspendi solent, sive carnes, sive panes, vel alia ejusdem modi, quæ impurissimorum dæmonum invocatione contaminata sunt, diaboli pompæ adjunguntur. Quemadmodum enim panis et vinum Eucharistiæ ante sanctam adorandæ Trinitatis invocationem, nudus panis et vinum erat; invocatione autem peracta, panis fit corpus Christi, et vinum sanguis Christi; ita et hujusmodi esculenta ad pompam Satanæ pertinentia, cum ex natura sua nuda et communia

[1] Psal. CXVIII, 37. — [2] Philipp. III, 19.

sint, invocatione dæmonum profana et contaminata redduntur.

VIII. Post hæc dicis : ET OMNI CULTUI TUO. Cultus diaboli est habita in idolorum delubris supplicatio : quæ ad honorem inanimatorum simulacrorum fiunt; accendere lucernas, aut suffitus ad fontes vel fluvios adolere ; quemadmodum nonnulli somniis aut dæmonum fraude delusi, ad eas aquas accessere, rati se ibi corporearum infirmitatum medelam reperturos, vel alia hujus generis. Ne igitur te in illis immisceas. Augurium, divinatio, ominationes, aut amuleta, aut in laminis inscriptiones, magiæ, aliæve malæ artes, quæque illis similia, cultus sunt diaboli. Hæc igitur fuge. Si enim illis succubueris post renuntiationem Satanæ et aggregationem tui ad Christum, crudeliorem experiere tyrannum; qui olim fortassis te uti familiarem tractabat, duramque tibi servitutem remittebat, nunc vero a te vehementer est exacerbatus : atque adeo et Christo privaberis, et illum experiere subjectus. Nunquam-ne audivisti, quæ nobis vetus historia de Loto ejusque filiabus renuntiat? Nonne ipse quidem cum filiabus incolumis servatus est, cum ad montem appulisset[1] : ejus autem uxor « Statua salis effecta est[2] » in æternum monumentum posita, quæ pravi affectus et præposteræ conversionis memoriam servet. Attende igitur tibi ipsi, neque iterum retro convertaris[3]; admovens aratro manum[4], rursumque ad amarulentam hujus vitæ consuetudinis salsitudinem convertens. Verum in montem fuge[5] ad Jesum Christum, illum sine manibus excisum lapidem[6], qui totum orbem replevit.

IX. Quando igitur Satanæ renuntias, omne prorsus cum illo pactum[7], vetera cum inferno fœdera dissolvens : aperi-

[1] Gen. XIX, 15-30. — [2] Ibid. 26. — [3] Deut. IV, 23. — [4] Luc. IX, 62. — [5] Gen. XIX, 17. — [6] Dan. II, 35 et 45. — [7] Isaï. XXVIII, 15.

tur tibi Dei paradisus quem ad Orientem plantavit[1], ex quo propter violatum Dei mandatum primus noster parens expulsus est[2]. Et hujus rei symbolum est, quod ab occasu ad ortum, qui lucis est regio, te convertisti. Tunc tibi imperatum est ut diceres : CREDO IN PATREM, ET IN FILIUM, ET IN SANCTUM SPIRITUM, ET IN UNUM BAPTISMA PŒNITENTIÆ. Quibus de rebus in prioribus Catechesibus, quantum divina concessit gratia, prolixius tibi disseruimus.

X. His itaque præmunitus sermonibus « Advigila. Ad» versarius enim noster diabolus, ut modo lectum est, » tanquam leo rugiens obambulat, quærens quem devo» ret[3]. » Ac superioribus quidem temporibus devorabat mors prævalens[4]. In sancto vero regenerationis lavacro abstulit Deus omnem lacrymam ab omni facie[5]. Non enim lugebis amplius, exuto veteri homine; sed potius festum diem ages salutaris vestimentum[6] indutus Jesum Christum[7].

XI. Et hæc quidem in exteriori æde sunt gesta ; Deo autem volente, cum in sequentibus Mystagogiis in sancta sanctorum ingrediemur, ibi eorum, quæ illic peraguntur, symbola cognoscemus. Deo vero Patri sit gloria, imperium, magnificentia, cum Filio et sancto Spiritu, in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Gen. II, 8. — [2] Id. III, 23. — [3] I Petr. V, 8. — [4] Isaï. XXV, 8. — [5] Ibid. — [6] Id. LXI, 10. — [7] Rom. XIII, 14.

CATECHESIS XX [1].

MYSTAGOGICA II.

AD RECENS BAPTIZATOS.

De baptismo : Et lectio ex Epistola ad Romanos, ab illo loco : An ignoratis, quod quicumque baptizati sumus in Christum Jesum, in mortem ipsius baptizati sumus [2]? *usque ad hæc verba :* Non enim estis sub lege, sed sub gratia [3].

ARGUMENTUM.

I. *Quæ in Baptisterio peracta.* II. *Primum deposita vestimenta. Cujus rei symbolum?* III. *Unctio corporis totius per oleum exorcizatum. Quidnam id significet? — Insufflationes Sanctorum, et invocatio nominis Dei urit dæmonas, et abigit.* IV. *Interrogatio de Fide. — Trina immersio.* V. *In baptismo imitatio mortis, sepulturæ et resurrectionis; sed salus vere, non imitatione tantum.* VI. *Probatur baptismum Christi passionum imitationem habere. — Baptismus Joannis peccatorum remissionem dabat.* VIII. *Conclusio per modum exhortationis ad retinendam memoria traditam doctrinam.*

Utiles sunt nobis [4] quæ quotidie habentur Mystagogiæ, [seu mysteriorum explicandi gratia institutiones;] novæ-

[1] Habita feria tertia in octava Paschæ.— [2] Rom. vi, 5. — [3] Ibid. 14. — [4] Vide D. Guillon, tom. viii, pag. 422-425.

que semper doctrinæ, novarum rerum enuntiatrices : sed vobis præsertim, qui a vestustate in novitatem renovati estis. Propterea hesternæ vobis Mystagogiæ consequentia ex necessitate apponam, ut addiscatis quarum rerum symbola fuerint illa, quæ vobis in interiori æde peracta sunt.

II. Statim igitur ingressi estis, tunicam exuistis : quæ « Veteris hominis cum actibus exposuit [1] » imago erat. Exuti, nudi fuistis, in hoc quoque nudatum in cruce Christum imitantes ; qui ea nuditate « Principatus et Po» testates expoliavit, deque illis in ligno propalam triumphum » egit [2]. » Quoniam enim in membris vestris stabulabant adversariæ potestates, non licet vobis amplius veterem illam tunicam gestare. Non eam dico, quæ sensibus percipitur ; sed « Veterem hominem, qui corrumpitur in desi» deriis erroris [3]. » Quem non contingat usquam ut iterum induat quæ semel exuit anima, dicat vero juxta eam, quæ in Cantico Canticorum loquitur Christi sponsam : « Exui » tunicam meam, quomodo induam illam [4] ? » O rem admirandam ! nudi fuistis coram oculis omnium, nec pudore tangebamini. Revera enim primi parentis Adam imaginem ferebatis, qui in paradiso « Nudus erat, nec verecundaba» tur [5]. »

III. Deinde vero sic exuti, exorcizato peruncti estis oleo a summis verticis capillis usque ad infima, et participes facti estis sinceræ oleæ Jesu Christi. Excisi enim ex oleastro insiti estis in sinceram oleam, et consortes effecti estis pinguitudinis veræ oleæ [6]. Igitur exorcizatum oleum symbolum erat communicationis pinguedinis Christi ; quod quidem omne adversariæ potestatis vestigium extemplo fugat. Quemadmodum enim insufflationes Sanctorum et invo-

[1] Coloss. III, 9. — [2] Id. II, 15.— [3] Ephes. IV, 22.— [4] Cant. V, 3. — [5] Gen. II, 25. — [6] Rom. XI, 17 et 24.

catio nominis Dei, flammæ instar vehementissimæ dæmones urit et effugat : ita et exorcizatum istud oleum, per invocationem Dei et orationem tantam vim assumit, ut non modo urendo peccatorum vestigia depurget; verumetiam omnes invisibiles mali [spiritus] potestates in fugam agat.

IV. Postea ad sanctam divini baptismatis piscinam deducti estis, uti Christus a cruce ad positum coram sepulcrum. Et interrogatus est unusquisque, utrum crederet in nomen Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Confessique estis salutarem confessionem, ac demersi estis tertio in aquam, rursumque emersistis : atque hic in imagine et in symbolo triduanam Christi significastis sepulturam. Sicut enim Salvator noster tres dies et noctes tres in ventre terræ egit [1] : sic et vos in prima emersione primam quam in terra Christus exegit diem, et immersione noctem, imitati estis. Nam velut qui in nocte degit, non amplius videt; qui vero in die, in lumine versatur : sic et in mersione, tanquam in nocte nihil vidistis ; in emersione vero tanquam in die positi fuistis : eodemque momento et mortui, et nati estis ; illaque unda salutaris, et sepulcrum vobis et mater effecta est. Et quod de aliis rebus Salomon dixit, vobis optime conveniat. Dicebat ille : « Tempus pariendi, » et tempus moriendi [2] : » at vobis e converso : « Tempus » moriendi, et tempus nascendi. » Unum tempus hæc utraque effecit, et cum morte nativitas vestra concurrit.

V. O novum inauditumque rerum genus ! Non sumus vere mortui, nec vere sepulti, nec vere crucifixi resurreximus : verum earum rerum per imaginem imitatio expressa est, at veritate parta hinc salus. Christus vere crucifixus est, et vere sepultus, et vere surrexit : et hæc omnia nobis per gratiam sunt impertita, ut per imitationem participes ejus perpessionum facti, in veritate salutem lucremur. O exu-

[1] Matth. XII, 40. — [2] Eccl. III, 2.

berantem in homines amorem! Christus incontaminatis pedibus ac manibus suis clavos excepit, et dolorem pertulit : et mihi doloris et laboris inexperto, per suorum dolorum communicationem salutem gratificatur.

VI. Nemo ergo existimet baptisma in remissionis peccatorum duntaxat et in adoptionis gratia consistere, sicut erat Joannis baptisma, quod solam peccatorum remissionem conferebat : cum contra accurate noverimus illud, sicut peccatis expurgandis valet, et Spiritus sancti donum conciliat, ita et Christi passionum antitypum atque expressionem esse. Propter hoc enim et Paulus modo clamans aiebat? « An ignoratis, quod quicumque baptizati » sumus in Christum Jesum, in mortem ejus baptizati sumus? Consepulti ergo ei sumus per baptismum in mortem [1]. » Hæc ad eos dicebat, qui in animum induxerant suum, baptismum remissionem peccatorum et adoptionem equidem conferre; non autem etiam verarum Christi passionum, secundum imitationem quamdam, participationem omplecti.

VII. Ut igitur discamus Christum, quæcumque pertulit, hæc propter nos et nostram salutem vere et non opinione tantum sustinuisse, nosque passionum ejus participes effici; Paulus summa diligentia et sedulitate clamabat: « Si » enim insititii illi facti sumus similitudine mortis ejus; nimirum et resurrectionis participes erimus [2]. » Pulchre illud, « Insititii; » quoniam enim hic plantata est [3] vitis vera, nos quoque communicatione baptismi mortis, insititii illi facti sumus. Adverte vero multa cum attentione animum Apostoli verbis. Non enim dixit : « Si insititii illi facti » sumus morte, » sed, « Similitudine mortis. » Vere enim mors apud Christum; vere quippe anima a corpore se-

[1] Rom. VI, 3, 4. — [2] Ibid. 5. — [3] In loco sepulcri in quo dicebat Cyrillus.

parata est : vera quoque sepultura; nam in sindone munda sanctum ejus corpus involutum est [1], vereque omnia in ipso contigerunt. At in vobis mortis quidem est et passionum similitudo; salutis vero non similitudo, sed veritas.

VIII. Hæc [a nobis] sufficienter edocti memoria, quæso retinere laboretis : ut et ego indignus licet de vobis dicam : « Diligo autem vos, quod semper mei memores estis, et » traditiones, quas vobis tradidi, retinetis [2]. » Potens vero est Deus, qui vos tanquam ex mortuis viventes repræsentavit [3], vobis dare ut in novitate vitæ ambuletis [4]. Quoniam ipsi gloria, et imperium, nunc et in sæcula. Amen.

[1] Matth. xxvii, 59. — [2] 1 Cor. xi, 2. — [3] Rom. vi, 13. — [4] Id. v, 5.

CATECHESIS XXI.

MYSTAGOGICA III.

AD RECENS BAPTIZATOS.

De chrismate. Et lectio ex catholica prima Joannis Epistola, ab his verbis : Et vos chrisma, [*sive unctionem*] habetis a Deo, et nostis omnia, *usque ad ista :* Et non pudefiamus ab eo in adventu ejus [1].

ARGUMENTUM.

I. *Baptizati Christi dicti. — Christus aquis Jordanis suæ Divinitatis effluvia impertivit. — Spiritus sanctus Filio similis. — Chrisma datum neophytis post suum è lavacro ascensum.— Christus Spiritu sancto unctus.* III. *Chrisma sacrum post invocationem.* IV. *Chrismatis unctio in fronte, auribus, naribus, pectore.* V. *Post acceptum baptismum et chrisma, Christianorum nomine digni sumus.* VI. *Sancti chrismatis symbolum in veteri lege.* VIII. *Exhortatio ad conservandam chrismatis gratiam.*

I. In Christum [2] baptizati [3] et Christum induti similis cum Filio Dei formæ facti estis [4]. Qui enim prædestinavit nos Deus in adoptionem [5], conformes effecit corpori glorioso Christi [6]. Participes igitur effecti Christi [7], Christi

[1] Joan. II, 20-28. — [2] Vide D. Guillon, tom. VIII, pag. 425-427.— [3] Gal. III, 27. — [4] Rom. VIII, 19. — [5] Ephes. I, 5. — [6] Philip. III, 21. — [7] Hebr. III, 14.

non immerito appellamini; deque vobis dixit Deus : « Nolite tangere Christos meos [1]. » Christi autem facti estis, dum Spiritus sancti antitypum accepistis : et omnia erga vos in imagine sunt peracta, quandoquidem Christi imagines estis. Ac ille quidem in Jordanis flumine ablutus, cum fragrantia Divinitatis suæ effluvia aquis communicasset, ab eis ascendit, sanctique Spiritus substantialis in eum illapsus factus est, simili super similem requiescente. Vobis quoque similiter, postquam ex sacrorum laticum piscina ascendistis, datum est chrisma, illius antitypum, quo unctus est Christus, quod est nimirum Spiritus sanctus. De quo et beatus Hesaïas in prophetia ipsum respiciente ex persona Domini dixit : « Spiritus Domini super me, quapropter unxit me; evangelizatum pauperibus misit me [2]. »

II. Oleo enim, sive unguento corporali Christus ab hominibus unctus non est; sed Pater cum totius mundi servatorem præstituens, Spiritu sancto unxit; sicut Petrus ait : « Jesum a Nazareth, quem unxit Deus Spiritu sancto [3]. » Et propheta David clamabat dicens : « Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi; virga rectitudinis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis ultra consortes tuos [3]. » Ac quemadmodum Christus vere crucifixus est, et sepultus, et resurrexit : vobis autem in baptismate per quamdam similitudinem una cum ipso crucifigi, et sepeliri et resurgere divina dignatione conceditur : ita et de chrismate contingit. Ille intelligibili exultationis oleo perunctus est, id est Spiritu sancto; qui exultationis oleum idcirco appellatur, quod ipse spiritualis exultationis auctor existat : vos vero unguento uncti estis, Christi participes et consortes effecti.

[1] Psal. CIV, 15. — [2] Isaï. LXI, 1. — [3] Act. X, 38. — [4] Psal. XLIV, 7, 8.

III. Cæterum vide ne nudum et vile suspiceris unguentum hoc esse. Nam sicut panis Eucharistiæ, post invocationem sancti Spiritus, non est communis panis, sed corpus Christi : ita et sanctum istud unguentum, non amplius nudum, neque si quis ita appellare malit, commune unguentum est post invocationem ; sed Christi donarium, et Spiritus sancti, præsentia Divinitatis ejus, efficiens factum. Quod quidem symbolice fronti, aliisque sensibus tuis illinitur. Ac dum unguento visibili inungitur corpus, sancto et vivifico Spiritu anima sanctificatur.

IV. Ac primum in fronte peruncti estis, ut ab ea verecundia liberaremini, quam primus homo transgressor ubique circumferebat [1] : utque retecta facie gloriam Domini tanquam in speculo contemplaremini [2]. Deinde in auribus; ut aures acciperetis divinorum mysteriorum audientes, de quibus Hesaïas dicebat : « Et addidit mihi Dominus auri» culam ad audiendum [3] ; » Dominusque Jesus in Evangeliis : « Qui habet aures ad audiendum, audiat [4]. » Postea ad nares ; ut divinum amplectentes unguentum diceretis : « Christi bonus odor sumus Deo, in iis, qui salvi fiunt [5]. » Tum vero et pectus peruncti estis, ut induentes thoracem justitiæ, staretis adversus insidias diaboli [6]. Nam velut Christus post baptismum et sancti Spiritus in se adventum, egressus debellavit adversarium [7] : ita et vos post sacrum baptisma et mysticum unguentum, induti totam sancti Spiritus armaturam, adversus oppositam potestatem consistitis [8], eamque debellatis aientes : « Omnia possum » in eo, qui me corroborat, Christo [9]. »

V. Hoc sancto chrismate digni habiti, vocamini Christiani, veritatem quoque nominis hujus per regenerationem

[1] Gen. III, 7, 8. — [2] 2 Cor. III, 18. — [3] Isaï. L, 4. — [4] Matth. XI, 15. — [5] 2 Cor. II, 15. — [6] Ephes. VI, 14 et 11. — [7] Matth. IV, 7 et seq. — [8] Ephes. VI, 11. — [9] Philipp. IV, 13.

assequentes. Prius enim quam hæc vobis gratia collata esset, eo nomine proprie digni non eratis, sed eo contendebatis ut essetis Christiani.

VI. Nosse autem vos oportet chrismatis [seu unctionis] hujus in veteri Scriptura symbolum extare. Quando enim Moyses divinum cum fratre communicatum mandatum [1], summum eum sacerdotem constituens; ablutum aqua perunxit : vocatusque est Christus [2], ab chrismate videlicet [seu unctione] figurativa. Sic et Salomonem summus pontifex in regem promovens, unxit eum postquam lavisset in Gihon [3]. « At hæc in figura contingebant illis [4] : » vobis autem non secundum figuram, sed in veritate siquidem a Spiritu sancto vere inuncti estis. Principium vestræ salutis est Christus : ille enim vere primitiæ est, vos vero conspersio [5]. Si autem primitiæ sanctæ sunt, non dubium quin ad conspersionem transferenda sit sanctitas.

VII. Hoc [chrisma] incontaminatum custodite; de omnibus enim vos docebit, si in vobis manebit; quemadmodum paulo ante audivistis beatum Joannem aientem, et multa de hac unctione philosophantem [6]. Est enim hoc [chrisma] sanctum, spirituale corporis amuletum, et animæ salutare [præsidium.] De eo jam a veteribus temporibus beatus Hesaïas prophetans dicebat : « Et faciet » Dominus omnibus gentibus in monte hoc [7] : (montem autem appellat Ecclesiam, etiam in aliis locis, velut cum dicit : « Et erit in extremis diebus conspicuus mons Do» mini [8].) Bibent vinum, bibent lætitiam, ungentur oleo [9]. » Atque ut eo magis te confirmet, audi quæ de hoc unguento tanquam mystico dicit : « Trade hæc omnia gentibus; » consilium enim Domini super omnes gentes [10]. Hoc igitur

[1] Levit. VIII, 1, 2, et seq. — [2] Id. IV, 5. — [3] 3 Reg. I, 39 et 45. — [4] 1 Cor. X, 11. — [5] Rom. XI, 16. — [6] Joan. II, 27. — [7] Isaï. XXV, 6. — [8] Id. II, 2. — [9] Id. XXV, 6. — [10] Ibid. 7.

sancto unguento peruncti, illud immaculatum et a reprehensione liberum in vobis custodite, per bona opera proficientes, ct placentes auctori salutis vestræ Christo Jesu. Cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CATECHESIS XXII.

MYSTAGOGICA IV.

AD RECENS BAPTIZATOS.

De corpore et sanguine Christi. Et lectio ex Pauli ad Corinthios Epistola: Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis [1], *et quæ sequuntur.*

ARGUMENTUM.

I. *Per mysteria concorporei et consangues Christi efficimur. — Post asseverationem Domini, nemo dubitare potest Eucharistiam esse corpus et sanguinem ejus.* II. *In figura panis et corpus Christi, et in vini figura sanguis. — Christiferi efficimur.* V. *Figuræ mysteriorum nostrorum panes propositionis.* VI. *In his mysteriis sensuum testimonium audiendum non est, sed fidei.* VII. *Mensa Christi spiritalis, et mystica, impuræ dæmoniorum mensæ a Deo opposita. — Ambo sacramenta sacri chrismatis et Eucharistiæ a Davide et Salomone expressa.* VII. *Neophytorum candidæ vestes, tota paschali hedomada.* IX. *Exhortatio ad fidem intrepidam, et conscientiæ puritatem.*

I. Vel hæc sola beati Pauli institutio abunde sufficiens est [2], ut certam vobis de divinis mysteriis fidem faciat: quibus digni habiti, concorporei et consangues Christi facti estis. Ille enim modo clamabat: « Quod in ea nocte, qua

[1] 1 Cor. XI, 23. — [2] Vide D. Guillon, tom. VIII, pag. 427-430.

» tradebatur Dominus noster Jesus Christus, sumpto pane » et gratiis actis, fregit, et dedit suis Discipulis dicens : » Accipite, manducate; Hoc est corpus meum. Et sumpto » calice, ac gratiis actis, dixit : Accipite, bibite; Hic est » sanguis meus [1], » Cum igitur ipse pronuntiaverit, et dixerit de pane : « Hoc corpus est meum, » quis audebit deinceps ambigere? Et cum ipse asseveraverit et dixerit : « Hic meus est sanguis [2]; » quis unquam dubitaverit, aiens non esse ejus sanguinem?

II. Aquam olim in vinum, quod sanguini affine est, in Cana Galilææ transmutavit [3] : et eum parum dignum existimabimus cui credamus, cum vinum in sanguinem transmutavit? Ad nuptias corporales vocatus, stupendum hoc miraculum effecit : et non eum multo magis « Filiis thalami nuptialis [4] » corpus suum et sanguinem fruenda donasse confitebimur?

III. Quare cum omni persuasione tanquam corpus et sanguinem Christi [illa] sumamus. Nam in figura panis datur tibi corpus, et in figura vini datur tibi sanguis; ut cum sumpseris corpus et sanguinem Christi, concorporeus et consanguis ipsi efficiaris. Sic et enim Christiferi efficimur, distributo in membra nostra corpore ejus et sanguine; sic juxta beatum Petrum divinæ fimus consortes naturæ [5].

IV. Olim Christus cum Judæis disserens aiebat : « Nisi » manducaveritis meam carnem, et biberitis meum san- » guinem, non habetis vitam in vobis ipsis [6]. » Cum autem illi ea, quæ dicebantur, non spiritualiter accepissent, offensi « Abierunt retro, » existimantes quod eos ad manducandas carnes hortaretur [7].

[1] 1 Cor. xi, 23-25. — [2] Matth. xxvi, 27, 28. — [3] Joan. iii, 1-10. — [4] Matth. ix, 15. — [5] 2 Petr. i, 4. — [6] Joan. vi, 54. — [7] Ibid. 61, 62 et 67.

V. Erant et in antiquo fœdere panes propositionis : verum illi cum ad Vetus Testamentum attinerent, finem acceperunt. In Novo vero Testamento, panis est cœlestis et « Poculum salutaris [1], » animam et corpus sanctificantia. Quemadmodum enim panis corpori conveniens est, ita et Verbum animæ consentaneum.

VI. Quamobrem ne tanquam nudis [et communibus elementis,] pani et vino [Eucharisticis] attende. Sunt enim corpus et sanguis Christi, secundum Domini asseverationem. Nam etiamsi illud tibi suggerat sensus, fides tamen te certum et firmum efficiat. Ne judices rem ex gustu ; sed ex fide citra ullam dubitationem certus esto te corporis et sanguinis Christi dono dignatum fuisse.

VII. Cujus rei quæ sit vis, explicat David, dicens : « Parasti in conspectu meo mensam ex adverso iis, qui » affligunt me [2]. » Quod autem ait, hujusmodi est. Ante adventum tuum mensam dæmones hominibus apparaverant contaminatam, inquinatissimam, et diabolica potestate refertam. Verum post quam advenisti, o Domine, « Pa» rasti in conspectu meo mensam [3]. » Quando homo Deo dicit : « Parasti in conspectu meo mensam, » quid aliud significat præter mysticam et intelligibilem mensam quam Deus nobis apparavit « Ex adverso, » hoc est ex adversa parte, et oppositam dæmonibus? Et recte quidem : mensa enim illa communionem habebat cum dæmonibus; isthæc vero cum Deo. « Impinguasti in oleo caput meum [4]. » Oleo caput tuum impinguavit in fronte, per signaculum quod habes Dei ; ut efficiaris effigies signaculi, sanctificatio Dei [5]. « Et calix tuus inebrians me quasi optimus [6]. »

[1] Psal. cxv, 13, seu potius 4. — [2] Id. xxii, 5. — [3] Malach. i. 7. — [4] Psal. xxii, 5. — [5] Exod. xxviii, 32, juxta lxx, et 36, juxta Vulgatam. — [6] Psal. xxii, 5.

Vides hic eum calicem dici, quem cum sumpsisset Jesus in manus, et gratias egisset, dixit : « Hic meus est san-» guis, qui pro multis effunditur in remissionem peccato-» rum [1]. »

VIII. Idcirco et Salomon eam gratiam in Ecclesiaste significans ait : « Veni, comede in lætitia panem tuum; » (spiritualem panem. « Veni : » vocat nimirum salutari, et quæ beatos facit, vocatione.) « Et bibe vinum tuum in » corde bono : » vinum spirituale. « Et oleum super caput » tuum effundatur [2]. » Vides-ne quemadmodum etiam mysticum chrisma designet : « Et omni tempore sint tua » vestimenta candida, quia Deo accepta sunt opera tua [3]. » Prius enim quam ad gratiam accederes, « Vanitas vanita-» tum [4] » erant opera tua. Post quam vero exuisti vetera vestimenta, et ea quæ sunt spiritualiter candida induisti, semper candidis vestitum esse oportet. Non hoc dicimus, quod vestibus albis te semper indui necesse sit : sed quæ vere alba sunt et splendida, [et spiritalia] his te indutum oportet, ut juxta beatum Hesaïam dicas : « Exultet anima » mea in Domino : induit enim vestimento salutaris, et tu-» nicam lætitiæ circumposuit mihi [5]. »

IX. Isthæc edoctus, et certissima imbutus fide quod qui videtur panis, panis non est, tametsi gustu sensibilis sit, sed corpus Christi; et quod videtur vinum, vinum non est, etiamsi ita gustui videatur, sed sanguis Christi : quodque ea de re antiquitus in Psalmis aiebat David : « Et » panis cor hominis confirmat, ut exhilaret faciem in » oleo [6] : » confirma cor tuum, panem illum tanquam spiritualem sumens, et animæ tuæ faciem exhilara. Quam utinam faciem retectam habens in pura conscientia, glo-

[1] Matth. XXVI, 28. — [2] Eccl. IX, 7, 8. — [3] Ibid. — [4] Id. I, 2. — [5] Isaï. LXI, 10. — [6] Psal. CIII, 15.

riam Domini velut in speculo contemplans [1], eas ex gloria in gloriam. In Christo Jesu Domino nostro, cui honor, et potestas, et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] 2 Cor. III, 18.

CATECHESIS XXIII.

MYSTAGOGICA V.

AD RECENS BAPTIZATOS.

Ex epistola Petri catholica : Idcirco deponentes omnem immunditiam, et omnem dolum ac detractionem[1], *et quæ sequuntur.*

ARGUMENTUM.

I. *Synaxes præcedentibus diebus.* II. *Diaconus sacerdoti et presbyteris altare circumstantibus aquam lavandis manibus ministrat.* III. *Osculum pacis, invitante diacono.* IV. *Admonitio sacerdotis* : Sursum corda. — *Responsio populi* : Habemus ad Dominum. V. *Admonitio* : Gratias agamus Domino. — *Responsio* : Dignum et justum. VI. *Mentio cum gratiarum actione creaturarum omnium.— Trisagium, sive hymnus seraphicus.* VII. *Invocatio ad consecrationem.* VIII. *Oratio pro viventibus.* IX. *Mentio mortuorum. — Oratio per sanctos. — Sanctorum intercessio. — Oratio pro defunctis.* X. *Utilitas precum pro defunctis.* XI. *Oratio dominica explicatur. — Quinam cælorum nomine compellantur?* XV. *Panis eucharisticus in omnes hominis partes animam et corpus distribuitur.* XVII. *Judas in tentatione submersus ; non Petrus, qui generose enatavit.* XIX. *Sacerdos clamat* : Sancta Sanctis. — *Populus respondet* : Unus Sanctus, unus Dominus Jesus

[1] 1 Petr. II, 1.

Christus. XX. *Psalmista invitans ad communionem.* XXI. *Communio corporis Christi. Quomodo sumenda.— Corpus Christi oculis admoveatur.* XXII. *Sanguinis sumptio ex calice. — Ex humiditate labiis adhærente sanctificandi. Oratio concludens synaxim* XXIII. *Traditionum custodia.*

I. Abunde [1] in præcedentibus synaxibus, Deo clementer largiente, audivistis tum de baptismate, cum de chrismate, et sumptione corporis et sanguinis Christi : nunc ad ea, quæ consequuntur, transgredi nos oportet, hodie spiritali institutionis vestræ ædificio coronidem impondituros.

II. Vidistis igitur diaconum, sacerdoti et presbyteris altare Dei circumstantibus aquam abluendis manibus porrigentem. Nullatenus vero propter corporeas sordes extergendas dabat. Non, inquam, propterea. Neque enim corporis sordes gerentes, initio Ecclesiam ingressi eramus. At ea manuum ablutio symbolum est, mundos vos ab omnibus peccatis et prævaricationibus esse debere. Cum enim manus symbolum sint actionis, iis lavandis, puritatem operum eorumque ab omni reprehensione immunitatem significamus. Non audisti beatum David hoc nobis mysterii aperientem, aientemque : « Lavabo inter innocentes manus » meas, et circumdabo altare tuum, Domine [2]? » Itaque quod manus abluuntur, signum est immunitatis a peccatis.

III. Deinde clamat diaconus : Vos INVICEM SUSCIPITE, OSCULEMURQUE MUTUO. Ne osculum illud arbitrere ejusdem ordinis ac moris esse, qualia illa sunt quæ inter communes amicos in foro frequentantur. Non est hujusmodi osculum istud. Animas enim mutuo conciliat et miscet, atque omnem illis injuriarum oblivionem spondet. Signum igitur

[1] Vide D. Guillon, tom. VIII, pag. 431-435. — [2] Psal. XX, 6.

est osculum hoc, animas sibi invicem admisceri, et omnem injuriarum memoriam ablegare. Propterea Christus aiebat : « Si offeras munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris » quod frater tuus habet aliquid adversum te ; relinque mu- » nus tuum ad altare, et vade prius ac reconcilieris fratri » tuo, et tunc accedens offer munus tuum [1]. » Igitur osculum reconciliatio est ; et propterea sanctum, sicut alicubi beatus Paulus clamabat dicens : « Salutate invicem in os- » culo sancto [2] ; » et Petrus : « In osculo charitatis [3]. »

IV. Postea clamat sacerdos : SURSUM CORDA. Vere enim in hac perquam maxime tremenda hora, cor sursum habere oportet ad Deum, et non deorsum circa terram et terrena negotia. Idem igitur est ac si præcipiat sacerdos, ut omnes circa illam horam deponant curas vitæ hujus et domesticas sollicitudines, habeantque sursum in cœlo cor ad clementem Deum. Deinde respondetis : HABEMUS AD DOMINUM ; ei præcepto per eam quam pronuntiatis confessionem assententies. Nemo igitur ita comparatus adsit, ut, cum ore dicat : HABEMUS AD DOMINUM, cogitatione mentem habeat hujus vitæ curis occupatam. At enim omni tempore memores esse nos oportet Dei. Quod si propter hamanam imbecillitatem impossibile sit, illa tamen maxime hora hoc studiose enitendum est.

V. Post hæc sacerdos ait : GRATIAS AGAMUS DOMINO. Vere enim grates agere debemus, quod cum indigni essemus, ad tantam nos vocavit gratiam ; quod, inimici cum essemus, nos reconciliavit [4] ; quod Spiritu adoptionis est dignatus [5]. Ad hæc vos subjicitis : DIGNUM ET JUSTUM. Dum enim gratias agimus, dignam rem agimus et justam : ipse autem non juste sed præter justum agens, nobis benefecit, et tantis bonis nos dignos effecit.

[1] Matth. v, 23, 24.— [2] 1 Cor. XVI, 20.— [3] 1 Petr. v, 14.— [4] Rom. v, 10. — [5] Id. VIII, 15.

VI. Facimus deinde mentionem cœli, et terræ, et maris; solis et lunæ; astrorum, et totius creaturæ tam ratione præditæ quam carentis, visibilis et invisibilis : Angelorum, Archangelorum, Virtutum, Dominationum, Principatuum, Potestatum, Thronorum; Cherubim multis faciebus præditorum [1] : quasi dicentes Davidicum illud, « Magnificate » Dominum mecum [2]. » Mentionem etiam facimus Seraphim, quæ in Spiritu sancto vidit Hesaïas thronum Dei circumstantia [3]; et duabus alis faciem tegentia, duabusque pedes, ac duabus volantia, et dicentia : SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS DOMINUS SABAOTH [4]. Propterea enim traditam nobis ab Seraphinis hanc theologiam [seu Dei celebrationem] recitamus, ut communi laudum modulatione cum superioribus mundo exercitibus conjungamur.

VII. Deinde, post quam nosmetipsos per has spirituales laudes sanctificavimus, Deum benignum exoramus ut emittat sanctum Spiritum super [dona] proposita; ut faciat panem quidem corpus Christi, vinum vero sanguinem Christi. Omnino enim quodcumque attigerit Spiritus sanctus, id sanctificatum et transmutatum est.

VIII. Post quam vero perfectum est spirituale sacrificium, incruentus cultus, super illam propitiationis hostiam obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace : pro recta mundi compositione : pro imperatoribus; pro militibus, et sociis : pro iis, qui infirmitatibus laborant; pro his, qui afflictionibus premuntur : et universim pro omnibus, qui opis indigent, precamur nos omnes, et hanc victimam offerimus.

IX. Postea recordamur eorum quoque qui obdormierunt : primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus eorum precibus et legationibus orationem nostram suscipiat. Deinde et pro defunctis sanctis

[1] Ezech. x, 21. — [2] Psal. xxxiii, 4. — [3] Isaï. vi, 2. — [4] Ibid. 3.

patribus et episcopis, et omnibus generatim, qui inter nos vita functi sunt, [oramus ;] maximum hoc credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram jacet victima.

X. Hujus rei fidem vobis ab exemplo facere volo. Novi enim multos ita dicere : « Quid juvat animam ex hoc mundo in peccatis seu sine peccatis decedentem, si ejus in oratione mentio fiat? An vero, si rex quispiam viros, a quibus offensus fuerit, relegarit in exilium ; posteaque illi, ad quos attinent, coronam plectentes eam regi pro suis pœna ab ipso afflictis obtulerint : nonne ipsis suppliciorum relaxationem gratificatus sit ? Ad eumdem modum et nos pro defunctis, etiamsi peccatores sint, preces Deo offerentes, non coronam plectimus : sed Christum mactatum pro peccatis nostris offerimus, clementem Deum cum pro illis tum pro nobis demereri et propitiare satagentes.

XI. Tum vero post hæc illam recitamus orationem, quam Salvator propriis suis Discipulis tradidit ; Deum cum pura conscientia patrem nuncupantes, dicentesque : PATER NOSTER, QUI ES IN CŒLIS [1]. O maximam Dei in homines junctam cum amore clementiam ! Tantam his, qui a se defecerunt, atque in extremis malis extitere injuriarum, oblivionem et gratiæ participationem indulsit, ut et Patrem appellarent. « Pater noster, qui es in cœlis. » Cœli autem etiam fuerint ii qui cœlestis imaginem ferunt [2], in quibus est Deus inhabitans et inambulans [3].

XII. SANCTIFICETUR NOMEN TUUM. Sanctum est natura nomen Dei, sive id dicamus, sive non dicamus. Quia vero per peccantes quandoque profanatur, secundum illud : « Propter vos nomen meum continue blasphematur in gen- » tibus [4] ; » oramus ut in nobis « Sanctificetur nomen Dei. »

[1] Matth. VI, 9. — [2] 1 Cor. XV, 49. — [3] 2 Cor. VI, 16. — [4] Isaï, LII, 5, et Rom. II, 24.

Non quod incipiat sanctum esse quod ante non erat; sed quia in nobis fit sanctum, cum sanctificamur ipsi, et sanctificatione digna facimus.

XIII. Veniat regnum tuum. Mundæ animæ est dicere cum fiducia : « Veniat regnum tuum. » Qui enim audiverit Paulum dicentem : « Non igitur regnet peccatum in mortali » vestro corpore [1]; » et se ipsum opere, cogitatione ac sermone purum præstiterit; is Deo dicturus est : « Veniat reg» num tuum. »

XIV. Fiat voluntas tua, quemadmodum in cœlo, sic etiam in terra. Divini ac beati Angeli Dei voluntatem Dei faciunt, sicut David in Psalmis dicebat : « Benedicite Do» minum omnes Angeli ejus, potentes robore, facientes vo» luntates ejus [2]. » Tua igitur oratio vim hanc habet et significationem, quasi dicas : « Quemodmodum in Angelis voluntas tua fit, sic et super terram in me fiat, Domine. »

XV. Panem nostrum substantialem da nobis hodie. Panis iste communis non est substantialis. Panis vero iste, qui sanctus est, substantialis est; quasi dicas : « Ad sub» stantialis » animæ directus. Hic panis non in ventrem vadit atque in secessum ejicitur [3]; sed in omnem tui compagem dividitur, ad corporis et animæ emolumentum. Illud autem, « Hodie, » dicitur pro quotidie; sicut et Paulus aiebat : « Quoad appellatur dies hodiernus [4]. »

XVI. Et remitte nobis debita nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris. Multa enim peccata habemus. Offendimus quippe et verbo et cogitatione, et multa condemnatione digna agimus. « Ac si dixerimus quod pec» catum non habemus, mentimur [5], » ut ait Joannes. Pactum itaque cum Deo inimus, orantes ut nobis condonet peccata, quemadmodum et nos proximis debita remittimus.

[1] Rom. VI, 12. — [2] Psal. CII, 20. — [3] Matth. XV, 17. — [4] Hebr. III, 13. — [5] I Joan. I, 8.

Perpendentes igitur pro qualibus qualia accipiamus, ne cunctemur; nec mutuas inter nos offensiones remittere tergiversemur. Quæ in nos committuntur offensæ, eæ parvæ, leves et dissolutu faciles. Quas vero in Deum committimus, magnæ, et solius ejus benignitatis auxilio diluendæ. Cave igitur ne propter parva et vilia in te admissa, gravissimorum tibi ipsi peccatorum remissionem apud Deum præcluseris.

XVII. Et ne inducas nos in tentationem, Domine. Id-ne Dominus orare nos docet, ne ullatenus tentemur? et quomodo alicubi dictum est : « Vir non tentatus, non est » probatus [1]? » et iterum : « Summum gaudium existimate, » fratres mei, cum in tentationes incideritis varias [2]. » Verum ingredi in tentationem, nonne fuerit a tentatione submergi? Nam tentatio torrenti ad trajiciendum difficili similis est. Qui igitur in tentationibus non submerguntur, optimi velut natatores trajiciunt, et nulla ratione ab eis pertrahuntur : qui vero tales non sunt, ingressi demerguntur. Qualis, ut exemplo utamur, Judas fuit; qui in avaritiæ tentationem ingressus, non enatavit, sed submersus, et corpore et spiritu suffocatus est. Petrus in denegationis tentationem introivit, sed ingressus mersus non est : verum generose tranans a tentatione liberatus est. Audi rursus alibi incolumium Sanctorum chorum, quod a tentatione ereptus sit gratias persolventem : « Probasti nos, Deus; incendisti nos sicut » incenditur argentum; induxisti nos in laqueum; posuisti » afflictiones super dorsum nostrum; imposuisti homines » super capita nostra. Transivimus per ignem et aquam; et » eduxisti nos in refrigerium [3]. » Vides-ne eos fidenter exultantes quod trajecerint, nec ipsi perfossi [4] sint? « Et eduxisti

[1] Similia Eccli. XXXIV, 9, 10, et Rom. V, 3, 4. — [2] Jac. I, 2. — [3] Psal. LXV, 10-12. — [4] Forte infixi, in laqueo vel in limo profundi.

» nos, additur, in refrigerium [1]. » In refrigerium ipsos venisse, est, a tentatione liberatos fuisse.

XVIII. SED LIBERA NOS A MALO. Si illud, « Ne inducas » nos in tentationem, » significaret omnino non tentari, non adjecisset, « Sed libera nos a Malo. » Malus vero, est adversarius dæmon, a quo liberari oramus. Tum vero expleta oratione, dicis : AMEN. Per illud, « Amen, » quod significat « Fiat, » quæcumque in hac a Deo tradita oratione continentur, obsignans [et assentiens.]

XIX. His peractis dicit sacerdos : SANCTA SANCTIS. Sancta sunt, quæ [in altari] proposita jacent, recepto Spiritus sancti superventu. Sancti vos quoque, Spiritus sancti dono dignati. Sancta igitur Sanctis conveniunt. Deinde vos subjicitis : UNUS SANCTUS, UNUS DOMINUS JESUS CHRISTUS. Revera namque unus est sanctus, natura sanctus. Nos autem etiam sancti; verum non natura, sed participatione et operum exercitio, ac voto.

XX. Audivisti deinde vocem psallentis, divina quadam melodia vos ad sanctorum mysteriorum communionem invitantis, ac dicentis : GUSTATE ET VIDETE, QUOD BONUS EST DOMINUS [2]. Ne corporeis faucibus hujus rei judicium æstimationemque permittite. Non, inquam; sed fidei omnis dubitationis experti. Qui enim gustant, non panem et vinum degustare jubentur, sed antitypum [seu signum et Sacramentum] corporis et sanguinis Christi.

XXI. Adiens igitur, ne expansis manuum volis, neque disjunctis digitis accede ; sed sinistram velut thronum subjiciens dexteræ, utpote Regem suscepturæ : et concava manu suscipe corpus Christi, respondens : AMEN. Post quam autem caute oculos tuos sancti corporis contactu sanctificaveris, illud percipe; advigilans ne quid ex eo tibi depereat. Quod enim intercidere patieris, id tibi tanquam ex propriis

[1] Psal. LXVIII, 3 et 15. — [2] Id. XXXIII, 9.

membris deminutum puta. Dic enim, quæso, si quis tibi auri ramenta dedisset, nonne summâ cautione ac diligentia teneres, providus ne quid horum tibi periret, ac damnum paterere? nonne multo cautius ac vigilantius curabis, ne ex eo tibi vel mica intercidat quod est auro ac gemmis longe pretiosius?

XXII. Tum vero post communionem corporis Christi, accede et ad sanguinis poculum : non extendens manus ; sed pronus, et adorationis ac venerationis in modum, dicens Amen, sanctificeris, ex sanguine Christi quoque sumens. Et cum adhuc labiis tuis adhæret ex eo mador, manibus attingens, et oculos et frontem et reliquos sensus sanctifica. Postremo, expectans orationem, gratias age Deo qui te tantis mysteriis impertire dignatus est.

XXIII. Eas traditiones inviolatas retinete; et inoffensos vosmet servate. A communione ne vos abscindite : neque propter peccatorum inquinamentum sacris istis et spiritualibus defraudate mysteriis. « Deus autem pacis sanctificet vos totos; et integrum vestrum corpus, et anima, et » spiritus, in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur [1]. » Cui gloria, honor, et imperium, cum Patre [et Filio] et sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] 1 Thess. v, 23.

S. P. N. CYRILLI

HIEROSOLYMITANI ARCHIEPISCOPI.

HOMILIA [1].

In paralyticum juxta piscinam jacentem [2].

ARGUMENTUM.

I. *Jesus ubique beneficus.—Jesus corporum et animarum medicus.* III. *Jesus paralyticum vidit, et ante quæstionem statum ejus cognovit.* IV. *Paralyticus peccatis simul et morbo degravatus. — Christus auxilium suum ex sola hominis voluntate suspendit. — Jesus dat ipsum velle.* V. *Quod sanitatis desiderium et voluntatis confessionem requirat Christus, probatur duorum cæcorum exemplo.—Christus cæcos interrogat, ut eorum desiderio suum donum adjungat.* VI. *Christus sponte ad paralyticum accessit.—Christus alia parte Deus, alia homo. — Maledictioni obnoxium humanitatem tàntum in Christo confiteri.* VII. *Ibi Christus suam operationem adhibuit, ubi omnium humanorum auxiliorum inopia.* VIII. *Christus ambulat super àquas, et aliis ambulare concedit.* IX. *Jesus paralyticum verbo sanat.—Jussa Christi, verbo solo, cogitatione citius efficiuntur.—Salvator omnibus omnia efficitur.* X *Jubetur paralyticus grabatum in ferculo tollere.—Can-*

[1] Dicta ante ann. 351. — [2] Joan. v, 1-16.

ticorum liber non amatorius, sed mysticus, et temperantiæ plenus. — Proverbiorum liber, via et gradus ad Cantica. XI. *Canticorum liber passionis Christi propheticus.—Argentum et pecunia passionis Christi initium et fundamentum.* XIII. *Redit auctor a digressione ad argumentum suum. — Christus paralyticum celerrime sanavit. — Sed non est sanata Judæorum incredulitas.* XIV. *Contra Judæos. — Christus suo nos exemplo erudiit, ut magis operibus quam verbis contradicentes refellamus.* XV. *Paralytici in respondendo sapientia.* XVI. *Christi modestia in recte factis nostram jactantiam damnat. — Miracula et dona horum temporum.* XVII. *Calamitatum nostrarum causæ, peccata. — Quomodo Apostolus intelligat illud :* Cum essemus in carne. XVIII. *Exhortatio moralis.* XX. *Secutura episcopi oratio.*

I. Ubicumque [1] apparuerit Jesus, ibi etiam adest salus. Nam et si publicanum in telonio sedentem viderit [2], hunc Apostolum et Evangelistam facit : et tametsi inter mortuos sepeliatur, mortuos exsuscitat. Et ille quidem cæcis visum, surdis vero audiendi vim impertit : ac piscinas obit, non ædificia quærens, sed ægros curans.

II. Hierosolymis enim probatica piscina erat, quinque porticus habens ; quatuor ambientes, et quintam in medio sitam [3]. In hac jacebat multitudo ægrotantium, eratque plurima Judæorum infidelitas. Medicus vero, qui cum corporum, tum animarum morbos sanat et curat, mensura quadam et ordine medicinam adhibuit ; priorem sanans eum, qui diutino morbo laborabat, ut citius doloribus levaretur. Non enim ab uno, vel altero die, aut mense uno,

[1] Vide D. Guillon, tom. VIII, pag. 440-443. — [2] Matth. IX, 10. — [3] Joan. V, 2, 3.

vel anno ibi jacebat, sed ab octo et triginta annis. Longinquo morbo prostratus, videntibus notus erat, et sanantis se vim ac potestatem patefaciens : erat enim notus omnibus propter diuturnitatem temporis paralyticus ille. Ac summus quidem Medicus potestatem suam demonstravit; infamata vero ab iis est, qui facta ejus malam in partem accepere.

III. Circumiens enim piscinam, « Vidit [1] : » non quæstione habita cognovit; sed divina virtute quæstionis omissionem supplevit. « Videns, » non interrogans, quanto ex tempore jaceret. Sed videns cognovit, qui et antequam videret, probe noverat. Nam si in his, quæ in corde latebant, « Opus ei non erat ut quis eum interrogaret de homine; ipse » enim sciebat quid esset in homine [2] : » multo id magis circa morbos, qui ab exterioribus causis inducuntur.

IV. Vidit quemdam jacentem, et plurima vi morbi degravatum. Peccatorum enim onus grave, simul et diutinus dolor ei incubuere. Huic quæstio proposita, id quod cupiebat quodam modo exposuit : « Vis sanus fieri [3]? » nec quidquam adjecit præterea; sed quæstionis eum dereliquit ambiguo : nam quæstio duplex erat. Quoniam enim non corpore solo, verumetiam animo æger erat, (secundum illud quod ipsi postea dixit : « Ecce sanus factus es, ne posthac pec- » ces, ne tibi deterius aliquid contingat [4]; ») interrogat illum : « Vis sanus fieri? » O magnam Medici potestatem, qui auxilium ex sola voluntate suspendit. Nam cum ex fide salus sit, idcirco audivit illud : « Vis-ne? » ut voluntas hæc [Christi] operationem eliceret. Vox hæc unius Jesu propria est : non enim summorum [etiam], qui corpora curant, medicorum est. Nam qui sensibilibus morbis medentur, non possunt omnibus dicere : « Vis sanus fieri? »

[1] Joan. v, 6. — [2] Id. xvi, 30, et Id. ii, 25. — [3] Id. v, 6. — [4] Ibid. 14.

Jesus vero ipsum etiam velle dat, et fidem acceptam habet, et donum gratis impertit.

V. Obambulabat aliquando Salvator in via, et cæci duo sedebant [1], corpore quidem cæcutientes, animo vero illuminati; quem enim non noverant Scribæ, hunc demonstrabant cæci, clamantes. Cumque Pharisæi, qui legem addidicerant, eamque a pueritia ad senectutem usque fuerant meditati, in ignorantiaque consenuerant [2], dicerent : « Hunc nescimus unde sit [3] : (« In propria enim venit, et » sui eum non receperunt [4]. ») cæci contra clamabant, dicentes : « Fili David, miserere nostri [5]. » Et quem nescierunt qui legem didicerant, hunc noverunt qui oculorum ministerio ad legendum erant destituti. Ad eos accedens Salvator, dixit : « Creditis quod possim hoc facere [6]? » et illud : « Quid vultis ut faciam vobis [7]? » non dixit : « Quid vultis ut dicam vobis? » sed, « Quid vultis ut faciam vobis? » Factor enim erat et vitæ dator, qui non tum primum facere incipiebat : (Pater enim ejus semper operatur, et ipse una cum Patre operatur [8] :) et rerum omnium nutu Patris factor erat. Ipse autem solus ex solo immediate genitus, interrogat cæcos dicens : « Quid vultis » ut faciam vobis [9]? » non ignorans quid vellent; aperta enim res erat : sed ex eorum verbis suum adducturus donum, ut ex suis ipsi verbis justificarentur. Nec enim qui corda novit ignorabat quid essent dicturi; sed eorum orationem expectabat, ut interrogatio illis proposita operationem suam eliceret.

VI. Sic et huic paralytico se præsentem sistens, sponteque sua ad laborantem profectus medicus, (nec mirum, si ad jacentem juxta piscinam ægrum accessit, qui ad nos

[1] Matth. xx, 30. — [2] 2 Tim. III, 7. — [3] Joan. IX, 29. — [4] Id. I, 11. — [5] Matth. IX, 27, et XX, 30. — [6] Id. IX, 28. — [7] Id. XX, 32. — [8] Id. V, 17. — [9] Matth. XX, 32.

ex cœlo sponte delapsus est,) ipsum interrogabat : « Vis » sanus fieri [1] ? » ex hac interrogatione eum ad cognitionem inducens, et ad interrogandum [vicissim] sollicitans. Magnæ hoc gratiæ donum ; nullo enim pretio constabat. Idcirco et medicum habuit sponte ad se properantem. Ille vero ad eum : « Etiam vero, Domine [2] ; » diuturnitas enim morborum meorum facit mihi optandam valetudinem. At ego quidem percupio, verum « Hominem non habeo. » Ne animo dejiciaris, o homo, quia hominem non habeas. Deum habes astantem tibi, qui alia parte homo est, alia vero Deus ; utrumque enim confiteri debemus. Non enim confessio humanitatis a confessione Divinitatis sejuncta, utilis est, imo maledictionis conciliatrix. « Maledictus enim » qui spem habet in hominem [3]. » Si igitur et nos in Jesum sperantes, in hominem speremus Divinitatem simul in spe nostra minime complexi, maledictionis hæredes futuri sumus. Nunc vero et Deum et hominem confitemur, et utrumque vere : [Deum vere] ex vero Patre natum ; hominemque non specie tantum, sed veritate factum adorantes, veram salutem expectamus.

VII. Volo equidem sanus fieri, sed « Hominem non ha- » beo. » Vide, num non ibi operationem suam exhibuit, ubi salutis spes deerat. Nam ægrorum plerique domos habebant, et præterea notos, et quosdam alios fortassis. Iste autem vere omnimoda pauperie oppressus, nulloque externi auxilii subsidio adjutus, ac solus sibi derelictus, Filium Dei unigenam auxiliatorem adeptus est. « Vis sanus fieri? » Etiam, Domine ; atqui hominem non habeo, qui, cum » turbata fuerit aqua, injiciat me in piscinam [4]. » Habes ipsum fontem ; « Quoniam apud te fons vitæ [5] ; » fontem fontium auctorem. « Quicumque autem biberit ex aqua

[1] Joan. v, 6. — [2] Ibid. 7. — [3] Jer. xvii, 5. — [4] Joan. v, 6, 7. — [5] Psal. xxxv, 10.

» hac [1], flumina de ventre ejus fluent [2], » non aquæ deorsum fluentis, sed « Aquæ salientis [3]. » (aqua enim, quam propinat Jesus, non ex supernis ad infima, sed a terrestribus ad cœlestia salire nos facit,) « Aquæ, inquam, salientis in » vitam æternam. » Fons enim bonorum Jesus.

VIII. Et quid expectas piscinam? habes eum qui ambulabat super aquas [4], qui imperat minaciter ventis [5], qui maris auriga est; qui non sibi tantummodo soli instar firmi substratum habet mare, verumetiam Petro ad eumdem modum ambulandi vim impertivit. Cum enim caliginosa nox esset, adessetque ipsa lux, agnitus non est. (Jesus enim ambulans super aquas, quantum ex oris lineamentis agnosci non poterat : vocis autem proprius sonus præsentem designabat :) phantasma vero esse rati, timuerunt. Jesus autem dixit ad illos : « Ego sum, nolite timere. » At Petrus ad ipsum ait : « Si tu es » ille, quem ego novi, seu potius quem Pater mihi notum fecit, « Jube me ad te » venire super aquas [6]. » Ille autem ad eum, sua cum ipso libentissime communicans, « Veni, inquit. »

IX. Aderat igitur juxta aquas piscinæ, aquarum auriga et factor; cui paralyticus ait : « Hominem non habeo, qui, » post quam turbata aqua fuerit, in piscinam me injiciat [7]. » Dicit ei Servator : « Quid expectas dum turbatæ sint aquæ? citra turbationem ullam sanus esto. Quid sensibilem motionem opperiris? verbo, imperatum meum cogitatione citius efficitur. Tantum inspice in fontis vim et efficaciam, Deumque in carne conspectum animo æstima. Neque eum, qui exterius videtur, considera; sed eum, qui efficaciter agit per eum qui videtur. « Hominem non habeo, ut, » cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam. » Ille

[1] Joan. IV, 14. — [2] Id. VII, 38. — [3] Id. IV, 14. — [4] Matth. XIV, 25. — [5] Id. IX, 26, et Marc. IV, 39. — [6] Matth. XIV, 24-29. — [7] Joan. V, 7.

vero ad eum : Quid respicis ad minima ? quid aquarum medicinam quæris? « Surge, ait tibi ipsa Resurrectio [1]. » Ubique enim omnibus omnia Salvator efficitur : esurientibus panis, sitientibus aqua, mortuis resurrectio, ægris medicus, peccatoribus redemptio.

X. « Surge, tolle grabatum tuum, et ambula [2]; » sed primum « Surge, » primum abjice morbum : postea fidei robur assume. Vires prius experire adversus illud, quo gestabaris, grabatum, et in ligneo gestatorio ea, quibus diu gestatus es, disce asportare. Ligneum ipsi ferculum portare præcepit ille Salvator, de quo dictum est : « Fer» culum sibi fecit Rex de lignis Libani : columnas ejus » fecit argentum, reclinatorium ejus purpuram, intimum » ejus lapidibus constratum [3]. » Passionis sunt symbola, quæ consignata sunt in Canticis sponsalibus, sobrietatis et temperantiæ plenis. Non enim secundum multorum opinionem libri hujus verba accipiens nihilque considerans, amatoria ac turpium affectuum Cantica esse putes ; verum sponsalia verba, modestiæ ac temperantiæ plena. Si vero Canticorum vim non assequeris, veni ad Proverbia; ac progressione et uti gradibus ad priora illa te evehe. « Sa» pientia ædificavit sibi domum, » (quasi de muliere loquitur) « Et misit servos suos [4]. » Rursusque alibi ait : « Dilige eam, et custodiet te [5]. » Non hic mulieris suadetur amor, sed sapientiæ, quæ amorem pravum exterminat : ubi enim sapientiæ possessio, ibi amoris expulsio. Non enim e sapientia perturbationum affectus, sed sapientes cogitationes. « Equi ad fœminam insanientes facti sunt [6] : » præter rationem impetus ille. Igitur si in Canticis audias quasi de sponso et sponsa multa dici, ne humi repas, neque juxta

[1] Joan. xi, 25. — [2] Id. v, 8. — [3] Cant. iii, 9, 10. — [4] Prov. ix, 1 et 3. — [5] Id. iv, 6. — [6] Jer. v, 8.

humanos affectus hæc audias; sed ex rebus affectu vacuis te ad tuos transferendos affectus exerce.

XI. Divina igitur Cantica meditare, quæ sobrietatis et temperantiæ plena, passionem Christi significant. Nam ea, quæ ad Salvatoris passionem pertinent, enarrando, etiam locum edicunt. « Ingressus est in hortum [1], » propter eum nempe, qui ibi sepultus est. Aromatum etiam meminere : « Sumpsit unguentum meum plenum [2] : » adimpleta enim fuit salutis œconomia. Et post resurrectionem dixit : « Co- » medi panem meum cum melle meo [3]. » Dederunt enim ei favum ex alveari [4]. Deque vino myrrhato [5] iterum aiunt Cantica : « Potabo te ex vino unguentis condito [6]. » Alio quoque loco de unguento super caput ejus effuso aiunt : « Donec Rex fuit in accubitu suo, nardus mea dedit odo- » rem suum [7]. » Nam recumbente illo in domo Simonis leprosi, ingressa mulier fregit alabastrum unguenti nardi pisticæ pretiosæ [8]; et effudit super caput ejus. Similiter etiam de cruce : « Ferculum » [aiunt]; lignum videlicet crucis quo portatus est, « Columnas ejus fecit argen- » tum [9]. » Principium enim crucis argentum fuit, et proditio. Nam sicut domus egregie ornata aureum habet lacunar desuper impositum, totam vero structuram columnæ sustineat : sic tum crucifixionis, tum resurrectionis Christi principium argentum fuit. Nisi enim Judas eum prodidisset, nunquam fuisset crucifixus : idcircoque « Columnas » ejus, » tamquam nobilis passionis initium « Argentum » fecit. »

XII. « Ascensus ejus purpura [10]. » Propterea etiam purpura induerunt eum [11] : ludificantes quidem, prophetice

[1] Cant. v, 1. — [2] Id. v, 5, vel. 13. — [3] Cant. v, 1. — [4] Luc. xxiv, 42. — [5] Marc. xv, 23. — [6] Cant. viii, 2. — [7] Id. i, 12. — [8] Marc. xiv, 3. — [9] Cant. iii, 9, 10. — [10] Ibid. — [11] Marc. xv, 17.

tamen id agentes; rex enim erat. Et quamvis hoc deridendo fecerunt, fecerunt tamen : symbolumque regiæ dignitatis ipsi aptatum est. Et licet ex spinis corona foret, corona tamen fuit, et ab militibus deligata. Reges enim a militibus proclamantur. « Ascensus ejus purpura ; intimum » ejus lapidibus constratum. » Noverunt Ecclesiæ studiosi Lithostrotum, [sive aream lapidibus constratam,] quæ Gabbatha dicebatur [1], in ædibus Pilati existentem.

XIII. Hæc a me digressionis in modum dicta sunt, dum in grabato versor ad ferculum deducto. Ait igitur ad ipsum : « Surge, tolle grabatum tuum, et ambula [2]. » Diuturnus quidem morbus, celerrima vero medela. Plurium annorum paralysis ; citissima vero nervorum confirmatio. Is enim erat, qui nervos fabricavit, qui varias cæcis medicinas adhibuit, qui luti perfusione modo inusitato cæcitatem sanavit [3]. Si quis enim videntis hominis oculos luto obliverit, visionis usum impediat : Jesus vero luti opera visum non videntibus impertivit, et in aliis iterum per alia suam potestatem exeruit. In hoc autem [paralytico] per id verbum : « Surge, tolle grabatum tuum, et ambula. » Quantum putas stuporis cernentes invasit? at id quod videbatur, revera mirandum fuit : incredulitas vero inæstimabilis. Nam plurimorum annorum sanata est ægritudo : incredulitas vero longinqua sanata non fuit; sed Judæi adhuc in suis affectibus permansere, ac sanari noluerunt.

XIV. Nam si id quod factum fuerat stupere oportebat, Medicum quoque animarum et corporum oportebat adorari. Illi autem murmuraverunt [4] : murmuratorum enim posteri erant, qui bona in mala pervertebant; « Qui dice» bant amarum esse dulce, et dulce amarum [5]. » Jesus vero prudentissimo consilio operabatur in sabbato; ea nempe,

[1] Joan. xix, 13. — [2] Id. v, 8. — [3] Id. ix, 6. — [4] Id. v, 10. — [5] Isaï. v, 20.

quæ sabbatum transcendunt, operatus, ut illos operatio persuaderet. Quoniam enim verbis verba refelluntur, opus vero nulla vinci ratione potest, in sabbato curavit; erudiens nos ut non contradictionum sermonibus utamur, sed operibus persuadeamus eos, qui illa intuentur.

XV. Aiebant illi : « Sabbatum est, non licet tibi tollere » grabatum tuum [1] ? » Legislator aderat ipse, et ausus est quisquam alius dicere : « Non tibi licet ? Constitue, Domine, » legislatorem super eos [2] ; » de Salvatore dictum fuit. Ille vero nuper tam in animo quam in corpore sanatus, accepto a Sapientia sapienti sermone, statim respondet, non ex legis peritia quid responderet habens, sed compendiosam afferens responsionem. « Nostis, inquit, diuturnam meam ægritudinem, et quam multos annos reclinatus jacui, quantaque cum miseria omnium destitutus auxilio conflictatus sum. Nemo unquam vestrum mei curam suscepit, tollens me, et priorem in piscinam immittens ut sanitatem reciperem. Cum ergo tunc nulla vos mei cura tetigerit, quomodo nunc legislatorum munus arripuistis : « Non li» cet tibi, aientes, tollere grabatum tuum? » Compendiosum igitur a me responsum habete : « Qui me sanum fecit, » ille mihi dixit [3]. » Si me contemnitis, at factum ad ipsum vos stupor capiat. Non emplastrum imposuit, non solitis medicinæ compositionibus vel subsidiis usus est. Verbo dixit, et effectus extemplo est consecutus. Imperavit, et ego imperatum facio. Ejus imperio obsequens fui, qui suis imperiis medicinam præstitit. Nam si is, qui jussit, suis imperiis efficere nequivisset ut sanarer, ipsis obtemperandum non fuit. Quoniam vero verbis suis evidentem et diuturnum morbum cessare præcepit, æquissimo jure illi obedio, cui obaudiens ipsa abscessit ægritudo ; « Qui me sanum fe» cit, ille mihi dixit : Tolle grabatum tuum. »

[1] Joan. v, 10. — [2] Psal. IX, 21. — [3] Id. v, 11.

XVI. Non noverat is, qui sanatus erat, quis esset, qui eum sanaverat [1]. Inde maxima Salvatoris nostri commendatur inanis gloriæ fuga. Cum enim sanavisset, declinavit, ut ne ex ea sanatione celebraretur. Nos vero prorsus contrarium facimus. Si enim aliquando contigerit nos somnia cernere, aut [impositione] manuum opem ferre alicui, aut dæmonem per invocationem effugare; tantum absumus a celando recte facto, ut etiam non interrogati glorianter prædicemus. Jesus vero factis suis nos docens ne quis de se ipso loquatur, simul ut curationem præstitit, declinavit ne agnosceretur, opportune secedens, et opportune præsentem se exhibens. Quando enim celebrari par erat famam recte facti, tunc se subducit : post quam vero turba recessit, ut una cum corporali simul et animæ medicinam adhiberet, tunc præsentem se sistens, dixit : « Ecce sanus » factus es, ne pecces amplius. »

XVII. Diverse se medicum præstat : aliquando prius animam sanat, postea corpus; aliquando vero e converso. « Ne amplius pecces, ut ne tibi deterius aliquid contin» gat [2]; » per unum docet multos. Non enim ad illum unum loquitur, sed ad nos omnes. Si enim aliquando in morbos, aut ærumnas, aut calamitates inciderimus, nemo ascribat Deo. « Deus enim ut malis tentari non potest, ita ipse ne» minem tentat [3]. » Nostrum vestro « Unusquisque peccato» rum catenis constrictus flagellatur [4]. Ne amplius pecces, » ne aliquid tibi deterius contingat. » Audiat hanc sententiam quivis homo : et qui ante scortator erat, vitiosum affectum abjiciat ; quique avarus eras, largus eleemosynarum fias. Audiat qui rapuit aliena : « Ne amplius pecces. » Maxima est Dei injuriarum oblivio, profusa gratia. At tu cave ne nimiam patientiam in occasionem contemptus versas : neve, quia longanimis Deus est, idcirco pecces.

[1] Joan. v, 13. — [2] Ibid. 14. — [3] Jacob. 1, 13. — [4] Prov. v, 22.

Verum deinceps carnales tuos affectus da operam ut sanes, et dic tu quoque quod opportune ante lectum fuit : « Cum » enim essemus in carne, affectus peccatorum, qui per le» gem erant, operabantur in membris nostris [1]. » Quod si dicit Apostolus : « Cum essemus in carne; » non hanc, qua circumdati sumus, intelligit carnem, sed carnales actiones ; siquidem adhuc carnem circumferens aiebat : « Quando era» mus in carne.» Sed quemadmodum Deus, cum diluvium proxime inducendum esset, aiebat : « Non permanebit Spiritus » meus in hominibus istis, eo quod sint carnes [2] ; » spiritu in carnalem appetitum commutato : ita et in hoc loco Apostolus dicit : « Cum essemus in carne. »

XVIII. Nemo itaque sit in carne; sed in carne cum sit non secundum carnem ambulet [3]. Non enim vult Apostolus ut nos a mundo penitus segregantes malum non operemur; sed ut in carne positi, carnem servituti subjiciamus, et ejus imperio non teneamur. Non serviamus, sed imperemus : cibo utamur moderato; non ventris ingluvie abrepti, sed frenum ventri injicientes, ut et affectibus infra ventrem sedem habentibus moderemur. Gubernetur ab anima corpus, nec ab carnalibus voluptatibus anima trahatur. « Ne amplius pecces, ne quid tibi deterius con» tingat. » Omnibus hic denuntiat sermo : utinam vero omnes aures audiant. Non enim omnis auris corporea quæ verbum immissum recipit, continuo etiam intra cogitationem admittit. Idcirco aiebat Salvator : « Qui habet aures » ad audiendum, audiat [4]; » cum homines alloqueretur, qui carneis auribus non carebant.

XIX. Audiat itaque Jesum omnis homo, et ne amplius peccet : sed accurramus ei, qui peccata condonat. Et sive morbo laboramus, ad eum confugiamus; sive animæ malo

[1] Rom. VII, 5. — [2] Gen. VI, 3. — [3] 2 Cor. X, 2, 3. — [4] Matth. XI, 15.

quodam cruciamur, medicum scientiæ [auctorem] sequamur : sive esurimus, panem recipiamus : sive mortui sumus, resurrectionem accipiamus; sive in ignorantia consenuimus, sapientiam ab ipsa Sapientia postulemus.

XX. Verum in nimiam nos sermonis prolixitatem pertraxit orationis argumentum; et forte patris nostri instructioni impedimentum injecimus. Tempus vero monet, ut majora verba audiamus; ut ex sublimioribus sermonibus utilitatem capientes, Deo eam, quæ ex operibus proficiscitur, gloriam remittamus. Cui gloria, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

S. P. N. CYRILLI

HIEROSOLYMITANI ARCHIEPISCOPI.

EPISTOLA

AD CONSTANTIUM PIISSIMUM IMPERATOREM ;

De signo lucidæ Crucis Hierosolymis viso, quod in cælis apparuit.

Mense Maio, die septima [1].

Imperatori Deo dilectissimo ac piissimo CONSTANTIO Augusto, CYRILLUS Hierosolymorum Episcopus in Domino salutem.

ARGUMENTUM.

I. *Quales ab episcopo litteras accipere deceat imperatorem.* II. *Quodnam munus ipsi mittat. — Imperator ipse alios sua pietate erudiebat.* III. *Inventio sanctæ crucis sub Constantino.* IV. *Narratio conspectæ in aëre lucidæ crucis.—Continuo omnes ad Ecclesiam cucurrerunt.* V. *Quo consilio hæc apparitio imperatori significata.* VI. *Hoc prodigium a Prophetis et Christo prædictum.* VII. *Epilogus. — Fausta precatio.* VIII. *Salutatio.—Trinitas consubstantialis.*

I. Primas hasce [2] ex Hierosolymis, ad tuum Deo dilectum regnum [seu imperatoriam Majestatem] litterarum

[1] Ann. 351. — [2] Vide D. Guillon, tom. VIII, pag. 443-446.

primitias mitto, quas et te accipere, et me dare deceat : quæ non adulationis verbis refertæ sint, sed immissam a Deo cœlestium rerum tibi visionem significent : neque arte compositas rhetoricarum sermocinationum probabilitates contineant ; sed suam sanctorum Evangeliorum prædictionibus veritatem ex ipso tibi astruant rerum eventu.

II. Atque alii quidem ex his, quæ habent pretiosum, sæpe tuum caput coronant, auro inductas perlucidissimisque gemmis distinctas tibi offerentes coronas. Nos autem non te sumptis e terra rebus coronamus; (quorum enim donorum e terra origo, eorumdem terra finis;) verum divinam cœlestium rerum impresionem, Hierosolymis tui Deo chari imperii temporibus peractam, pietati tuæ festino studio notam fscimus. Non ut nunc primum ex ignoratione in Dei notitiam adducaris; (tu enim prior per eam, quam præfers, pietatem alios doces :) sed ut in his, quæ novisti, confirmeris amplius : et qui avitam regni consecutus es hæreditatem, majoribus te e cœlo coronis honoratum addiscens, hinc ferventius Deo omnium Regi nunc etiam convenientes gratias agas ; illinc vero majori adversum hostes fiducia atque alacritate replearis, dum ex miraculis, quæ tuo tempore efficit, imperium tuum a Deo revera diligi comprehendes.

III. Ac tempore quidem Deo amicissimi ac felicis recordationis Constantini patris tui, salutare crucis lignum in Hierosolymis est repertum : divina gratia viro pietatem recte quærenti hoc largiente, ut absconditos sanctos locos inveniret [1]. Tuo vero, Domine, omnium piissime Imperator, qui avorum pietatem majori in Deum religione superas, non e terra jam, sed e cœlo data prodigia : et Domini ac Servatoris nostri Jesu Christi unigeniti Filii Dei

[1] Sub monumentis impietatis super eos erectis.

tropæum victoriæ ex morte reportatæ, beata, inquam, crux lucis splendoribus coruscans Hierosolymis apparuit.

IV. Nam in his sanctis sanctæ Pentecostes [seu post-paschalis temporis] diebus, Nonis Maiis [1], circiter horam tertiam, crux permagna e luce constructa, in cœlo super sanctum Golgotham, et usque ad sanctum Olivarum montem expansa apparuit : non uni et alteri tantum conspecta ; sed universæ civitatis multitudini evidentissime ostensa. Neque ut aliquis forte putaverit, celeriter in imagine prætervolavit ; sed compluribus horis desuper terram oculorum visu conspecta est, solares radios coruscantibus fulgoribus exuperans ; alioqui illis oppressa infuscataque latuisset, nisi ipso sole valentiores conspicientium oculis emisisset fulgores. Ita ut universa civitatis multitudo illico in sanctam Ecclesiam confertim accurreret, immissæ a Deo visionis metu cum lætitia conjuncto perculsa ; juvenum simul ac seniorum turba, virorum ac mulierum, ætatisque omnis, ad ipsas usque in thalamis per domos reclusas puellas ; indigenarum una atque exterorum ; Christianorum, ac Gentilium ex diversis partibus huc adventantium. Qui omnes unanimiter velut ex ore uno Christum Jesum Dominum nostrum, Filium Dei unigenitum, mirabilium effectorem laudibus celebrabant : re ipsa et experientia cognoscentes Christianorum piissimum dogma « Non in persuasoriis » sapientiæ verbis, sed in demonstratione Spiritus ac po» tentiæ consistere [2] : » non ab hominibus solum annuntiatum, sed e cœlis Dei ipsius testimonio comprobatum [3].

V. Cum igitur nos Hierosolymæ incolæ, qui mirabile illud prodigium ipsis oculis conspeximus, Deo omnium Regi, et Filio unigenito Dei convenientem cum gratiarum actione adorationem exolverimus, et exolvemus ; assiduasque pro tuo Deo dilecto imperio in his sanctis locis preces

[1] Septima Maii. — [2] 1 Cor. II, 4. — [3] Hebr. II, 3, 4.

effuderimus, effundemusque : oporteret vero cœlestes illas a Deo visiones minime silentio tradere, sed faustum illud tuæ Deo plenæ pietati nuntium perferre; illico per has litteras [id facere] maturavimus : ut tu optimo ejus fidei, quæ in te jam præcessit, fundamento, partam ex his nuper divinitùs ostensis cognitionem inædificans, firmiorem in Dominum nostrum Jesum Christum assumas fiduciam : simulque consueta omni tua fortitudine plenus, tanquam ipsum Deum tecum militantem habens, crucis tropæum alacerrime proferas; tanquam gloriationum gloriationem ostensum in cœlo signum invehens. Cujus vel figuram hominibus demonstrans cœlum, majorem in modum gloriabatur.

VI. Atque hoc quidem prodigium, Deo amicissime Imperator, secundum Prophetarum testificationes, ac voces Christi sanctas, quæ in Evangeliis jacent, nunc est adimpletum, et iterum plenius adimplebitur. Nam in Evangelio secundum Matthæum, futurarum rerum notitiam beatis suis Apostolis Salvator impertiens, et per illos ad eorum successores verba faciens, disertissime prænuntians dicebat : « Et tunc apparebit signum Filii hominis in cœlo [1]. » Quem quidem divinum Evangeliorum librum pro more in manus sumens, testimonia ejus rei prænuntia conscripta reperies. Quorum sane frequentiori commeditationi vacare te, Domine, adhortor, propter reliqua in eo loco continua serie descripta. Quod nimirum res a Salvatore nostro prænuntiatæ requirant, ut conjuncta cum pietate diligentia multa observentur; uti nullum ex adversaria potestate detrimentum patiamur.

VII. Has tibi sermonum nostrorum, Deo dilectissime Imperator, offero primitias : has ex Hierosolymis primas tibi eloquor voces, sincerissimo, totiusque pietatis studioso una

[1] Matth. xxiv, 30.

nobiscum adoratori unigeniti Filii Dei et Salvatoris nostri; qui secundum divinas Scripturas salutem totius mundi Hierosolymis consummavit [1] : qui isthic mortem conculcavit, et proprio ac pretioso sanguine hominum peccata detersit; vitamque, et incorruptibilitatem, ac cœlestem Spiritus gratiam credentibus omnibus impertivit. Hujus te potentia ac gratia protectum atque lætantem, illustrioribusque ac majoribus pietatis officiis condecoratum, ac naturalium filiorum regiis gloriantem germinibus; ipse Rex omnium, omnis boni largitor Deus multis annorum in continua pace circulis, Christianis et universo orbi (ad) decus et ornamentum una cum tota domo conservet.

VIII. Valentem te et omni ornatum virtute, consuetamque cum sanctarum ecclesiarum tum romani imperii curam gerentem, et amplioribus pietatis præmiis explendentem, multos nobis annorum pacificorum circulos Deus universorum concedat una cum tota familia, Auguste Imperator Deo charissime; glorificantem semper sanctam et consubstantialitatem Trinitatem verum Deum nostrum : Quem decet omnis gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Psal. LXXIII, 12.

FINIS.

ANNOTATIONES.

IN LIBRIS S. OPTATI.

ANNOT. (1), pag. 9.

Alludit S. Optatus ad hæc verba Isaïæ (XXII, 4.) *Recedite a me, amare flebo: Nolite incumbere ut consolemini me super vastitate filiæ populi mei.*

ANNOT. (2), pag. 13.

Minus caute, ne dicam pie locutus cuipiam videri possit Optatus, qui vim locutionis, non ignotæ quidem, sed antiquis minus usitatæ, non advertat. *Quæ nullum videbatur*, id est, quæ nullum admiserat. Ita apud Lampridium in Alex. Sev. *Fures judicare jussit in civitatibus ullis nunquam videri.* Plura exempla si requiris, adi Casaubonum, ad illa Capitolini, *ut octo pedes digito videretur egressus*: pag. 399. Quomodo et loquitur Apostolus, ut hic obiter moneam I. Cor. XI. 6. *Si quis autem videtur contentiosus esse.* Atque iterum proximo capite: *Quæ videntur membra, etc.* Necnon et Christus Lucæ VIII. 18. *Quod videtur habere, etc.*

ANNOT. (3), pag. 18.

Ex gestis purgationis Cæciliani, et ex breviculo, et contra Cresconium libro tertio, constat hos episcopos interro-

gante Secundo assurrexisse, et in aliam partem transiisse, moxque absolutos, ad locum suum post hæc verba rediisse, quæ quidem verba aliquam absolutionis vim et formam habere videntur cum his acceptis, et sederunt et responderunt : *Deo gratias* :

Annot. (4), pag. 20.

Contra hunc imperatorem Maxentium Felix scripserat famosum illum libellum dum Alexander Maxentio infensissimus Africæ potiretur. Eo mortuo, Maxentius vindictam de Felice sumere voluit. Zozimus testis est Maxentium in fautores Alexandri potissimum sæviisse.

Annot. (5), pag. 34.

Absentes per formatas communicabant : de quibus litteris scripsit Bernadinus Ferrarius. Igitur ut staret communio, atque ut omnes corporis Christi partes inter se communicarent, omnes episcopi singulis annis, aut etiam sæpius litteras communicatorias ad pontificem mittebant, ut plebis sibi creditæ cum Christo communionem foverent. D. Augustinus contra Cresconium libro III. capite 34. *Quod hinc maxime credibile est, quod ad Carthaginis episcopum Romano prætermisso nunquam Orientalis Catholica scriberet, ubi saltem vester scribi debuit quem soletis Romam paucis vestris mittere ex Africa.* Illud litterarum commercium poterat frequentari inter cæteros episcopos; nam Carthaginensis episcopus poterat formatam dirigere et scribere ad Cæsareæ episcopum; sed prætermisso episcopo Romano non poterat, hoc est, ab episcopo Romano debuerat discere antequam scriberat, quis esset legitimus Cæsareæ episcopus, et tum demum ad eum scri-

bere : deinde non erat necesse, ut episcopi mutuas sibi litteras scriberent ut communio inter eos celebraretur; nam cum omnes cum summo Pontifice communicarent, per illam communionem omnes etiam inter se communicabant.

Annot. (6), pag. 43.

Perperam mendi suspectus hic locus, sic auctor non semel alibi. Tamen Barthius reponit, *gaudens in sinu videret sancta mater Ecclesia*, fundamentum ponens de verbis lib. vii. *Quando vos Catholica pio sinu suscipere deberet Ecclesia.* Vide et lib. i.

Annot. (7), ibid.

Juliano imperatori libellum obtulere Donatistæ, ut sibi restituerentur basilicæ, quas ablatas querebantur, utque pristinam consequerentur libertatem. Hic apostata petitionibus eorum acquieverat, restituens basilicas.

Annot. (8), pag. 46.

Invenerunt eos peperisse quibus virginitatis velum detraxerant, et quas sic de castimonialibus mulieres fecerant.

Annot. (9), pag. 51.

Radebant Donatistæ capita sacerdotum, quasi ad auferendam unctionem sacerdotalem.

Annot. (10), pag. 59.

Olim Psalmus primus et secundus unus idemque apud

multos qui legebant Actuum caput xii, v. 33, non ut hodie, *In Psalmo secundo*, sed ut olim, testibus Hyeronimo, Hilario et aliis, *In Psalmo primo.*

Annot. (11), pag. 68.

Metatores dicit eos, qui missi fuerant ut venturis militibus hospitia aut tentoriorum loca designarent. Ii dicebantur *Mensores* in jure civili.

Annot. (12), pag. 83.

Respicit Optatus ad legem, quæ extat in Deuteronomio, cap. xxiii, 18, quæ sic habet : *Non offeres pretium canis in domo Domini Dei tui;* quamvis de cynædo videntur potius intelligenda, quam de cane.

IN CATECHESIBUS S. CYRILLI.

Annot. (13), pag. 333.

Diversis Scripturæ exemplis et argumentis probare connititur Mariam, saltem ante Christi nativitatem, non uxorem, sed desponsatam tantum Josephi fuisse. Forte uxoris nomine intelligit eam quæ cum viro consuetudinem habet; uxorem negans Josephi, quæ ab illo thoro separata erat. Verum communis ea græcos inter et latinos Patres opinio fuit, Mariam nonnisi Josephi sponsam extitisse. Id Gregorius Nyssenus homil. in Natal. Christi, in quibusdam apocryphis contineri ait, quæ tamen in Evangelio demonstra-

tionem veritatis habeant. Vera nihilominus aliorum Patrum opinio est, omnium jam theologorum calculis approbata, Mariam vero conjugio Josepho devinctam fuisse. Hanc multis locis tuetur Augustinus, præsertim De nupt. et concupisc. capitibus XI et XII. et serm. LI. n. 16. 21. 26. 30. ubi probat Jesum verius quam simplici adoptione Josephi filium esse; cum ex Maria natus sit, cujus corpus jure conjugii, per charitatem melius quam per concubitum astricti, Josepho proprium erat.

Annot. (14), pag. 354.

Per hæc verba *Spiritualis donativi* etc. intelligit dona Spiritus sancti gratis data, quæ donativi loco a Christo in baptismo vel in confirmatione supra remissionem peccatorum eo tempore non infrequenter dabantur.

CONCORDANTIA

BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

S. OPTATI MILEVITANI.

CONTRA DONATISTAS.

BIBLIOTHECA LATINA.	BIBLIOTHECA GALLICA.
Liber I, pag. 8.	Ejusdem fragmenta, tom. V, pag. 260-263.
Liber II, pag. 30.	Ejusdem fragmenta, tom. V, pag. 263-269.
Liber III, pag. 56.	Ejusdem fragmenta, tom. V, pag. 269-273.
Liber IV, pag. 82.	Ejusdem fragmenta, tom. V, pag. 273.
Liber V, pag. 94.	Ejusdem fragmenta, tom. V, pag. 273-276.
Liber VI, pag. 113.	Ejusdem fragmenta, tom. V, pag. 276-278.
Liber VII, pag. 125.	Ejusdem fragmenta, tom. V, pag. 278.

35.

CONCORDANTIA

BIBLIOTECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

S. CYRILLI HIEROSOLYMITANI.

CATECHESES.

BIBLIOTHECA LATINA.	BIBLIOTHECA GALLICA.
Procatechesis, pag. 146.	Ejusdem fragmenta, tom. VIII, pag. 351-359.
Catechesis I, pag. 157.	Ejusdem fragmenta, tom. VIII, pag. 359-361.
Catechesis II, pag. 164.	Ejusdem fragmenta, tom. VIII, pag. 361-367.
Catechesis III, pag. 178.	Ejusdem fragmenta, tom. VIII, pag. 367-372.
Catechesis IV, pag. 191.	Ejusdem fragmenta, tom. VIII, pag. 373-381.
Catechesis V, pag. 214.	Ejusdem fragmenta, tom. VIII, pag. 381-382.
Catechesis VI, pag. 228.	Ejusdem fragmenta, tom. VIII, pag. 382-385.
Catechesis VII, pag. 252.	Ejusdem fragmenta, tom. VIII, pag. 385-386.
Catechesis VIII, pag. 262.	Ejusdem fragmenta, tom. VIII, pag. 386-387.
Catechesis IX, pag. 268.	Ejusdem fragmenta, tom. VIII, pag. 388-391.
Catechesis X, pag. 279.	Ejusdem fragmenta, tom. VIII, pag. 391-397.
Catechesis XI, pag. 295.	Ejusdem fragmenta, tom. VIII, pag. 397-399.

Catechesis XII, pag. 313.	Ejusdem fragmenta, tom. VIII, pag. 400-402.
Catechesis XIII, pag. 338.	Ejusdem fragmenta, tom. VIII, pag. 402-405.
Catechesis XIV, pag. 369.	Ejusdem fragmenta, tom. VIII, pag. 405-407.
Catechesis XV, pag. 393,	Ejusdem fragmenta, tom. VIII, pag. 407-408.
Catechesis XVI, pag. 417.	Ejusdem fragmenta. tom. VIII, pag. 408-410.
Catechesis XVII, pag. 440.	Ejusdem fragmenta, tom. VIII, pag. 410-412.
Catechesis XVIII, pag. 465.	Ejusdem fragmenta, tom. VIII, pag. 413-418.
Catechesis XIX, mystagogica I, pag. 490.	Ejusdem fragmenta, tom. VIII, pag. 419-422.
Catechesis XX, mystagogica II, pag. 496.	Ejusdem fragmenta, tom. VIII, pag. 422-425.
Catechesis XXI, mystagogica III, pag. 501.	Ejusdem fragmenta, tom. VIII, pag. 425-427.
Catechesis XXII, mystagogica IV, pag. 506.	Ejusdem fragmenta, tom. VIII, pag. 427-430.
Catechesis XXIII, mystagogica V, pag. 511.	Ejusdem fragmenta, tom. VIII, pag. 431-439.
Homilia in paralyticum, pag. 521.	Ejusdem fragmenta, tom. VIII, pag. 440-443.
Epistola ad Constantium imperatorem de signo crucis lucidæ viso in cœlis, pag. 535.	Ejusdem fragmenta, tom. VIII, pag. 443-446.

INDEX

TOMI QUADRAGESIMI-SEPTIMI.

S. OPTATI MILEVITANI

DE SCHISMATE DONATISTARUM ADVERSUS PARMENIANUM,

LIBRI VII.

S. CYRILLI HIEROSOL. ARCHIEP.

CATECHESES XXIII.

EXPLICIT INDEX.

